image not available

p. de vineis
epistolae

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
43
4 A
8

2

EPISTOLARVM

PETRI DE VINEIS,

CANCELLARII QVONDAM FRIDERICI II Imperatoris, quib. res eius geſtæ, memoria digniſsimæ, hiſtorica fide deſcribuntur, & alia quamplurima utilia continentur, Libri VI.

Nunc primùm ex tenebris, in quibus hactenus iacuere, in laudem fortiſsimi Imp. Friderici, ac ſtudioſorum Hiſtoriæ utilitatem, eruti, & luce donati.



BASILEAE, PER PAVlum Quecum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

VIRTVTE, ERVDITIONE AC PIETATE CLARIſsimo, VVOLFFGANGO HALLERO, Sacræ Cæſareæ Maieſtatis Secretario, Domino & amico ſuo obſeruando,

SIMON SCHARDIVS D. S. P. D.

NON *adeò iudiciorum ſeculi huius inſcius ſum*, HALLERE *clariſ. quin perſpiciam, pleroſq; de publicatione Epiſtolarum Petri de Vineis, nomine fortiſsimi Imperatoris Friderici* II. *ſcriptarū, ita ſenſuros, omitti eam, quàm adornari, ſatius fuiſſe: quod nō tam elegantia ſermonis, quàm inſectatione Pontificum Romanorum inſignes ac commendabiles eſſe uideantur. Etſi autem fatear, non eam in hiſce ſermonis Latini puritatem ac uenuſtatem conſpici, quæ uel in Ciceronis, uel aliorum præſtantium uirorum huius ætatis Epiſtolis inuenia-*

tur: tamen aliæ honeſtæ ac graues cauſæ me commouerunt, ut de ijs in lucem proferendis cogitarem.

Si etenim iſti hominum generi, ſtudium quorundam in conſeruandis ac conquirendis reliquijs, uel exuuijs eorum, qui ſanctitatis opinione excelluere, minimè improbatur: cur non germanæ ac ueræ præſtantium uirorum reliquiæ, nimirum ſententiæ de religione, alijsq́ rebus utilibus, errorum reprehenſiones, uitiorum inſectationes ac piæ admonitiones conſeruari, & ad poſteritatem tranſmitti deberent: quum hæ ex ſpiritu ſancto animos piorum agitãte profectæ, tanto cæteris rebus caducis atq; terreſtribus ſint precioſiores, quanto plures in ſe utilitates habent? Initio namq; huius generis ſcripta, optimi maximi Dei bonitatem ac miſericordiam erga Eccleſiam ſuam oſtendunt: qui, ne ingruentibus erroribus, uel falſis doctrinis graſſantibus, ea in errores pertracta, funditùs interiret, ſed ſeptem millia pio-

rum

rum Baali genua non inflectentia retineret, ſingulis temporibus uel Prophetas, Doctores ac Euangeliſtas, uel alios pios uiros excitauit, qui erroribus atque mendacijs reſiſtentes, uitia taxarunt, ac pio & intrepido zelo ueritati teſtimonium tulerunt.

Ac ſi id unquam aliàs retroactis temporibus, ſub tyrannica Pontificum Romanorum dominatione accidit: certè temporibus Friderici huius id factum fuiſſe, ueriſimile eſt. Nam quæ de Synagoga Romana optimi ac fortiſſimi herois Friderici II *ſententia fuerit, hæ Epiſtolæ luculenter oſtendunt: cum Pontifices gregis Dominici lupos rapaces, patres doli, uiros ſanguinum, amatores ſchiſmatum, pacis æmulos, lapides offenſionis, denique Antichriſtos apertè nominat. Ac quàm eorum autoritas tunc tēporis in Italia, Gallia, Germania, alijsq; locis exigua fuerit, inde colligere licet, quòd tam multi per Friderici concionatores ac Valdenſium doctrinam crediderint, Romam*

 eſſe

eſſe Babylonem, ac meretricem illam magnam, Papamq́ ipſiſsimū Antichriſtum: ut per Cyrillum quendam Græcum, Carmelitarum præſidem generalem, Apocalypſin Iohannis ex Eccleſia tollere, & in eius locum aliam ſubſtituere conati fuerint: quam impoſtor ſceleratiſsimus, Dei ipſius digito ſcriptam, ſe è cœlis accepiſſe, de futuro Eccleſiæ ſtatu, commentus eſt. Ut ergo in cæteris operibus Deus, bonitatē ac dilectionem ſuam erga Eccleſiam agnoſci ac prædicari uult: ſic eam quoq; ex huiuſmodi monumētis agnoſcamus, eiq́; pro benignitate in cōſeruāda Eccleſiá toto pectore gratias agamus.

Porrò ex huiuſmodi ſcriptis multi boni, qui ex ſimplicitate in tenebris ignorantiæ captiui detinentur, non parum iuuantur, cum uident, papiſticas fraudes, deceptiones atque nequitias, non recens cœpiſſe notari: ſed & ante hanc ætatem fuiſſe, qui Romaniſtarum impoſturis animaduerſis, eos exagitare, proſcindere, & damnare ſint auſi.

Ducen-

Ducentis & ſexaginta abhinc annis has Epiſtolas ſcriptas fuiſſe conſtat: at quàm inſignia Pontificum ac Cardinalium facinora hic recenſentur? & quàm præclaris eulogijs ſanctiſsimi patres à Friderico ornãtur? Quod ſi quis hodie Pontificum uitia taxet, eorumq; ſcelera ſuis coloribus pingat, id nouum, uel potius Lutheranicum eſſe neceſſe eſt: at id exemplo ſuperioris ætatis minimè carere, hæ Epiſtolæ liquidò probant.

Quid, quod huiuſmodi ſcripta ad interruptionem diuturnæ poſſeſsionis, quam in pleriſque commentis ſeu traditionibus ſuis prætendunt, ac ueluti caput Gorgonis obijciunt, non parum momenti habent? Cum etenim ex doctrina Iuriſperitorum conſtet, uel per atteſtationem, uel contradictionem, poſſeſsionis uel quaſi ex tempore, ut ipſi loquuntur, cauſatæ interruptionem, ita induci, ut quis malæ fidei poſseſſor conſtituatur: quomodo in pleriſque ſe multorum annorũ diuturna præſcriptione tuebuntur, quam

ſæpius complurium ſcriptis, non ſecus ac per executoris conuentionem interpellatam eſſe conſtat. Gloriatur iſta ſuperbiæ mater, ad ſe pertinere Imperatoris Electi confirmationem, & depoſitionem: perinde ac ſi filius Dei Apoſtolis miniſterio docendi commiſſo, ipſis ſimul orbis dominium tradiderit: nec ſatis ſit confirmatus, qui legitimè electus ſit. At Fridericus talem Pontificis poteſtatem nunquam agnouit. Nam etſi ad Pontificem, de iure & more maiorum, Imperatoris conſecrationem pertinere non diffiteatur: non magis tamen ad eum Imperatoris depoſitionem ſeu remotionem pertinere contendit, quàm ad quoslibet Regnorum prælatos, qui reges ſuos conſecrant, & inungunt. Sic & autoritatem indicēdi Concilij, quam hodie Pontifices uiolenter uſurpant, in tātum Pontifici adimit, ut ſibi, Imperio & terræ principibus indecentiſsimum iudicet, cauſam ſecularium poteſtatum Eccleſiæ foro uel iudicio Synodali ſubijcere.

Quodſi non alia cauſa eſſet, ueterum ſcripta conſeruandi: an non hæc ſola ſufficere poſſet, ut pontifices malæ fidei poſſeſſores, in præſcribendis Imperij iuribus conſtituerentur?

Sed & alia utilitas minimè contēnenda in hiſce Epiſtolis eſt: quòd ſcilicet in eis, ut & alijs eius generis monumentis, uaria hiſtorica extant, quæ alicubi non facilè inueniuntur: ita ut nobiliſsimi ſuperioris ac noſtræ ætatis hiſtorici, Theodoricus Niemus, Nauclerus, & alij, non tantum in deſcriptione rerum Friderici, ſed & alijs, eas citarint. Quare etiam clariſsimus hiſtoricus atque poeta Iohannes Cuſpinianus, ſub finem uitæ Friderici, opus hoc Epiſtolarum his uerbis prædicat: Non contemnendus (inquiens) eſt perſpicaciſsimus ille Iureconſultus, Petrus de Vineis, Friderici Imperatoris magiſter Epiſtolarum: qui præter alia ingenij ſui monumenta, ſex Epiſtolarum libros à ſe ſcriptos reliquit, quibus Friderici res geſtæ uerè

 deſi-

deſignantur: licet Innocentius Pontifex Romanus Apologeticos libros cõtra hunc ſcripſit, ut Cæſarem aduerſarium ſuum omnibus reddat odioſiſsimum.

Ut autem hæc utilitas non exigua eſt, maximè hiſtoriarum ſtudioſis: ſic & alia huic accedit, quod in hiſce Epiſtolis, præcipuè autem tribus poſterioribus libris, perſpici poteſt, quæ forma Friderici temporib. in negocijs Cãcellariæ & Cameræ (ut uocant) expediendis ſeruata, & quales utrique præpoſiti fuerint: cuius rei cognitio, præterquã quòd liberalis eſt, & animos in officijs iſtis uerſantium de rebus multis inſtruere ac cõmonefacere poteſt.

Poſtremò, cum res geſtæ præſtantiſsimi atque fortiſsimi Imperatoris Friderici Secundi, ab alijs Pontificijs ſcriptoribus uel liuore corruptæ, uel odio ſuppreſſæ, uel ignorantia præteritæ, à Petro de Vineis, qui omnibus eius conſilijs & actionibus interfuit, hic uero ſtylo deſcriptæ contineantur: debetur

betur id nomini ac meritis incomparabilis Herois ab omnibus literarum ſtudioſis, ut Pontificiorum ac Italorum mendacijs, quæ de eo ſparſere, neglectis, res eius geſtas ex ueris Hiſtoriarum monumentis cognoſcant. Hic ſiquidem diuinus Heros, tanto fauore, tantaq́ benevolentia ſtudioſos eſt proſecutus, ut ſingularibus eos priuilegijs, Codici Iuſtinianæo adhuc inſertis, donarit: eorúmque ſtudia, inter maximos labores bellicos propenſiſſimè iuuerit, curans ex Græco atque Arabico optimos quoſque autores in eorum commodum conuerti. Quæ ergo ingratitudo eſſet, res tanti Herois, quo nullus multis ſeculis, de literis earumq́ ſtudioſis præclarius eſt meritus, interire: inq́ earum locum falſa atque conficta Pontificũ, eorumq́ adulatorũ mendacia, ſubſtitui permittere? Non hanc gratiã Pierides ſuis patronis referre conſueuere, nec tam turpis ingratitudo in literarum ſtudioſos cadere debet. Ac ut in eo quod mei officij fuit, ut-

cunq;

cunque me præſtitiſſe autumo: ſic optarim alios, cognitione rerum, quæ in hiſce Epiſtolis deſcribuntur, debitam optimi Imperatoris manibus gratiam perſoluere: tunc haud dubie, me ſuſcepti laboris atq; conſilij minimè pœnitebit.

His ergo, quas dixi, cauſis adductus, ſex Epiſtolarum Petri de Vineis libros, nomine Imperatoris Friderici ſcriptos, in lucem eruere atque proferre uolui, ſperans hanc operam meam bonis ac pijs probatum iri, aliorum iudicijs neglectis: quòd nihil tam bene dici, tam cautè ſcribi, uel tam honeſta ratione ſuſcipi poſſit, quod eorum maleuolæ reprehenſioni ac ſycophanticis calumnijs non ſit obnoxium. Quid autem in hac editione præſtiterim, ij cognoſcent, quibus Epiſtolæ hæ manuſcriptæ uiſæ fuerint. Nam cum earum quatuor exẽplaria habuerim, ita mendosè ac mutilatè pleraque ſcripta fuere, ut niſi clariſſimi uiri ac Iureconſulti celeberrimi, IOHANNES FICHAR-

DVS

DVS, & NICOLAVS CISNERVS, *pro ſua inſigni humanitate, mihi ſua exemplaria communicaſſent, meis longè emendatiora, ſæpius nullum ſenſum elicere licuiſſet. At eorum diligenti collatione cum meis id factum ſpero, ut uerus Epiſtolarum ſenſus à quolibet, nō penitus hebete, percipi queat.*

Tibi uerò, mi clariſsime HALLERE, *hos libros Epiſtolarum peculiariter inſcribere uolui, quod fortiſsimi Imperatoris Epiſtolas, à magno Cancellario ſcriptas, nemini rectius, quàm tibi, dedicari poſſe ſtatuerem: qui apud tres maximos ac præſtantiſsimos Imperatores Secretarij munere, in arduis negocijs Imperij functus, non exiguam fidei, dexteritatis, atque prudētiæ laudem es conſecutus. Gloriæ* CASPARI SCHLICKIO *datur, quòd trium Imperatorum continuata ſerie Cancellarius fuerit. at tanto tibi uirtutis ac dexteritatis teſtimonium illuſtrius erit, initio Maximo*

mo CAROLO V, *deinde iuſtiſsimo* FERDINANDO, *iam* MAXIMILIANO II, *prudentiſsimo Imperatori, in maximis ac grauiſsimis Imperij cauſis à ſecretis fuiſſe: quanto horum actiones, rebus Cæſarum Schlickij, difficiliores, ac illi hiſce omni uirtutum genere præſtantiores fuere. Quare cum hoc mecum conſiderarem, has Epiſtolas cum nominis tui mentione publicandas exiſtimaui. Acceſsit deinde, quod cum aliquot annis familiaritas inter nos fuerit, talem candorem, ſinceritatem, fidem atque conſtantiam in te expertus ſim, ut tua in me beneuolentia, ad teſtificationem mutuæ uoluntatis me impulerit. Etſi autem eam alijs rebus, quàm dedicatione harũ Epiſtolarum declarari maluiſſem: tamen eam tibi minimè ingratã fore confido: quòd in hiſce Epiſtolis ueſtigia earum rerum contineantur, quæ animos noſtros coniunxere, & in poſterum (Deo uolente) in mutua amici-*

 mici-

micitia conſeruatura ſpero. Te quàm rectißimè uiuere & ualere opto: ac ut hanc compellationem, pro noſtra amicitia, æqui boniq́ conſulas, oro. Baſileæ, XVI *Martij, Anno*

1566.

DE VITA PETRI DE VINEIS.

PEtrum de Vineis Iohannes Tritemius, in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Teuthonicum fuiſſe ſcribit: adductus fortè ratione cognominis, quod à Vinea celebri Sueuiæ monaſterio, non procul à Rauenſpurgo ſito, illi impoſitum eſſe uidetur. Alij uerò, & mea quidem ſententia, rectius, Italum, & quidem Capuanum fuiſſe ſentiunt: moti authoritate Epiſtolæ 45, quæ de laude ipſius, libro Epiſtolarum tertio continetur. Sed ſiue Germanus ſiue Italus fuerit, uir doctrina, ingenio ac eloquentia, ſua ætate, omnium ſcriptorum teſtimonio, præſtantiſsimus fuit. Quare Fridericus, eius nominis ſecundus, eo Cancellario electo, in rebus difficillimis atq; grauiſsimis eius opera eſt uſus: eiq; muneri dum præfuit, hos ſex libros Epiſtolarum ex perſona ſui Imperatoris conſcripſit: & Apologeticum de poteſtate Imperatoris & Papæ, quem Innocentius Tertius refutaſſe ſcribitur, edidit: & Friderico à Gregorio Nono pontifice excommunicato, orationem de Anathemate & Romana eccleſia, in die glorioſæ reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, Patauij habuit. Cæterùm cum totum ferè terrarum orbem nominis ſui fama compleuiſſet, Friderico in Victoriæ obſidione à Parmenſibus uicto, proditionis in dominum agitatæ, ut Collenutius ſcribit, inſimulatus, uitæ exitum triſtiſsimum, planeq; tragicum ſortitus eſt. Comprehenſo ſiquidem Imperator Miriati oculos erui iuſsit. Vnde ipſe conſcientiæ ſtimulis agitatus, nec ſine luminibus uiuere ſuſtinens, ſibimetipſi mortem in publico omnium conſpectu conſciuit: hoc fine

ſuo inſigne imbecillitatis humanæ naturæ exemplum præbens: quæ tanta eſt, ut & uirtus, cuius, iuxta Sophoclem, βέβαιαι ἔισιν αἱ πίστεις: quáque nihil ſtabilius uel firmius cenſetur, ab ea uicta, uel languefieri, uel penitus extingui ſæpius conſpiciatur. Vt cùm in aliorum, tum uerò in Themiſtoclis, Pauſaniæ & Manlij Capitolini exemplis patet, qui rebus pro patria præclarè geſtis, tandem uirtutis ſuæ laudem turpi ad hoſtes defectione, & peruerſis machinationibus in patriam, obfuſcarunt. Hoc itaque agnoſcentes, à filio Dei aſsiduis uotis & gemitibus conſilia noſtra regi, noſtramq; infirmitatem diuino auxilio iuuari petamus. Sine hac namque nec ſumus, nec poſſumus quicquam.

Etſi autem nec in Friderici Imperatoris factum, tale in Petrum Cancellarium exemplum ſtatuentis, nec in huius innocentiam, de qua exigua argumeta apud Hiſtoricos extant, diligentius inquiro: tamen minimè ab hiſtoria utriuſque alienum fuerit meminiſſe, ſæpe etiam uiros fide & innocentia præſtantes, gratia regum ac Principum, quam ſibi benefactis peperiſſent, minima occaſione lapſos, atque in falſam ſuſpicionem uocatos, uitæ periculum ſubijſſe: ut omnium gentium hiſtoriæ id abundè teſtantur.

Quantus uir Parmenio apud Alexandrum fuit, tamen optimus ſenex tam de patre, quàm filio rege præclarè meritus, cum filio Philota miſerabiliter necatur?

Euſenidem tanta apud Ptolemæum regem gratia florentem, ut nihil ad eam accedere poſſe putaretur,

rex cum muliere à ſe adamata colloquentem deprehendẽs, ante ædes eius uenenato poculo extinctæ ſtulta Zelotypia ſuſpendi iubet.

Alcimenides referente Plutarcho, Pannonianum in tantum faſtigium euectum, ut ſolus regni negocia, magno cum Reipub. commodo atque honore adminiſtraret, locum uenationis, ibi, ubi ipſe aſſereret eſſe negantem, præcipiti ira accenſus, eodem ductum capite truncat.

Philippus rex Macedonicus, Aratum Sicyonium, uirum ſapientia, iuſticia ac moderatione inſignem, cuius conſilio multa præclarè geſſerat, unà cum filio ueneno tollit.

Valentinianus Imperator Aetium præſtantiſſimum ducem, cuius opera ingentes Attilæ copias in campis Catalaunicis profligarat, falſa ſuſpicione motus interimi curat.

Et quas Iuſtinianus in celeberrimum ſui temporis ducem Belliſarium cauſas ſæuitiæ alias, præter falſas ſuſpiciones habuit, cum eum poſt deuictos Vandalos ac Perſas omni dignitate oculisq; priuatum, ad ſtipem mendicandum compulit?

Iuſtinus quoque Iuſtiniani ſucceſſor, non alijs cauſis quàm falſis ſuſpiciõibus, inductus, Narſi Perſamenio ſummo duci, cùm Italiam ſedecim annos magna dexteritate rexiſſet, imperium abrogat, durius cum ipſo acturus, ſi ad penſa in gynæceo abſoluenda redire, quàm Neapoli priuatus uiuere maluiſſet.

Prætereo hic libens Seianum, Paulianum, Cleandrum, Eutropium, & alios, quorum prior apud Tyberium

berium, alter apud Seuerum, tertius apud Commo-dum, ultimus apud Theodoſium ſecundum, Impera-tores, ſumma gratia atque potentia cum ualuiſſet, om nes inconſtantiæ fortunæ aulicæ, magis diuino iudi-cio, quam Imperatorum ſuorum culpa, peßimi ſyco-phantæ, exemplum fuêre. Sed priorum fortuna, quæ innocentia probata, ac cum ingratitudinis aulicæ ex-emplo coniuncta eſt, ob oculos propoſita, agnoſca-mus, Pyndarum Pythiorum hymno quarto, uerißi-mè ſcripſiſſe: hoc ferè accidere uiris de Repub. bene-meritis, ut pro beneficijs peßimã gratiã auferãt. cum ut idem alibi inquit, antiqua gratia faci e dormiat, & homines ſint immemores: ſimulq́; recordemur, po tentum familiaritatem periculoſißimam. Quia cum uelint excellere & coli, nec quiſquam adeò circum-ſpectus & cautus ſit, ut non interdum aliquid dicat, aut faciat contra eorum uoluntatem, facile offendun-tur, & offenſi ſpe & opinione multorum, citius cupi ditati uindictæ frenos laxant. Imò, quemadmodum in uulnere prius apparet ſanguis, quàm plaga: & quemadmodum prius emicat fulgur, quàm tonitru audiatur. Ita ex ſententia Plutarchi, apud Tyran-nos, hoc eſt, (interprete Eraſmo) Principes ferè om-nes, prius erumpit condemnatio, quàm probatio, & perijt delatus prius quàm coarguatur. Vnde ueteres Græci, referente Suida, rectißimè præcepêre: Ἀλεῦ ἀ-πὸ μείζονος ἀνδρὸς, Maiorem uitato uirum. Et Salo-mon Prouerb. cap. 23. Idem admonens inquit: Cum ſedes ut comedas cum potente, ſis cautus, & ponas cultrum in gutture tuo, ut ſerues animam tuam. Et i-

dem non ſine graui cauſa dixit, iram regis, nuncium eſſe mortis. Extant quoq; ea de re *aliæ admonitiones hinc inde, inter quas præ cæteris* Ouidij *non tã poeticæ quàm politicæ mente tenendæ ſunt cum ſcribit:*

Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
Expertus metuit. *Item alibi:*
Vſibus edocto ſi quicquam credis amico,
Viue tibi, & longè nomina magna fuge.
Viue tibi, quantumq; potes prælustria uita:
Sæuum prælustri fulmen ab arce uenit.
Nam quanquam ſoli poſſunt prodeſſe potentes,
Non proſunt, potius pluimùm obeſſe ſolent.
Effugit hybernas demiſſa antemna procellas,
Lataq; plus paruis uela timoris habent.
Aſpicis ut ſumma cortex leuis innatat unda,
Cum graue nexa ſimul retia mergat onus.

Nec illa Senecæ *præclara ſententia omittenda eſſe uidetur:*

Stet quicunque uolet potens,
Aulæ culmine lubrico:
Me dulcis ſaturet quies.
Obſcuro poſitus loco,
Leni perfruar ocio.
Nullis nata Quiritibus,
Aetas per tacitum fluat.
Sic cum tranſierint mei
Nullo cum ſtrepitu dies,
Plebeius moriar ſenex.
Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus.

Ignotus

 13

Ignotus moritur ſibi.

Et quidem hæc ita uera ſunt, ut qui uelit huius commonefactionis exempla, non ſolum ea in hiſtorijs ſuperioris ætatis facilimè inuenire, ſed & ad aulas potentiores oculos circumferens uiua exempla intueri poßit. A quorum commemoratione cum ob alias cauſas, tum uerò & hanc libens abſtineo: quod ea plures offendi, quàm inconſtantiam fortunæ aulicæ oſtendi, uerear. Ideoq; ea omiſſa, uice colophōis Plutarchi ſententiam in uita Arati ſubijcio, omnibus gratia & autoritate apud magnates florentibus perpetua memoria tenendam. Amicitiæ (inquit) regum ac tyrannorum feruentes ac repentinæ ſunt, & ardore quodam amoris ſubito incenduntur: ſed labefactari expugnariq; facile poſſunt, & ueluti uentis inuidiæ, atque flatibus calumniæ aßiduè agitantur. Nec minus eleganter quàm uerè grauißimus autor, & præſtantißimus hiſtoricus Polybius, ſub initium libri quinti in hiſtoria Apellis hac ſentētia utitur: Βραχεῖς γὰρ δὴ πάνυ καιροὶ, πάντας μὲν ἀνθρώπους ὡς ἐπίπαν ὑψοῦσι καὶ πάλιν ταπεινοῦσι: μάλιστα δὲ τοὺς ἐν τοῖς βασιλείοις; ὄντως γάρ εἰσιν οὗτοι παραπλήσιοι ταῖς ἐπὶ τῶν ἀβακίων ψήφοις, ἐκεῖνοι τε γὰρ κατὰ τὴν τοῦ ψηφίζοντος βούλησιν, ἄρτι χαλκοῦν καὶ παραυτίκα τάλαντον ἰσχῦσιν: οἵτε περὶ τὰς αὐλὰς κατὰ τὸ τοῦ βασιλέως νεῦμα μακάριοι καὶ παραπόδας ἐλεεινοὶ γίνονται. *Id eſt: Quàm parua temporis interualla homines in excelſo faſtigio collocant? & eoſdem rurſus ad extremam miſeriam ac calamitatem redigunt? atque eos maximè qui in aulis principum uitam agunt? Hi etenim*

ſimiles ſunt ſuffragijs, quæ in publicis conſilijs dari ſolent. Nam ut illic pro eorum qui conſulunt, uoluntate, quæ modò ænea fuerunt, mox aurea dantur, ita qui regias principum ſequuntur, pro regis uoluntate nunc beati, mox miſeri fiunt.

Et de his ſatis.

FINIS VITAE PETRI DE VINEIS.

FRIDERICI IVNIORIS, HVIVS NOMINIS Secundi Imperatoris uita, ex hiſtoria Neapolitana Pandulfi Collenutij,

Conuerſa à SIMONE SCHARDIO *LL. Doctore.*

HEINRICO Sexto regi Neapoleos atq; Siciliæ defuncto, filius Fridericus, nominis eius ſecundus, ſub cura & adminiſtratione matris degens ſucceſsit: quæ mariti exequijs Panormi peractis, filium Fridericũ, qui apud duciſſam Spoletanam educaretur, ad ſe traduci, eumque nondum tres annos egreſſum, regem Siciliæ utriuſque inungi curauit, nomine ipſius regni adminiſtratione cũm tutela aſſumpta. Verùm talis gubernatio motuum diu expers eſſe nõ potuit. Nam uix anno à morte Heinrici trãſacto, Marquardus quidam, quem Heinricus rex ducem Rauennæ & marchionem Anconitanum conſtituiſſet, ab Innocentio Tertio pontifice eiectus, uerbis alumnum atque tutorem Friderici profiteri, re autem ipſa uiam ad regnum occupandum affectare cœpit:

Marquardi rebellio: fuit uero ei cognomẽ Anuuler.

Apulis partim dolo & fraude, partim ui ad ſuas partes pertractis.

Conſtantiæ mors.

Quo Conſtantia animaduerſo, eum hoſtem regni declarauit, omnibus regni ſubditis ut talem eum habeant præcipiens. Sed rebus regni iam ita turbatis, accidit ut Conſtãtia aduerſa ualetudine correpta, ex mortali uita ad cœleſtem migraret, filio Friderico trienni Innocentij pontificis & ſedis Apoſtolicæ tutelæ commiſſo.

Fridericus tutelæ pontificis committitur.

Põtifex haud grauatim tutela regij pueri ſuſcepta, initio Girhardum ſancti Adriani, poſtea Gregoriũ de Galgano S. Mariæ in porticu, Cardinales legatos in Siciliam dimiſit: qui nomine ipſius regni gubernationi præfuere: idque fide optima. Tentabat interea Marquardus pontificem corrumpere, eumque in partes ſuas pertrahere, ei uiginti millibus uncijs auri, cum homagio (quod uocant) oblatis: ac ne id ei facienti prætextus deeſſet, maximè regis & regni tutelam adminiſtranti, onus probandi in ſe recepit, Fridericum ex Heinrico & Conſtantia non eſſe prognatum, ſed ſubditicium atque ſuppoſitum. Verùm à ſpe conatuque depulſus eſt pontifex. namque ea perfidia reprobata, eum ui armiſque regno expulit: ita ut unà cum regni affectati ſpe, nominis quoq; ipſius fama euanuerit, atque extincta ſit.

Marquardus inglorius moritur.

Philip-

Philippus Sueuiæ & Hetruriæ dux, patruus Friderici,& tutor, in hoc rerũ diſcrimine rebus nepotis nihil auxilij adferre potuit.Quòd cum Imperij principes, poſt mortem Heinrici de eligendo nouo Imperatore diſſentientes: hi Otthoni Quarto duci Saxoniæ,papæ & regis Angliæ fauore nitenti:alij Philippo, regis Galliæ auxilio ſulfulto,ſuffragia contuliſſent:ipſe maioribus negotijs diſtineretur, & tandem poſt multa prælia atque incommoda fortunæ grauioris,proditoriè ab Otthone de Vuittelſpach trucidaretur. Interea itaque dum rex ſub adminiſtratione uicarij & legati Apoſtolici eſſet, Marquardus è regno pelleretur,ac Philippus in Germania occũparetur, motus nouus memoratu digniſſimus in regno Neapolitano exoritur,modo ac ratione ſequenti.

Cædes Philippi Imperatoris,ducis Sueuiæ.

Sibylla,mulier ex genere Tãcredi Normãni orta,mater Guilhelmi Caſtrati, quã ſuperius cum filio in Germaniam relegatam oſtẽdimus, Heinrico Sexto defuncto, interim dum & imperium & regnum Neapolitanũ diſſenſionibus agitaretur,ex cuſtodia elapſa, unà cum filia ad pontificem uenit:cumque oſtendiſſet,regnum Siciliæ omnis iuris ac æquitatis ratione ad filiam ipſius,per ſucceſsionem Tancredi & Guilhelmi ſpectare, ſubſidium pro filiæ eloca-

 tione,

tione, & regni recuperatione petijt papa, uirium ſuarum tenuitate ac infirmitate ad tantæ rei confectionem prætenſa: eam ut in Galliam contenderet animauit, ad hoc omni ope ac opera promiſſa. Cum itaque Sibylla in Gallias appulſa, Philippo regi cauſam aduentus, & pontificis conſilium expoſuiſſet: ille, regni proceribus Meluni ad Sequanam conuocatis, Sibyllæ cauſam propoſuit, ac fortunam periclitaturo ſubſidium liberale atque conueniens pollicitus eſt.

Pontificia fides erga pupillum.

Erat inter alios proceres eques Cãpanus, genere, nobilitate ac animo maior quàm diuitijs, Gualtherus baro Brennæ, oppidi in comitatu Barri, ad amnem Arihá, filius Gerhardi comitis Brennæ, & frater Iohannis Brennenſis, eius qui poſtea rex Hieroſolymitanus factus eſt, cuiusq; fortè mentio deinceps fiet. Hic tantæ rei mole ſuſcepta, & ſibi deſpõſa filia Sibyllę natu maiore, à rege Galliç uiginti mille libras Parrhiſienſes in ſubſidium accepit: ac cum ſexaginta equitibus, & quadraginta alijs miniſtris ſtabularijs in Italiam ad pontificem profectus, ab eo opem auxiliumque, uigore promiſsionis ſocrui factæ, petijt. Cui pontifex, cognito quot homines ſecum duceret, reſpondit: Hunc numerum longè minorem eſſe, quàm qui tribus millibus

Gualtherus Brennenſis.

equi-

equitũ exercitatiſsimorũ opponi poſsit. Ei uerò reſpondẽti,ſe plus fiduciæ in Deo & æquitate cauſæ,quàm in numero hoſtium reponere:papa,qui Germanos ægerrimis atque moleſtiſsimis oculis in regno uideret,ait,ut diuino auxilio fretus in hoſtes tẽderet, Deum etenim ei minimè defuturum. Ac ſtatim nuncijs & literis ad omnes regni principes miſsis, eis ſub pœna excommunicationis præcepit,ut Gualtherum regem reciperent: ipſeque literas pontificales ſubſecutus, liberè in regnum Capuam uſque nemine obſtãte peruenit, ciuitatibus atque caſtellis quibuſdam deditione receptis. Cęterùm alij,qui ipſum dominum auerſarentur, numero circiter ter mille,Capuę eum obſederunt. Ipſe itaque,qui ultra ducentos equites non haberet,maxima parte ipſorum in oppidis partis diſtributa,eruptionẽ in hoſtes faciens, multos nobilium partim cepit, partim occidit. Inter quos fuerunt Comes Caſertanus,Soranus,Celanenſis, Aquinas, & Seuerinas, cũ multis alijs proceribus regni.

Victoria Gualtheri

Ab hac uictoria multi procerũ cum Gualthero pacem fecere:& ipſe,quo res ſuas firmaret atque muniret,quãdam ſuarum neptium nomine Margaritham, Bernhardo comitis Petri Celanenſis filio in uxorem tradidit.Ac mox in Apuliam tranſgreſſus,

multa loca tranſactione obtinuit: & quoſdam primatium congregatos prope Barletam in fugam compulit, ita ut plerique ipſorum de compoſitione cogitarent: qui fuere, Iohannes comes Tritarici, cui Gualtherus uxoris ſororē elocauit: altera quadam nomine Conſtantia, Petro Ziano Venetiarum duci decrepito, poſt mortē prioris uxoris deſponſata, qui ex ipſa prolem maſculam atque femellam ſuſtulit.

Itaque Gualtherus non tantum Apulię & Terrę Laboris maiore parte, ſed & autoritate ſingulari parta, ſtatuit ire ad opprimendum debellādumque comitem Diepoldum Germanum, quem ſuperius diximus fuiſſe præfectum gubernationi Apulię ac Terræ Laboris ab Heinrico, propterea quòd primo conflictui ad Capuā facto interfuiſſet.

Diepoldus inuaditur.

Cęterùm Diepoldus ſentiens, ſe non instructū ijs uiribus ac copijs, quibus Gualthero occurreret, quibuſdam locis ratione qua poſſet meliore munitis, Sarnum ſeſe recepit, unà cum comite Godfrido: ibiq; copias collegit.

Gualtherus cognito quòd Diepoldus ſeſe Sarni muniſſet, eò cū exercitu contendit, eumq; longa & arcta obſidiōe præſsit. Qua de cauſa Diepoldus ſe in anguſtias redactum eſſe, potentiamque Gualtheri

indies

indies augeri conſpiciēs, quaſi deſperatus extremam fortunam experiri ſtatuit: & quodam mane eruptione cum centū equitibus, totidemq; peditibus facta, caſtra hoſtium adortus, Gualtherū in lecto adhuc iacentem deprehendit. qui cum clamore ac ſtrepitu excitatus ſeſe armare, ac iā brachia manicis capiti ſuperinductis inſerere uellēt, funes tentoriorum præfecti capiti eius inciderunt. manicis itaque nondum indutis inuolutus, & caſu tētorij obrutus, in manus hoſtium uenit. Nam cum exercitus, qui ipſum cæſum exiſtimabat, fugæ ſe daret: Diepoldus ex occaſione tentorio detecto, eum unà cum alijs cepit, atq; Sarnum in cuſtodiam tranſmiſit, cubiculario Reinaldo Senenſi ei appoſito, uno captorum cum ipſo: ac medicis Salerno accerſitis, in eo curando nihil diligentiæ prętermiſit. Gualtherus capitur.

Porrò Gualthero ea ratione capto, Diepoldus quodam die uiſendi gratia eum accedit: & à multis hinc inde ſermonibus habitis, ei dimiſsionem ex carcere, regniq; deditionē ea conditione pollicetur, ut ſibi ſtatus quo fungeretur, ſub fide homagij, quam offerebat, confirmaretur. Gallica ſuperbia atque ferocia.

At Gualtherus, qui elatiore animo eſſet quàm pręſens tempus ferret, intempeſtiuè reſpondet: neque potentiam, neque

honorem tantum in toto inueniri terrarũ orbe, quæ è manibus tã uilis & abiecti hominis, qualis ipſe eſſet (Diepoldũ intelligens) recipere dignaretur.

Diepoldus itaque non iniuſta indignatione ad hęc uerba accenſus, cum fortè gladiolum ſcriptorium ad ungues præcidendos in manibus haberet, eo faciem Gualtheri trãſuerberauit, hac addita uoce: Quẽ de te, ô improbe atque ſceleſte, facis? quò hæc tua rabies atque ſuperbia tãdem euadet? in mea poteſtate ac manu cum ſis, ecquid iniuriam mihi inferre non uereris? Verùm, hanc magno tibi conſtituram, re ipſa experiere.

Gualtheri mors rabioſa.

Quapropter Gualtherus ita mente permotus eſt, ut ueſtibus atque panniculis, quibus eius uulnera obligata erant, dilaceratis, inteſtina quoque quæ è corpore per uulnera effluebant, diſrũperet, dicens: ſe amplius in tali miſeria uitam minimè tracturum: & obſtinatione rabioſa, medicationem, cibos & potum reſpuens, quarto die animam exhalauit, per ſtulticiam ac inſolentiam regno ac uita priuatus. Nec quenquam ex ſe reliquit, quàm uxorem & filium: qui poſtea ei in comitatu Brẽnenſi ſucceſsit. Diepoldus his rebus geſtis, quaſi dominus & adminiſtrator regni Neapolitani remanſit: donec Fridericus, ætate

adulta

adulta & corroborata regni, gubernacula ſuſcepit.

Verùm enimuero nec comite Gualthero extincto, pax regno ſtabilis, uel admodum diuturna fuit: diſcordia quidem, quæ inter Otthonem Saxonem, & Philippum patruum Friderici in imperio arſerat, ſopita, atque Otthone ſolo Imperatore. Is Romæ ab Innocentio, anno 1209. coronatus eſt: fide pontifici de hoc, & inter alia data, ſe quas terras Eccleſiæ teneret, eidem reſtituturum, nec illi ullam moleſtiam illaturum.

Verùm ſtatim die coronationē ſequenti, promiſsi oblitus, contrarium facere cœpit. Nam terras Eccleſiæ ingreſſus, eas in poteſtatem ſuam redegit: & pontifice inuito Romaniam, cum patrimonio Mathildis Salinguerræ Ferrarienſi, marchiam Anconitanā Azoni Aſtenſi, & ducatum Spoletanum cuidā Bertholdo capitaneo ſuo dedit. Poſtea regnum Neapolitanum inuadens, præter alia loca & Capuam cepit: & ibi hyeme tranſacta, omnia ad Calabriā uſque ſita occupauit. Quare Innocētius admonitione præcedente, eum anathemate notatum depoſuit, omnesq; ab eius obedientia & fide abſoluit. Pleriſque ergo, qui cum ipſo erant, maximè landtgrauio Thuringiæ, Saxonię duce, Bohemiæ rege, Otthonis IIII. in Germaniam reditus.

Moguntino ac Treuirenſi archiepiſcopis ipſum deſerentibus, atque cum copijs ſuis per Alpes Germaniam repetentibus, ipſe quoque ab incepto deſiſtere, & in Germaniam redire coactus eſt.

Fridericus II Imperator eligitur.

Otthone à conſortio Eccleſiæ excluſo, principes Germaniæ, qui Friderico in cunis iacenti fidelitatis iureiurando ad preces patris Heinrici ſeſe obſtrixerant, regis Galliarum conſilio accedente, Fridericum iuuenem optimę ſpei ac indolis, ætatis 20 annorum elegerunt Imperarorem, eíque legationem ſolennem miſere, quæ & cum pontifice de eo confirmando ageret, & Fridericum ad maturandum aduentum pro imperio ſuſcipiendo excitaret.

Legati fuere Heinricus de Niſen, & Anſelmus de Iuſtingen, uiri militares.

Erat Friderico uxor, regis Caſtiliæ ſoror, nomine Conſtantia, quæ affectione & ſollicitudine quadam coniugali, cum alijs optimatibus ſummoperè eum à profectione in Germaniam auertere, eiusq́ue propoſitũ mutare contendebat. Sed Fridericus, qui animũ generoſum gereret, & ex uxore iam filiolum nomine Heinricum ſuſtuliſſet, eo cum matre in Sicilia relicto, uirili magnoq́ue animo profectionem ſuſcepit: & cõſilio cum papa prius communicato, Genuam, ac inde honorifico & amplo comitatu inſtructus Papiam contendit, Mediolano tanquam domui Sueuicæ infenſo

ſenſo deflectens. Ex Papia Tridentum uſque, Papienſes & Cremonenſes eum fideliter deduxere. Inde uerò per uias difficillimas & aſperrimas (quòd regio ab hoſtibus eius occupata eſſe) in Germaniam ad Rhenum tranſijt: ibique terris Imperij acquiſitis, auxilio & ope regis Galliç Otthonem aduerſarium deuictum, ad eas anguſtias compulit, ut in Saxoniam ſeſe reciperet cogeretur, ubi inglorius obijt.

Rebus itaque in Germania compoſitis, Fridericus in Italiam redijt, & ab Honorio tertio pontifice incredibili pompa & congratulatione coronatus eſt, in die S. Ceciliæ ſacro, anno 1220. Eam coronationem liberali donatione remunerauit, & inter alia comitatu Fundenſi Eccleſiç perpetuo iure collato, promiſsionem, quam Aquiſgrani de ſubſidio Terræ ſanctç ferendo in prima coronatione feciſſet, confirmauit. Inde primogenitum filium Heinricũ octennem, in Germaniam ablegari, atque Aquiſgrani regem inungi curauit: eiq; nuptias Agnetis, filiæ Leopoldi Auſtriæ ducis, triennio pòſt celebrandas pactus eſt.

Fundenſis comitatus Eccleſiæ donatur.

Ab hoc in regnum Neapolitanum ſe cõtulit: ac quia Richardus & Thomas Anagniæ comites, Innocẽtij Tertij fratres, qui oppida quædam in regno tenebant, Ottonis partes ſecuti, inſcio pontifice conſilia

de

de regno Imperatori auferẽdo,nefaria cõſilia agitarant,ipſos punire ſtatuit. Vnde Sora cum arce capta, Richardum inde eiecit,eumque Capuę diu in uinculis tenuit: poſtea in Siciliam relegauit. Celanũ quoque ui cepit, & ſolo adæquauit, comite Thoma pulſo: qui Romam confugiens, à papa receptus eſt. Id quod Fridericus tam acri morſu doloris tulit, ut omnes incolas loci illius in Siciliam transferret. Deinde regno obito,Apuliam & Calabriã ad obedientiam redegit: ac rebus regni ordinatis in Siciliam traiecit,illam è manibus Sarracenorum erepturus. Valido itaque exercitu contra Mirabetum Sarracenum profectus, eum deuictum in crucem adegit, & omnia Sarracenorum conuenticula diſsipauit,ipſis partim in montes & loca deſerta,partim in regnum Neapolitanũ diſperſis.Et tandem rebus Siciliæ conſtitutis,in Apuliam redijt.

Thomas Anagniæ comes, à papa recipitur.

Lib 2.ep.13.

Dum uerò in regno Neapolitano hæret, Honorius pontifex eum anathematis fulmine ferit, ac Imperiali dignitate priuat:ex cauſa non plenè à ſcriptoribus commemorata. Blondus ſiquidem & Platina, in ſuis hiſtorijs nullam in ſpecie allegant: ſed ob maliciam, perfidiã & rebellionem Friderici,id ab Honorio factum eſſe,in genere dicunt. Epiſcopus uerò Auguſtanus

Fridericus ab Honorio excõmunicatur.

in

in hiſtoria Sueuica refert, ſententiã priuationis ob friuolas & leuiſsimas cauſas in Fridericum latam: cui & alij eius ętatis ſcriptores aſſentiuntur. Breuiter, certam cauſam huius cenſuræ mihi inuenire nullam licuit. Hoc conſtat, Fridericum, cum pręter meritum ita à põtifice ſe tractatum exiſtimaret, ab eo tempore parum Romaniſtarum amicitiæ uel fidei credidiſſe. Quare ut in futurum rebus ſuis conſuleret, & animos regnicolarum naturâ nouitatum auidos, & ad rebellionem propenſos, reprimeret, reliquias Sarracenorum, quos prius aſperrima perſecutione, hinc inde in montes & loca deſerta diſpulerat, cõtraxit: ijsque, ut Luceriam in Apulia dirutã reſtaurarent atque incolerent, permiſit. Quo facto, tãtus numerus Sarracenorum eò confluxit, ut uiginti millia armatorum ibi inuenirentur, quorum opera Fridericus exinde in omnibus bellis eſt uſus: & Luceria in hunc uſque diem Noceria Sarracenorũ dicta, litera L in N mutata: idque ad differentiam alterius Noceriæ, quæ eſt in Terra Laboris, prope Sarnum, nomen ſortita Paganæ. Noceria Sarracenorum.

Hæc dum in Italia gererentur, interea Soldanus Damiatam in Ægypto, & Hieroſolymã in terra ſancta, Chriſtianis oppreſſis, recuperat: ut in hiſtoria Oriẽtali legere eſt. Lib. 1. ep. 28 & 29.

Iohannes comes Brennenſis rex Hieroſolymorum.

eſt. Quapropter Iohannes comes Brennę rex Hieroſolymorum pro auxilio obtinendo Romam uenit, anno 1222. Et tãtum effecit, ut Fridericus in gratiam pontificis reciperetur, quo eum auxiliatorem haberet: motus & potentia eius, tunc omnium maxima, & fama inſigni de eo per totum terrarum orbem diuulgata. Ac ut eum uinculo arctioris amicitiæ ſibi deuinciret, ei filiã unicam, nomine Iolantam, Romæ uxorẽ dedit, & dotis nomine titulũ & omne ius regni Hieroſolymitani aſsignauit. Ex quo ſecundum aliquos, omnes ſubſequentes Neapolitani reges, regni Hieroſolymitani titulum, uerbis magis quàm re uſurparũt: nos tamen paulò inferius aliam eius rationem exponemus. Promiſit ergo Fridericus in ſubſidium Terræ ſanctæ ire: & quamuis ob infirmitatem & alias cauſas ultra annũ eius profectio differretur: tamẽ anno 1227 maximis copijs collectis, Brũduſio ſoluit, iter in Orientem dirigens. Sed non admodum longè progreſſus, exercitũ ijs qui ei omniũ maximè ducẽdo idonei uidebãtur, cõmittit: ac ex itinere in Apuliam redit, qua de cauſa incertum eſt, (nam hiſtoriæ de ea uariant) ſpem tamen nihilominus præbens in Syria degentibus, & omnibus eò tendentibus, ſe mox ipſorum gratia ſubſecuturum, ipſisq; cauſas reditus ſpecioſas

cioſas allegans atque adducens.

Porrò cum Fridericus primò Brūduſio ſolueret, Honorius iam ſupremum uitæ diem morte confecerat. Ei ergo ſuccedens Gregorius Nonus, anno 1227. in menſe Martio, Fridericum promiſſæ in Syriam traiectionis admonuit: & nihilominus, ut Ricobaldus memoriæ prodidit, omnes uias affinitatis cum Friderici filijs conſtituendæ, eſt perſecutus, ad quam ipſi nulla ratione induci potuere. Quæ res non ſolùm prima diſcordiæ inter Gregorium & Fridericum uidetur occaſio fuiſſe: ſed & una earum cauſarum, ob quas Fridericus de regni ſui ſtatu diffidens, & in regnum rediens, ibi diſsimulanter ſubſtitit. Gregorius itaque eo intellecto, cēſuraque Honorij contra Fridericum non tantum approbata, ſed & reiteratò geminata, ipſum anathematis fulmine notatum, imperij dignitate priuauit: ac interea Iolanta, filio Conrado relicto, mortalem uitam Deo naturęue reddidit.

Gregorius nonus Honorio ſuccedit.

Excōmunicatio Friderici Gregorio reiteratur.

Mors Iolātę.

Anno ſubſequenti, nimirum 1228. Fridericus cum ſtudio adimplendæ promiſsionis factæ, res ad profectionem neceſſarias ſic domi diſpoſuiſſet, ut omnium pontifex inſcius atq; ignarus eſſet, ex Italia cum potenti exercitu mouit: inque Cyprum, mox uerò in Iudęam peruenit, ibique tan-

ta

ta uirtute & authoritate res adminiſtrauit, ut Soldanus inducijs petitis, ipſi Hieroſolyma cum toto regno Hieroſolymitano reſtituerit, paucis caſtellis exceptis. Quocirca in medio quadrageſimæ, anno 1229. rex Hieroſolymitanus coronatus, ciuitatem Ioppen, quæ hodie Zaffo dicitur, reſtaurauit: eoque facto literas ac nuncios, pro recuperationis Hieroſolymorum, & pacificationis diuulgatione in Occidentē, præcipuè uerò ad papam miſit, orans, ut, cum re bene geſta uoto ſatisfeciſſet, anathematis uinculo exemptus, in gremiū Eccleſiæ reponeretur.

Fridericus rex Hieroſolymorum coronatur.

Gregorius, cui felicitas Friderici minimè grata eſſet, id facere renuit, prętendens pacem ab ipſo utilitatis proprię, non Reipubl. Chriſtianæ cauſa factam eſſe: & templum Hieroſolymitanum, in pacto induciarum Soldano relictum, quo Sarraceni in eo Mahumetem uenerari & adorare poſſent. Ideoque non tantum abſolutionem illi denegauit, ſed & ex Lombardia & Romania ingenti exercitu coacto, quam militiam Chriſti appellauit, ei Thomam comitem Celanenſem, quem antè à Friderico pulſum oſtendimus, & Pandulfum de Sauella cubicularium præpoſuit: atq; effecit, ut Iohannes rex Hieroſolymitanus, qui circiter hoc tempus ex Gallia uenerat, ad traijci-

Militia Chriſti nomine, re Sathanæ ac Antichriſti.

traijciendum in Syriam, unà cum alijs regnum Neapolitanum inuaderet, id Eccleſiæ conquiſiturus. Pandulfus ergo caſtellum inſulæ in aditu regni ſitum, Ioannes arcem montis Caſsini opera & proditione cuiuſdam abbatis cepit: & tot regni oppida partim ui, partim deditione in ſuam redegerunt poteſtatem, ut quęcunque inter Romam & Capuam ſita ſunt, patrimonio Eccleſiæ, ſumma cum lęticia & gratulatione papæ adijcerent. Alteri exercitui cui comes Celanenſis præerat, Raynaldus Germanus, quē Fridericus regni adminiſtratorē reliquerat, & Anſelmus Guſtinus mareſchallus eius, in marchia Anconitana ſeſe ad rigam Tranſonæ oppoſuere, eique tranſitum præcluſerunt. Ep.30.lib.1.

Fridericus cum hæc cognoſceret, ſibiq; pręmia indigna à Romano antiſtite tribui exiſtimaret, in Syria ſuo Seneſcallo relicto duabus triremibus diſcedit, & ſumma celeritate in Italiam renauigat: & Brunduſij circiter finem Maij, anno 1229 appellens, Barlettæ tres ſeptimanas ad recolligendum ſeſe, ſubſiſtit. Mox deinde, coniunctis cum Conrado Guiſtardo duce Spoletano, quem obuium ibi habebat, copijs, Iohannem, qui caſtrametatus erat Caiazzæ, pellit. Cumque iam in Germaniam pro euocando filio Conrado, & Leopoldo du

Fortè hic nō Conrado, ſed Heinrico legendum.

ce Auſtriæ miſiſſet, in Apuliam caſtris motis, omnia quindecim dierũ ſpacio recuperat, excepta Caieta, &arcib. S. Agathę, & S. Benedicti, quæ tamen paulo pòſt eius ditioni ceſsêre. Nec tantum iſta, ſed & uictoriam ſequente cupiditate uindictæ, per Germanos & Sarracenos, quos Luceria exciuerat, Beneuẽtum, loca urbi finitima, patrimonium Petri, ducatum Spoletanum & marchiam Anconitanam, cepit. Etſi uerò tam felici rerum ſucceſſu uteretur, nihilominus tamen ſuos legatos, archiepiſcopum Meſſanenſem, & magiſtrum ordinis equitum Teutonicorum ad papam miſit, qui de abſolutione & pace cum ipſo agerent. Id quod factum eſt. Nam cum Fridericus pedes Anagniam ſe contuliſſet, uoce pontificis imperatoriæ dignitati reſtitutus, & poſt expiationem papalis prandij communione dignatus eſt. Hæc in annũ triceſimum, atque triceſimum primum ſupra milleſimum atque ducenteſimum à Chriſto nato inciderunt.

Imperator põtifici recõciliatur, ſed non antè quã uncias auri cẽtum & uiginti millia ecclesiæ Romanæ, ob illata damna perſolueret. Naucl. gen. 41.

Anno deinde 1232. cum Comitia Rauennæ indixiſſet & eò filium Heinricum cum uniuerſis principibus Germaniæ euocaſſet, eò in menſe Nouembri maximo comitatu atque ſplendore uenit, inter alia multis animalibus peregrinis & Italiæ inſuetis ſecum adductis, qualia fuere: Elephantes,

tes, dromades, cameli, pantheræ, leones, Leopardi, falcones albi, bubones barbati, cum alijs rebus innumeris admiratione & ſpectaculo dignis. Sed tota hyeme fruſtra conſumpta, in ſtudio reducendi rebelles Mediolanēſes ad fidē, nec pontifice, prout Friderico ſpem fecerat, ueniente, Rauenna abijt: & tranſiens per nobile & celebre Comacchium (quod ita cuidam nominare libuit) Loretum, & Chioggiam, Venetias peruenit: ibique ampliſsimis honoribus exceptus, Aquileiam ſe contulit: ubi Heinricum filium, duces Auſtrię, Saxonię, omnesque Germaniæ principes obuios habuit, comitijs indictis adfuturos. Solenni itaque curia Rauennæ habita anno 1233 per mare in regnum Neapolitanum redijt: atque inde in Siciliam tranſmittens, totā eam obijt, deque ſeditioſis atque rebellibus, maximè Meſſanenſibus pœna ſumpta ſtragem non exiguam edidit. Lib.3.ep.5.

Rurſus anno 1234 Italiam petijt, atque rebus in Ducatu confectis Reatem uenit, ubi ſermonibus cum pontifice communicatis, expeditioni tranſmarinę, decennalibus inducijs cum Soldano finitis, ſeſe addixit: ac inde in regnum unde uenerat, redijt. Verùm certior factus Heinricum filium regem Romanorum, clàm cum Longobardis contra ſe conſpiraſſe, anno 1235 è Lib.2.ep.6.

Heinrici filij in patre Fridericum conſpiratio.

regno profectus, unà cum Apoſtolico & alijs multis legatis, cum Ariminum perueniſſet, omnes dimiſit: & naui conſcenſa in forum Iulij contẽdit, & inde in Germaniã: ubi frequenti conuentu acto, auxilio pontificis, qui ad principes Germaniæ pro ipſo ſcripſerat, Heinricum filium comprehendit, qui cuſtodiæ Sancti Felicis in Apulia datus, poſtea Coſentiæ hanc lucis uſuram reddidit. Ipſe, eodem anno, Iſabella regis Angliæ ſorore, per pontificis gratiam in uxorem ducta, quod ſanguine ei iuncta eſſet, filium ex ea Iordanum Rauennæ ſuſtulit.

Lib. 3. ep. 26.

Poſthac anno 1236. Fridericus per Veronam in Lombardiam tranſijt: multiſque locis ſubactis, rebelles domuit: & fauore operaque Salinguerræ, hominis in ijs locis plurimùm ualentis, Ferrariam ſibi adiunxit. quo partibus Cæſarianis non contemnendę uires acceſſere: propterea quòd omnibus, ex Sicilia, regno & Romania Friderico contra Mediolanenſes in ſubſidiũ ituris, tranſitus per Ferrariam pateret: & poſt eiectionem ac mortem Salinguerræ, egregiam ipſi operam nauarint Ferrarienſes, qui Salinguerræ partes ſecuti, & unà cum ipſo Ferraria expulſi, Mutinæ & Rauennæ exularunt: ita, ut paſsim eorum uirtutem in epiſtolis ſuis prædicet.

Ferraria dedita Friderico.

Tandem

Tandem anno 1237. in menſe Nouembri, Mediolanenſes clade iſta memorabili affecit: ad Curtem nouam. Nam cum Mediolanenſes ſe ibi ſuis confœderalis Brixienſibus, Placentinis, legato Apoſtolico, alijsque coniunxiſſent, ipſe acerrimo prę lio cum ipſis congreſſus, poſt egregia fortitudinis facinora edita, Lombardos confœderatos diſsipauit: Carocium Mediolanenſiũ, cum Petro Tiepolo patricio Veneto, ac ducis Venetiarum filio, Mediolanenſium pręfecto ac duce, quem illi Poteſtatẽ uocant, cepit: eumque captiuũ in Apuliã tranſmiſit. Parta uerò tam inſigni uictoria, in modum ducis triumphantis Cremonam ingreſſus, Carocium ſecum duxit, in quo dux Mediolenenſium brachio & collo funibus ad lignum alligatus erat, uexillis Lombardorum cónuolutis, atque ſequẽtibus innumeris captiuis. Trahebatur uerò Carocium ab elephante caſtellum geſtante, in quo affabrè & artificiosè facto, tibicines reſidebant, unà cum Imperialibus uexillis explicatis, & loco maximè cõſpicuo ſuffixis. Et his eum ad modũ præcedentibus in ſignum uictorię, Fridericus cum copijs ſuis ſequebatur. Fuit hæc tanta uictoria, ut in quadam epiſtola tunc tẽ poris de prælio commiſſo ſcripta, hæc uerba inueniantur: Nec occiſis ſufficiũt ſepul

Mediolanenſiũ clades ad Curtẽ nouã.

Petrus Tiepolus Mediolanẽſium dux

Lib. 2. ep. 1. Item ep. 50.

BIBLIOTECA ... ROM... VITTORIO ...

turę,nec Cremonæ palatia multitudinem
Lib.2.ep.35. capiunt captiuorum.Nihilominus tamen
ipſe Fridericus in quadā alia epiſtola, qua
papę & Cardinalibus uictoriam ſignificat,
tum captos tum mortuos decem millium
numero computari ſcribit.

Carocium. Nunc uerò pro clariori noticia rerum
commemoratarum, ſciendum eſt Carocium,quo eo tempore in Italia utebantur,
fuiſſe genus carri,ualde quidem amplum
& à multis paribus boum trahì conſuetum, circumdatum undique gradibus ad
modum tribunalis & ſuggeſtus, affabrè
elaboratum,multiſque ornamentis excultum, & coopertum: eo geſtabantur ſigna
& uexilla populi cuius Carocium erat,aliarumque ciuitatum cōfœderatarum. Et
erat Carocium in exercitu quaſi prætorium, aut tribunal quoddam commune,
ad quod ſe recipiebant milites, tanquam
ad curiam, & locum principalem totius
exercitus, & ubi magiſtratus & omne robur,meliorq́; pars exercitus ueluti in ſubſidio conſiſtebant. Atque tum quidem
exercitus prorſus credebatur fuſus, quando Carociū amiſſum erat.Prę omnibus autem alijs,Mediolanēſes,Bononiēſes, Parmēſes & Cremonēſes,Carocio uſos fuiſſe
inuenio,quo minus eſſent prompti ad fugam, conſpiciētes robur totius exercitus,
&

& uexilla facilè loco moueri nõ poſſe, aut aliqua fuga ſubduci, ob ipſius ædificij molem. Tale itaque erat Carocium à Friderico in triumpho Cremonæ inuectum.

Anno ſequenti, Gregorius pontifex incrementis atque ſucceſsibus Friderici offenſus: non obſtãte quòd hic omni humilitate, emendationem eorum quæ ſibi legitimè imputarentur, polliceretur, ut ex multis epiſtolis ad principes Chriſtianos & Cardinales emiſsis apparet: primò pacem inter Venetos & Genuenſes, de maris imperio diſcordes, conciliauit: deinde fœdus cum Venetis percuſsit, hac conditione, ut claſſem 25. triremium communibus ſumptibus adornarent, ad reducendum ſub Eccleſiæ dominiũ, regnum Neapolitanum. Exinde in die Oliuarum Fridericum è communione fidelium eiectum pronunciauit. Quibus is intellectis, res in Lombardia compoſuit Piſaſq; aduolauit, anno 1239.

Anno dein hunc conſequẽte, Veneti ex fœderis præſcripto, 25 triremes in Apuliã miſerunt, quæ 12 Friderici triremibus fugatis, Termolas, Campomarinum, Beſcias & Piſchiccias occupatas, igni ferroque deuaſtarunt: ad hæc unam nauem prægrãdem Friderici cum mille hominibus, quæ ſub montem S. Angeli in ſinũ Sipõtinum

ſubducta erat, ceperunt. Et tunc ex turre Tranenſi ſuper mare conſtructa, Petrus Tiepolus Venetus, dux, ut antè diximus, Mediolanenſium, laqueo ante oculos Venetorum ſtrangulatus eſt.

Petrus Tiepolus ſuſpenditur.

Inſuper eodē hoc anno, dum Fridericus Hetruriam tranſiret, regno opitulaturus, & circa Romam occuparetur, legatus Apoſtolicus cū maximo exercitu, nomine pontificis Ferrariam quinque menſibus obſedit, ut quidā memoriæ prodidêre: ubi præter Eccleſiaſticorum, ciuitatumq́; harum exercitus fuere, Mediolanēſis, Venetiarum, Brixiæ, Placentiæ, Mantuæ, earumq́; duces & prętores. Quinetiam dux ipſe Venetus, Azo marchio Aſtenſis, comes S. Bonifacij, Albericus Romanus, Paulus Trauerſarus Rauennas, cum omnibus ſuis copijs. Ad extremum ergo, cum nemo Ferrariæ ſuccurreret, anno 1240. de pace tractari cœptum eſt: qua, Salinguerra, qui Imperij nomine ciuitati præeſſet, fretus, ſub fide data ad colloquium legati è ciuitate exijt, id procurante Hugone Ramberti. Verùm cum ueniſſet, non obſtante fide uel honore clericali, interceptus, & Venetias miſſus fuit, ubi tandem dolore in carcere extinctus eſt, octuageſimo ętatis anno in tēplo S. Nicolai, humatus: cum Epitaphio, quod adhuc in monumento ipſius conſpi-

Ferrariæ obſidio de qua lib. 1. ep. 36.

conſpicitur. Ferraria uerò data eſt Azoni marchioni Aſtenſi: prætorque in ea deſignatus Iacobus, uel, ut alij prodidere, Stephanus Baduarus patricius Venetus. Ac tunc quidem feliciſsimo initio cœpit ducatus inclytæ & antiquiſsimæ familiæ Aſtenſis, in Ferraria. Initium ducatus Aſtenſis.

Verùm ut ad inſtitutam hiſtoriæ noſtrę narrationem reuertamur, Fridericus ex Thuſcia in regnum proficiſcẽs, plenus irarum Viterbium furore maximo contra Romanos tendit. Pontifex itaque eo perterritus, poſt multas conciones, ſupplicationes, exhortationes ad crucem aſſumẽdam, uitæque cœleſtis, omnibus contra Fridericum arma capientibus, pollicitationem factam, capita ſanctorum Petri & Pauli per uniuerſam urbem circũferri curauit: hoc miſerum popellum ad arma commouens atque impellens. tandem conflictu inter Cæſarianos atque Romanos ſub ipſa urbis porta commiſſo, atque Romanis inſigni clade affectis, Fridericus contra cruce ſignatos nihil crudelitatis prætermiſit. His enim quatuor plagas in modũ crucis infligi, aliis caput quadrifariam inſtar crucis diffindi, clericis ſimiliq́ue hominum generi coronam, clericalis dignitatis notam, ad uiuum reſecari, crucemq́ue ei imprimi iuſsit. Ea uerò Friderici aſperitas

pontificem incredibili mœrore affecit. At ille inde in Apuliam tranſiens Foggiæ ſubſtitit, ibique grandi pecunia conflata, ex regno Siciliæ & Italiæ, Luceriam uenit, & muros Beneuenti, montis Caſsini, & Soræ dirui, concremarique præcepit, quod incolæ contra ſe arma tuliſſent.

Aedificatio Aquilæ.

Eodẽ tẽpore cum habitatores Aminterni & Furconis oppidorũ dirutor in mõtibus Brutijs diſperſi eſſent, iuſsit ut collecti ſimul reſtaurarent oppidum Aquiſam, per quam opportunum defenſioni regni in iſtis regionibus, id quod Aquilam ad honorem Imperij, ut euidenter ex ipſius epiſtolis apparet, uocari uoluit. Hac ratione ciuitas Aquila cõſtructa eſt, quę breui tẽpore tã felici augmẽto creuit, ut hodie inter opulentiſsimas regni ciuitates connumeretur.

Fauẽtię obſidio de qua lib. 2. ep. 4.

Hoc facto Fridericus ex Capua diſcedens, marchiam Anconitanam tranſijt, Aſculoque direpto, rectà Rauennam petijt, ea mente ac intentione, ut totam Romaniam ſibi ſubijceret. Ac in fine Auguſti anno 1240. Fauentiam ciuitatem ambitus quinque milliarium Italicorum, in ijs regionibus plurimum potentem, firmam atque munitam, cui Michael Moriſinus patritius Venetus præerat, maximis copijs cinxit. Durauit hæc obſidio ad ſex mẽſes

per

per hyemem niuium &aquarum copia redundantem, ſumma animorum obſtinatione & domibus, tabernaculis ac pontibus factis, ita eſt continuata, ut exercitus quaſi in alia ciuitate collocatus ſub tecto degeret & oppidani deditionem facere cogerentur.

Rem porrò memorabilẽ in ea obſidione Fridericus fecit, ab Antonino in hiſtoria ſua relatam, quæ minimè mihi prætermittenda eſſe uidetur. Nam cum omnem pecuniam resque precioſas bellicis ſumptibus impendiſſet, penuriæque exercitus ſuccurrere uellet, monetã coreaceam cudi curauit, à latere uno ſua effigie, ab altero Imperiali aquila inſignitam, eiq; ualorem aurei Auguſtalis conſtituit, hoc mandato, ut ea, hoc precio ab omnibus uenditorib. & emptoribus expenderetur, & promiſſione publicæ uocis proclamatæ adiecta, quod qui quidquam iſtius monetæ bello finito, Cameræ Fiſcali offerret, aureum Auguſtalem recepturus eſſet. Id quod etiam inuiolabiliter obſeruatum eſt, inſigni argumento, ualorem & precium monetæ non natura, ſed hominum æſtimatione, lege, conſuetudiue ac opinione introduci.

Interea dum ita Fridericus bellis occupatur, Gregorius pontifex Conciliũ uniuerſale aduerſus ipſum Romę cõuocauit, cum-

cumque in Gallias miſiſſet pro eccleſiaſticis Occidẽtalibus euocandis, tres legatos Iacobum Cardinalem Preneſtinũ Galliæ, Ottonem Cardinalem S. Nicolai in carcere Tulliano, Angliæ, Gregorium de monte longo, Genuæ, legatos pro meliore ac commodiore rei effectione creauit. Qui mandatis confectis, cum Nicea è prouincia reuerſuri, ſecurè Romam itinere terreſtri uenire non poſſent, quòd ab exercitu Friderici uiæ obſeſſæ eſſent: Papa tantum effecit, ut Genuẽſes, quadraginta naues atque triremes, quibus Guilhelmus Brachius præfectus erat, ijs Romam conducẽdis deſtinarent. Fridericus hoc cognito, quaſdam ſuarum triremium cum Heinrico filio rege Sardiniæ Piſas miſit: Piſanisque mandauit, ut & ipſi quaſdam inſtruerent, & omnem diligentiam adhiberent, quo claſſe Genuenſium occurrente, prælatos comprehenſos in poteſtatem ſuam redigerent. Fecere quod iuſsi erant Piſani, & duce Hugolino cum rege Sardinię, in ipſo articulo obuiam progreſsi hoſtibus, intra Giglium & inſulam montis Chriſti, quæ inter portum Piſanũ & Corſicam iacẽt, in ipſos tertio die Maij, qua memoria crucis colitur, anno 1241, plenis uelis inuecti ſunt. Quamuis uerò prælati Brachium ſummopere rogaſſent, ut altum teneret, & nullius

pugnæ

pugnæ periculo ſeſe exponeret, ſed rectà mare ſulcaret: nihilominus tamē ipſe cùm mentis incitatione, tum uerecundia ductus, Piſanis cedere, ac conſilio Cardinaliū obſequi recuſauit. Vnde prælio atroci atque cruento commiſſo, Genuenſes tandem ſuccubuere: & tribus ipſorum triremibus unà cum hominibus & armamentis depreſsis atque ſubmerſis, 22 captę fuere: & in his tres legati, ac omnes ferè tranſalpini Latiniq;, qui ibi erant, prȩlati. Cardinales poſtea captiui Melphim deducti: cęteri p̄lati per carceres regni, (ſolis Gallicis, regis interceſsiōe dimiſsis) diſtributi ſunt.

Lib 1.ep.8. & 9. Item ep. 44 & 45. lib. 2.

Non mihi hoc loco uidentur prętereūdi, ridiculi atque iocoſi uerſiculi, à Iohanne Andrea, Iuris Canonici celeberrimo interprete, relati: quos Fridericus regi Sardinię reſcripſit, quęrenti quid de captis prȩlatis faciundum eſſet, qui hi ſunt:

Referuntur etiā à Gloſſa, in uerb. in galeis. c. ad apoſtolicæ. de ſent. & uerſ. iud. lib. 6.

Omnes prælati papa mandante uocati,
Et tres legati, ueniant huc uſque legati.

Et ob hoc tempore res Eccleſiaſticorū indies in peius ruere, & ad interitum inclinare cœpere. Nā unà cum prȩlatis maxima præda capta eſt: & omnes literæ quibus machinationes contra Fridericum continebantur, ſunt interceptę, quibus publicatis, ipſius cauſę mira gratia populique beneuolentia conciliata eſt.

Porrò

Porrò pontifex hoc tã inſigni detrimẽto accepto quendã Priorem S. Dominici, pro liberatione captiuorum ad Fridericum miſit. Cui is reſpondit, ſe ad illam neutiquã condeſcenſurũ, cum ſapientis non ſit precibus hoſtis obſequi uel aures præbere. Et quandoquidem papa nullum ſui perſequendi finem faciat, nec ſe ab ipſo, eiusq; complicibus perſequendis deſtituturum, & ita re infecta Priorem dimiſit. Poſtea rebus Romaniæ compoſitis, ad Marchiã ſeſe conuertit, & Peſaurienſes in gratiam recepit: Fanum obſeſſum diripuit, ſoloque æquauit. Inde in ducatum concedens, Todium deditione recipit, Narniam & S. Gemini oppidum deuaſtat, ac Reate nuncio accepto, de deditione Tiburtis, eò cum toto exercitu, inde autem in regnum iuit.

Gregorij mors.

Hac tanta rerum ſuarum calamitate atque ruina Gregorius conſpecta, menſe Augusto hanc uictoriam conſequente, annis animique mœrore confectus, è uita deſciuit. In eius locum ſuffectus Celeſtinus IIII. Mediolanenſis, in pontificatu dies octodecim uixit; ac poſtea ſedes Apoſtatica 21 menſes uacauit, antequam alius ei præficeretur.

Lib. 1. epi. 11.

Hoc rerum ſtatu Fridericus qui iam in regnũ ſeſe receperat, ualido exercitu contra Romanos rebelles per Aquæductuum

uiam

uiam redijt, magna ipſis detrimenta ad ipſa uſque urbis mœnia inferens. Sed motus precibus Cardinalium, qui prætendebant, non poſſe fieri legitimam electionē dum armorum ſtrepitu uicino terrerētur: & Cardinales duo, qui Melphis captiui erant, non dimitterentur: regnum pacificus repetijt, & ut Cardinales captiui cum alijs liberarentur, iuſsit. Cardinales qui Romę erant, cognito, quod capti uenirēt, uniuerſi ipſis Anagniam uſque obuiam proceſſere, ibique ſimul conuenticulo habito, in menſe Iunio anni 1243. Sinibaldũ Genuenſem ex nobili Fliſcorum familia, presbyterum Cardinalem in Lucina, celebratiſsimum Iureconſultum, ac Friderico in Cardinalatu amiciſsimum, elegerunt, ei nomē Innocentij IIII. imponentes. Nuncij lætitiæ eius electionis, ſumma cum contentione ad Fridericum ſtatim uenere. Sed ipſe alijs omnibus congratulantibus indoluit, atque ex compoſito quaſi prædixit, BONVM ſe amicum Cardinalem in acerrimũ hoſtem Romanum pontificem permutaſſe. Id quod & accidit. Nam cum Fridericus ad ipſum, duos legatos, pręcipuos in aula iudices Thadeum Sueſſanum, & Petrum de Vineis miſiſſet, totus ferè mũdus in ſpem uniuerſalis pacis erectus erat. Verùm interea Innocentius quendam Raynerium

Innocentius IIII. pontifex.

Hæc eſt natura Romaniſtarũ, ut quibus in paupertate degẽtes amici fuere, his ad honores euecti hoſtes fiant, nec amicitias tã fide, quàm cõmodis ſuis metiantur. li. 1. epi. 33.

nerium Cardinalem clàm cum hominib. armatis miſit, qui Viterbium Cæſarianarum partium, Imperio intercepit. Quocirca Fridericus contra Viterbienſes in patrimoniũ profectus, eſt: ſed quibuſdam Cardinalibus intercedentibus. Viterbium reliquit, & præſidio monti Flaſconis impoſito, ad Aquas pendentes iuit: ibiq́ue ſubſiſtens, imperatorem Conſtantinopolitanum Balduinum, qui eo tempore ſecum erat, comitem Ægidium Tholoſanum, aliosq́ue duos iudices aulæ prædictos, Romam pro pacis tractatione miſit. Quid in ſecreto actum ſit, nullibi memorię inuenio proditum: hoc tamen conſtat, dictos iudices unà cum comite Tholoſano, ex mandato authentico Friderici in ſacello Papali prælecto, iureiurando pollicitos, ipſum in omnibus pontifici obedientem fore. Quocirca Fridericus pro publica concione Princeps catholicus pronũciatus eſt; & fama emanauit, eum cum pontifice reconciliatum eſſe. Viæ quoque omnibus Romam ituris, apertæ ſunt. Verùm enimuero credibile atque conſentaneum eſt, tunc ſeptimana ſancta inſtante, hæc quaſi pręludia pacis atque concordiæ exhibita, multaq́; adhuc tractãda reliqua fuiſſe. Nam & poſtea tres dicti legati, ſępiùs Romã iere, & rediere, ad pacis tractationẽ abſoluẽdam: cumq́ue

Roma pacis tractationi incommoda.

cumque perſuaſi eſſent, dum pontifex Romæ commoraretur, pacem coire non poſſe, res eò deducta eſt, ut pontifex in ciuitatem Caſtellanam, & Imperator in agrum eiuſdem ueniret. Sic ergo duobus principibus ibi hærentibus, ut ex una in aliam aulam commearetur, pōtifex quodam die, legatis Genuenſium, qui ipſi congratulatum uenerant, clàm aſſumptis, Sutriū ſeſe ſubtraxit: atque curauit, ut triremes Genuenſium legatorum, quæ Hoſtiæ erant, ad Veterem ciuitatem ducerētur. Quo facto, nocte Vigiliam S. Petri præcedente anno 1244. legati, ac pōtifex, ſeptem comitatus Cardinalibus, alijſque epiſcopis atq; prælatis, habitu clericali depoſito, bene armati Sutrio tacitique exiere, & in Veteri ciuitate ſimul triremibus conſcenſis, Genuam uento proſpero profugerunt, Imperatore eluſo poſt ſe relicto. Qui hiſce papæ artibus conſpectis, ciuitates ad patrimonium ſpectantes & ubi uicinas præſidio munijt: & Piſas profectus, Petrū de Vineis ad res Parmenſium cōfirmandas miſit, ijs me tuens, quòd pontifex Innocētius illic mul tos, eoſque authoritate & potentia inſignes amicos haberet: & rebus Thuſciæ firmatis, Piſanorum nauibus, regnum Neapolitanum adijt.

Fuga papæ.

Innocentius è Genua Lugdunū deductus,

Cōciliū Lugdunenſe in Gallia.

ctus, uniuerſale ibi indixit Cōciliū, quo in choato, Fridericum, ut ad ſui defenſionem in Concilio compareret, pro publica concione diebus ſingulis, alta uereque pręconia uoce citauit. At ipſe tribus paſchatos diebus Capuæ celebratis, anno 1245. è regno profectus, Teranum quod in Ducatu eſt, uenit, ac inde ad excidium Viterbienſe ſeſe conuertit: ab eo Ameliam, Aquas pendentes, Senas & Piſas accedens, per Lucaniam & Pontremolium, Parmæ & Breſſellis applicuit: ubi Pado per pontē trāſmiſſa, Caſalas atq; Veronā tandē peruenit. Verū antequā Parma diſcederet, Patriarchā Antiochenū, qui recens è Syria uenerat, & archiepiſcopū Panormitanū, M. Thadeum Sueſſanū Iuſticiarium curiæ ſuæ, cum alijs duob. doctorib. Cremonēſib. ad Conciliū pro tractāda concordia inter Imperiū & Sacerdotiū ablegauit. Et ex alia parte Entio regi Sardinię, & Friderico principi Antiochiæ, filijs iniunxit, ut ad Placētiam excindendā ſeſe accingerent. Veronā cum appuliſſet, conuentū ſolenenem egit, cui pręter Cunradū filium, procerūq; Germaniæ, etiam Balduinus Imperator Conſtātinopolitanus interfuit: qui ad Conciliū uocatus eò per regnū & Marchiā uenit, gratia colloquendi cum Friderico; à quo honorificè tractatus, & hac admonitiōe dimiſſus eſt, ut

Legati Friderici ad cōciliū

ut animum pontificis, quantum poſſet, ad pacis atq; concordię ſtudium inflecteret.

Non lõgè pòſt quoque Imperator Cremonam uerſus mouit, animo inde Lugdunum eundi, ibique Fridericum filium, cuius antè mentio eſt facta, in ordinem equitum aſcripſit, eumque gladio manu propria cinxit. Pòſt honeſto comitatu iter Lugdunenſe ingrediens, Taurinum peruenit. Interea uerò oratores, quos Fridericus Lugdunum præmiſerat, apud pontificem, qui ad publicationem ſententiæ deproperaret, ſummo ſtudio inſtabãt, ut aduentum Imperatoris expectaret. Aſt, eo denegato, pontifex, qui ſtatutum cum animo ac deliberatum haberet, quid facere uellet, quò amicorum, quos multos, eosq; non paruæ authoritatis Parmæ habebat, periculis proſpiceret, ipſis ſecreto ſcripſit, ut etiamſi nudis Parma exeundum eſſet, ſtatim inde ſeſe, quanta poſſent commoditate, proriperent. Idque factũ eſſe cum intellexiſſet, ſine ulteriori dilatione, non audito uel Imperatore, uel cõditionibus, quas legati eius offerrẽt, admiſsis, fulmen ſententiæ depoſitionis in Fridericum eiaculatur. Et hoc tẽpore Gerhardus de Corregio cum tota ſua familia, & M. Bernhardus de Rolsi, Parma emigrarunt, unà cum patria, Imperij quoque partes deſerentes. Formulã depoſitionis inuenies infrà poſt uitã Friderici.

c 2 Frideri-

Fridericus ergo effrenatā pertinaciam atq; inſaniam pontificis conſpiciens,& ſe uoto fruſtratum moleſtè ferens, in Pedemontio ſubditis Imperij contractis, Mediolanenſes hoſtilibus incurſionibus inſeſtat:& Laudam ſe recipit, ubi ſingulis baliſtariorum Genuenſium, quorum circiter ſexaginta ceperat,oculum erui iubet: atq; exinde in Thuſciam tranſit, anno 1246.

Erat tum temporis Florentia in duas factiones ſciſſa,atque in armis.Vtraque ergo pro compoſitione Imperatorem adit,eius poteſtati atque iuri ciuitatem permittens. Quare comes Pandulfus,qui Thuſciæ nomine Imperij præſidebat, cum ſuo exercitu,& M. Thadeo Sueſſano ex Lugdunenſi concilio reuerſo, eò miſſus, res ciuitatis turbatas compoſuit: eique præfecit Fridericum filium Imperatoris, qui ciuibus ac incolis fidelitatis iuramento aſtrictis, in uicinia urbis, animi gratia aliquādiu commoratus, ac poſtmodum profectus, eam imperij dominio reliquit, inq; locū ſuum prætorem quendam Genuenſem ſubſtituit.

Conſpiratio procerum cō tra Fridericū: de qua ep.10. & ep 52 li. 2. Rurſus ep.19. & ep.62.lib.3

Cæterùm Imperatori interea in Senenſi ora maritima hærenti, aucupijsque indulgenti,quo animum curis & occupationibus grauioribus fatigatum,reficeret: procerum quorundam contra ſe conſpiratio dete-

detegitur. Eius principes Pandulfus de Faſanella,& Iacobus de Mora: ſocij ac complices erant Theobaldus, Vuilhelmus, & Franciſcus de S.Seuerino,Richardus &Robertus de Faſanella, Godefridus de Morra,& Giſolfus de Maima: inq; ſceleris nefarij ſocietatem pertraxerant quendam Andream Cigalam Friderico cum primis charum: eum ex compoſito contrucidaturi. Verùm antequam conceptum animo ſcelus perficerent,Pandulfus & Iacobus, qui in aula Imperatori adeſſent, à comite Caſertano, nuncium ſecretum ipſis mittēte, admoniti,euaſere: alij autem ſceleris participes in ducatu duo caſtella, Scalam nimirum & Capuacium occuparunt, inq́ue ijs ſe munierunt. Porrò miniſtri,amici & ſtipendiarij Friderici,qui in regione iſta erāt, cum omnibus uiribus ad perſecutionem proditorum ſe ſubitò accinxiſſent, intra paucos dies Scala potiti ſunt. In Capuacij uerò obſidione,cum ab ineunte uere uſq; ad finem Iulij hæſiſſent, id in poteſtatem redactum ſolo æquarunt, omneſq́ue eius incolas,nulla uel ſexus, uel ætatis ratione habita,ad internecionem occiderunt:proditoribus, qui in arcem confugerant, uiuiq́ue comprehenſi erant,pœna legis Pompeiæ de parricidis irrogata. Nam culeo inſuti,in quo canis, ſimia,gallus ac uipera

incluſa eſſent, in mari proiecti ſunt, ut omnium elementorum uſu priuati, uiui ab hiſce beſtijs ſibi inuicé infenſiſsimis, famis rabie efferatis, lacerarentur. Quantumuis autem ſubditi tanta fide uindictam nefariæ conſpirationis perſequerentur, nihilominus tamen Fridericus ſibi eo loci minimè cunctandum ratus, in regnum ſe contulit, res eius, nouitate huius facti turbatas compoſiturus. Et tunc præter Capuacium Altauilla quoque eſt diruta: & qui quarto ac quinto conſanguinitatis gradu proditores attingerent, hi oculis effoſsis exuſti fuere: ita ut uindictæ huius aſperitas ad ſenſum totius regni peruenerit.

Innocentius poſt ſententiam depoſitionis cõtra Fridericum latam, in eius locum landtgrauium Thuringiæ Imperatorem eligi curarat: uerùm Cunradus ita eum cohibuit repreſſitque, ut nunquã ſuperiorem Germaniam intrare potuerit, quin non multò pòſt electionem, eo extincto, Cunradus aliquot eius bona, ualoris centum millium marcharũ argenti, obtinuit. Quin etiam ab electoribus, papa mandante, in locum Landtgrauij Guilhelmo Hollandiæ comite Imperatore deſignato, & ille paulò pòſt cæſus interijt, ita, ut nullus, uel ante uel poſt Fridericum, Imperio potiri potuerit. Interim uerò dum hæc diſſenſio in Imperio

Duo Imperatores in locũ Friderici electi, breui tempore imperãt

Imperio flagrat, Fridericus proditoribus funditus deletis atque extirpatis, in Campum ualidiſsimis copijs progreſſus, iubet ut quilibet ad perdomãdos rebelles Lombardos in procinctu ſit: intellexerat namque papam uenturum eſſe Genuam & Mediolanum, cumque electo Imperatore nouo, Lombardiam & Romaniam recuperaturum: rumoresque in ijs locis à pontificijs diſſeminatos, ſe tam arctè in regno cõcluſum, ne inde exire poſſet. Itaque omnibus baronibus ducibus & legatis ciuitatum in unum contractis, concilium, uel potius comitium habuit, in quo ſe contra Lombardos iturum denunciauit: & regni uicarium Heinricum filium, ex regis Angliæ ſorore natum, conſtituit, ei compluribus baronibus, qui tam perſonã, quàm res eius conſilio moderarentur attributis. Fridericum nepotem ex primo genito filio Heinrico, eo qui in carcere interijt, ducem exercitus fecit, mille baliſtarios equites, totidemque armatos ei aſsignans: hoc mandato, ut in bellicis rebus, conſilio ſibi adiunctorum uteretur. Filium Fridericum Antiochiæ principem, Thuſciæ atque oræ maritimæ uſque ad fines Ducatus, Marchiæ & Romaniæ præfecit. Entium regem Sardiniæ & legatum generalem per Italiam renunciauit. Richardum comitem

Chreti. ac filium naturalem, ducem generalem Marchiæ, Ducatus & Romaniæ inſtituit, ac ſingulis certo militum numero aſcripto, eos iuramento obſtrinxit, quod probè fideliterque officium demandatum exequi & implere uellent: ſubditis dein quoque, ut ipſis plenam obediētiam præſtarent, ſeriò iniunxit. Rebus hac ratione diſpoſitis, conuētum ſoluit, & itinere, quo antea cú res Italas ordinaret, Senas, Piſas, atque Cremonam peruenit.

Fridericus ſecundò iter Lugdunenſe ingreditur.

Hic cum ratum fixumque ei in animo eſſet, Lugdunum adire, atque cum papa tranſigere, tantam cum togatorum, tum armatorum manum contraxit, quantam nullus uel antiquorum, uel recentium Imperatorum duxiſſe legitur. Hac itaque ſtipatus Cremona mouit, anno 1247. atque Taurinum adijt, ubi curia ſolenni habita, honorificam legationem ad regem Galliæ dimiſit, ei ſignificans, ſe non alia de cauſa Lugdunum ire, quàm ut pacem à papa impetret. Bidui itinere iā Camera eius Fiſcalis cum impedimentis & lixis anteceſſerat, quum nūcium accepit, à profugis Parmenſibus alijsq; rebellib. Imperij Brixiēſibus, Placētinis, & Apoſtolico legato menſe Iunio Parmam occupatam, Imperijq; prętorem Heinricum Teſtam, trucidatū eſſe. Ipſe ergo, qui hæc non abſq; technis pontificijs.

Lib 2. ep. 49

tificijs geſta fuiſſe facilè cōijceret, indignatione motus, iter Lugdunenſe intermiſit, & cum omni comitatu, quem ſecum trahebat, Parmā cōuerſus eam 60 hominum millibus obſidione cinxit: quoque eam ſecurius continuaret, è regione ciuitatis aliā VICTORIAE nomine, ex ligno & luto, breui temporis ſpatio conſtruxit: inq; ea tēplum S. Victori, tanquā patrono, conſecrauit, & nummos quos ibi cudi fecit, ab eo Victorinos appellauit. Erat longitudo ciuitatis octingentarum, latitudo autem ſexcentarum cannarum. Canna nouem cubitos continēre. Portas octo, & foſſas latas atque profundas circumquaque habebat, in quas riuos prius Parmam fluentes deduxit, & in ea ædes, curiam, forum, officinas, aliaq; conſtruxit, ita ut nihil ei ad formam uetuſtæ ciuitatis deeſſet.

Parma obſidetur.

Dum Parmam hac ratione obſeſſam teneret, geminæ uictoriæ nuncium habuit: alterum, à comite Roberto Caſtilionenſi, Imperij uicario in Marchia, exercitu papali, cui dux præfuerat quidā Marcellinus epiſcopus Aretinus, prope Oſimum profligato, captoque Marcellino, atq; in uincula miſſo, quatuor hoſtiū millia cæſa: cumque magno ipſorum numero, quàm plurima ſigna atque uexilla rebellium in poteſtatem redacta, maximè Anconitanorum:

inter quæ,& illud, quod Emanuel impera tor Conſtantinopolitanus ipſis, aliquando ab obedientia Friderici Barbaroſſę ſub tractis, magni muneris loco miſerat. Alterum nuntium de Florentinis fuit. Nam cum anno 1248 in menſe Ianuario, Guelfi & Gibellini ibidem ad arma conſurrexiſſent, & altera factionum, ignem ædibus al terius immiſiſſet, ita quod mille domus ar dore conflagrarāt: Gibellini in auxilium, Fridericum Antiochiæ principem uocarunt: qui cum Thuſciæ adminiſtratorem, non ultra duo milliaria à Florentia, ageret, ciuitatē ingreſſus, ei, loco patris Imperato ris, ſuccurrit. Guelfi itaque conſternati, bo nis omnib. mulieribus, ac liberis relictis, Bononiam profugerunt: cumque ad iurandam fidelitatem uenire detrectarent, per publicationem omnes ipſorum facultates cameræ Imperiali applicatæ, ædes dirutæ & complanatæ fuere. & ſic Florētia ſub dominio Imperij remanſit.

Verùm quæ rerum humanarum conditio eſſe conſueuit, non diuturna hæc lætitiæ uoluptas fuit. Nam nondum biennio obſidionis completo, cum à morbo, quo aliquādiu laborarat, recōualeſcens, quinquaginta circiter equitibus comitatus, ul timo die Februarij, anni 1248 aucupādi gra tia exijſſet, exercitus quoq;, cum propter

abſen-

abſentiã Impetatoris,tum cõtemptum hoſtium,opere ſolutus atq; diſperſus eſt. Hac ergo occaſione Apoſtolicus legatus,& Parmenſes opportunè arrepta, omni impetũ erupere,& caſtra Friderici à parte,non qua Parmam, utpote munitiore,ſed qũa uictoriam reſpiciebant, ex improuiſo aſsilierũt. Eo uerò facto, Fridericus,campanæ,in ſpecula Victoriæ,hoſtium aduentum ſignificantis, ſonitum, de longinquo exaudijt: ideoque cum rebus opitulatum accurreret,& Parmenſes contra marchionem Malespinam,quem primò aggreſsi fuerant,acerrimè decertantes, & hũc uiriliter ſe defendentem inueniſſet,ei auxilio ſuccurrere ſtatuit. Parmenſes uerò eo uiſo, agmine facto, in ipſum tanto impetu irruerunt,ut qui alieno tempore paucis admodum comitatus eſſet,intra repagula ac ſepta confugeret, & Victoriam ingrederetur, rebus perculſis atque afflictis,quantum in tanto tumultu fieri poterat,prouiſurus. Sed & Parmenſes, ruptis atque incenſis repagulis ac ſeptis, Victoriam irruperunt,omnibus in fruſta conciſis,utpote qui nullo ordine ſeruato occurrerent. Inter quos fuit & M. Tadeus Sueſſanus iuſticiarius curię, de quo ſuprà aliquoties mentio facta eſt. Lib.2.ep.14.

Fridericus qui aliquandiu pugnando reſtitiſſet,uidẽs res perditas, nec pluribus

quàm

quàm 14 equitibus ſe ſeptum, cum ipſis è Victoria in uicum S. Domini ceſsit. Parmenſes ergo libere graſſando ſæuientes, magnam ſtragẽ edidere: ueruntamen non ſine cæde ſuorum, & inſigni difficultate, carocium Cremonẽſium, quod omni ſanguinis effuſione ſpreta, hoſtibus acerrimè reſtitit, deuicere. Tandem tamen Victoria uicta eſt, & præter Fiſcum Imperialem, Par menſes ſacello, grammatophylacio, & dia demate Imperatoris potiti, Victoria exuſta, foſsisq́; repletis, in loco conſpicuo hos uerſiculos poſuere:

Per te rex alme ceßit Victoria Parmæ:
Antiphraſi dicta, ceßit Victoria uicta.

Carocio quoque Cremonẽſi, quod in deſpectum & ludibrium ab aſinis Parmam tractũ eſt, hos duos uerſiculos aſcripſere:

Carocij flet damna ſui miſeranda Cremona,
Imperij Federice tui fugis abſque corona.

Imperator hac clade affectus, animo neuti quam abiecto, inde Cremonam uenit, cui mulieres & infantes, cum omni populo obuiá proceſſere, Deo gratias, lachrymis effuſis, agentes, quòd tanto è periculo ſaluum ipſum eripuiſſet. Ille uerò benigna cõ
Lib. 2. ep. 40. ſolatione animis eorum confirmatis, Gua ſtallam & Breſſellas adiẽs, ibi filium Hein ricum regem Sardiniæ cum exulibus Ferrarienſibus inuenit: qui graui clade Mantuanos

tuanos, Parmenſibus in auxilium uenturos affecerant, ac præter ſubmerſos atque occiſos, quinquaginta ipſorum naues, atque trecentos bellatores ceperant: quos Fridericus in ripa fluminis ad exemplum rebellium ſuſpendi iuſsit: & præſidio ſatis ualido ad pontis cuſtodiam relicto, filium Heinricum in partes Lucaniæ, quæ ad rebellionem ſpectare uidebatur, miſit. Ipſe ad uicum S. Domini rediјt, ut reliquias exercitus colligeret, pro obſidione Parmæ redintegranda. Illic dum ageret, in die ſecũdo paſchæ, maximam uim pecuniæ à Caloioanne Battazio genero ſuo accepit, atque certior eſt factus de prælio à filio Richardo, ad ciuitatem nouã in marchia Anconitana, cum Hugolino de Nouello duce pontificio, & Pandulfo de Faſanella, ac Iacobo de Morra proditoribus antè memoratis, commiſſo: atque in eo, ex pontificia parte, duo millia cum cæſa, tum capta, & Hugolinum unà cum Matthæo de Faſanella, fratre Pandulfi proditoris interfectum eſſe.

Mantuanorũ clades.

Victoria comitis Richardi.

Digreſſus deinde ex uico S. Domini, ita tamen, ut copijs colligendis nihilominus intenderet, Cremonam ſeſe recepit, anno 1249 in menſe Septembri: ibiq; cognouit à rege Sardiniæ: caſtellum quoddam Regij nomine Arolũ expugnatũ, & ante portas

ipſius

ipſius 97. rebelles Imperij, qui capti illic erant, cruci ſuffixos eſſe.

Petri de Vineis perfidia & captio: de cuius laudib. lib. 3. ep. 45. uide.

Verumenimuerò, quantumuis hęc, atq; alia læta afferrentur, tamen cum & totius Lombardiæ rebellionem, rerumq; imminentium molem ac difficultatem proſpiceret: & cum in aliorum ſuorum animis, tum uerò Petri de Vineis, qui Curiæ iudex & cancellarius, inter præcipuos aulæ proceres eſſet, fidei dubię ac proditionis ſigna animaduerteret: eo comprehenſo, menſe Aprili ſequente, ex Lombardia in Apuliam diſceſsit, in Auguſto eò reuerſurus.

Thuſciam itaque tranſiens filium ſuum Antiochiæ principem, cum Florentinis in caſtris prope Capraram inuenit, quò Guelfi rebelles, totam Thuſciam, & maximè caſtellum S. Miniati ad defectionem impellere conati, profugerant: eam oppugnatā cepit, ac Guelfos captos partim interemit, partim in regnum Apuliæ relegauit.

Quia uerò incolæ S. Miniati à Guelfis corrupti & ueneno rebellionis infecti, ita nutabant, ut fides ipſis minimè habenda eſſet: nec ipſe tēpus in eius obſidione fruſtra terendum exiſtimabat, aſtu eo potiundum ſtatuit. Itaque perfidia ipſorum diſsimulata, numero non contemnendo ſuorum meliorum ſtipendiariorum uincula iniecit, quaſi captiui Longobardi eſſent: mulos-

muloſque, arcis omni armorũ genere ple-
nis, oneratos, tapetibus, non ſecus, ac ſi Cę
ſaream ſuppellectilem geſtarent, coope-
ruit. Deinde captiuos ſimulatos, Petro de
Vineis, qui minimè fictis, ſed arctiſsimis
uinculis reuera conſtringebatur, præeun-
te, cum arcis memoratis, fidelibus mini-
ſtris deducendos ad S. Miniatum commi-
ſit, his uerbis: Quandoquidem Imperator
in tota Thuſcia ciuitatem ſibi S. Miniato
obſequentiorem non noſſet, inque quam
plus fiducię reponere auderet: ideo, ipſum
qui celeri itinere in regnum contenderet,
animo redeũdi quàm citiſsimè, hos capti
uos cum rebus magni precij ad ipſos mit-
tere uoluiſſe: orando, ut omnia uſque ſub
reditum bona fide ac uigilantia aſſeruarẽt.
Samminiatenſes etſi Imperatore aduẽtan
te, dubij, atq; incerti de rebus ſuis eſſent,
& nonnulla ſuſpicione commouerentur:
tamen exiſtimantes, Imperatore abeunte
& relinquente ipſis hanc ſuppellectilem,
turbamquè captiuorum, ſe non penitùs
exoptata præda fruſtrari, uultu ficto prom
ptos atque fideles ſe exhibuerũt, omniaq;
in oppidum intromiſſa acceptarunt. Cæte
rùm rebus ſic ciuitati importatis, cum Cæ
ſariani horam ex compoſito deſtinatam
adeſſe uiderent, in momẽto cathenis, quæ
ita paratę erant, ut facillimè diſſoluerẽtur,
abiectis,

abiectis,ad arma conſurrexere: & Imperij nomine acclamato,obuij contrucidati fuere,portæ captæ, exercitus intromiſsi, atq; caſtellum conſcenſum: denique proditoribus interfectis,ac ędibus ipſorum deſtructis, Imperij dominium in caſtello firmatum ac ſtabilitum eſt.

Mors Petri de Vineis.

Hac re tam feliciter peracta, in eodem caſtello Petro de Vineis oculos erui iuſſit. Qui cũ inter aulæ proceres præcipuus extitiſſet, ac per totum terrarum orbem clariſsimus,conſcientię ſtimulis agitatus, quod dominũ proprium prodere uoluiſſet:nec ſine oculis amplius uiuere ſuſtinens, ſibimetipſi mortem in publico omnium conſpectu conſciuit. Et hunc uitæ finem habuit Petrus de Vineis iureconſultus, multæ doctrinæ & experientiæ, inter ſuæ ætatis pares celeberrimus ac eloquētiſsimus.

Rex Sardinię capitur. & 22 annos, mēſes 9, dies 16, Bononię detentus, ibidē in diui Dominici tēplo tumulatur. prout epitaphium, quod hodie adhuc Bononię uiſitur, teſtatur.

Dehinc Fridericus profectus, rectà Senas, Florentinorum fines nuſquam attingens, contēdit:& inde Foggiam, quæ in Apulia eſt,peruenit,anno 1250. Vbi ei relatum eſt regem Sardiniæ filium ſuum,cum in auxilium à Mutinenſibus contra Bononienſes uocatus eſſet, uiriliter dimicātem, duobus à Mutina milliaribus, in pugna captum,& menſe Maio Bononiã deductum: ideoque legatum Apoſtolicum, alioſque

Eccleſia-

Eccleſiaſticos cum Guelfis, abſentia imperatoris, & captiuitate Entij fretos Lombardiam, Romaniam & Thuſciam depopulari: omnesque imperij præſides partim proditione, partim metu adactos, ab Imperio deſciſcere. Quare Fridericus maiore quàm unquam aliàs animo, & pecuniæ conficiendæ, & exercitui comparando intendit, ſummis uiribus Lombardiæ bellum illaturus.

Nec dubium eſt, quin res maximas geſturus fuiſſet, niſi terminus omnibus mortalibus ex ęquo communis, in hoc aduerſo & infelici anno, ab improuiſa naturæ cõditione, ei impoſitus fuiſſet. Cum enim eſſet in uirilis ac uegetæ ætatis flore, perſuaſus erat, non alibi ſe moriturum quàm Florentiæ, uel in territorio eius. Quare etiam in nouiſsima illa, è Thuſcia in Apuliam profectione, terram Florentinorum euitarat: ariolo quodam, qui ſpiritus familiaris cõuerſatione ſe gaudere iactitabat, in agro Florentino uitæ terminum ultimum ei ſtatutum eſſe, prædicante. Grauiſſima itaque febri correptus, in caſtellulo quodam, nomine Florentino, ſex milliaribus à Luceria diſtãte, ipſe, qui acerrimi ac perſpicaciſsimi ingenij eſſet, prædictione ariolorum & loci appellatione ad animũ reuocata, finem uitæ ſibi ultimum adeſſe

Blondus lib. 7.dec.2. Ferẽ ſulam hũc locum uocat.

ſenſit: atque idcirco inter manus archiepi ſcopi Panormitani, aliorumq́; religioſorũ, ad delictorũ recognitionem ſeſe cõuertit: quinetiã conſilio quorundam ſapientium ſacroſanctę Eccleſię obedientiæ ſeſe addixit, iureiurãdo pręſtito, omnibus eius mãdatis ſe ſtaturum ac obtemperaturũ eſſe. Ad extremum, ei pro more Chriſtiano tanta abiectione animique contritione peccata confeſſus eſt: ut Maynardinus, epiſcopus Imolenſis, qui multas res geſtas Friderici memoriæ mandauit, ſcriptum reliquerit, ex iſta confeſsiõe ſtatuendũ: ipſum electum Dei uas ac organum fuiſſe. Ad hæc & Guilhelmus de Puteo in ſuis Chronicis, ac Dandalus in hiſtoria ſua commemorãt: Fridericum moriturum, ex dolore de delictis admiſsis concepto, uetuiſſe exequias ſibi ſplendore pompaque Imperiali peragi ac celebrari.

Fridericus uas electiõis.

Poſtea teſtamentum condidit, in quo multa millia unciarum auri equitibus Hieroſolymitanis, & hoſpitalarijs S. Iohannis reliquit, pro compenſatione fructuum, quos debitos ex beneficijs in regno ſitis, toto belli tempore percipere non potuerant. Deinde ad recuperationem Terræ ſanctæ, magnam uim auri reliquit, ex arbitrio atque conſilio equitum Hieroſolymitanorum erogandam. Omnibus inimicis

Nauclerus generat. 42. ut alia multa, ſic & hoc falsò ſcribit: neſciri quo loco uitam finierit, & an teſtamẽto facto, ſtatuerit quid de Rep. uel domeſtica.

inimicis atque Imperio rebellibus, ſyncero cordis affectu ignouit, exceptis regnicolis: quos, cum ipſum immerentem nefariè prodere moliti fuiſſent, iuſticiæ rigori commiſit. Filijs inſuper præcepit, ut qui quocunque terrarum loco, iuſſu ipſius in uinculis detinerētur, hos liberos dimitterent: hoc quoque ordinato, ut quæ ad Eccleſiam legitimè ſpectarent, eidem benignè atque prolixè reſtituerēt. Cunradum filium, regem Germaniæ, hæredem regni Neapolitani, & Imperij Romani, ex aſſe fecit. Heinrico filio, eius nominis ſecundo & ipſi legitimo, cum centum millibus unciarum auri, regnum Sicilię reliquit: ea tamen conditione, ut id ex arbitrio Cunradi adminiſtraret. Friderico nepoti, ex filio Heinrico maiore, eo, qui in carcere obijt, Auſtrię ducatum, cum decem millibus unciarum auri cōtulit. Manfredus filius eius naturalis, princeps Tarentinus, ditionū Imperialium, quæ ſunt à Capua uſque ad Apuliam, gubernator decennalis eſt conſtitutus, donec quod Cunradus ipſe in regnum adueniret. Etſi autem cuiuis filiorū, ſuam portionem aſsignaſſet, tamē ut Cunrado, tanquam legitimo hæredi & Imperatori, fidem ac obedientiam præſtarent, omnibus iniunxit. Et ſic ſuo, cum erga Deum, tum mundum officio functus, quę

Cæſaris erant, Cæſari dando: & animam à diuinitaie originem trahentem, Deo offerendo: ſumma cum religione ac pietate ex hac miſera atque mortali uita, ad beatiorem tranſijt, anno ætatis 54: Imperi uerò 33.

Et hoc quidē modo Fridericus uitam amiſit, falſa ipſorum opinione reiecta, qui literis prodidêre, fama fuiſſe diuulgatum, ei à Manfredo filio naturali, qui puluinar ori ipſius inieciſſet, fuiſſe animam interclu ſam: cum ea fama ueriſimili probabilitate deſtituatur, & contrarium ab Eccleſiaſticis ſcriptoribus temporis eius, in monumenta relatum extet. Deceſsit autem è uita in die S. Luciç, 13. Decembris, anno 1250, in arce Apuliæ, cui nomen eſt Florentino: & non Florentini in campania Romana: neque in territorio Florentinorum. exemplo quidem memorabili, ueruntamē non nouo impoſturç ſpirituum diabolicorum, & fatalis neceſsitatis: dum Fridericus Florentiam fugiendo, mortem effugere nequiuit: & ſpiritus fatidicus ſub confuſione & ambiguitate nominis, pluribus rebus communis, Friderici curioſitati impoſuit atque illuſit.

Corpus eius ſumma pompa, atque honore ſolenni in Siciliam, ad montem Regalem, ſupra Panormū à Manfredo translatum,

latum, ibiq; honorificentiſsimè ſepultum eſt. Et in teſtimonium uirtutis ac excellentiæ, ipſius monumēto tres uerſiculi inſcripti fuere, à ſacerdote quodam Aretino facti, ac multis doctiſsimorũ eius ſeculi poetarum Epitaphijs prælati: qui hunc in modum ſe habent:

Si probitas, ſenſus, uirtutis gratia, cenſus,
Nobilitas orti, poſſent obſiſtere morti:
Non foret extinctus Fridericus, qui iacet intus.

Cùm igitur iam tantum de hoc inclyto rege dixerimus, quantum ad hiſtoriã Neapolitanam pertinere uidebatur: non alienum erit ſi ob honorem uirtutis eius, quaſi compendio, reliqua quoque ſuper eodē pertexamus: cùm quia heros præſtantiſsimus atque fortiſsimus fuit, tum quia diuerſa de ipſo ſcripta circumferuntur: hoc ipſum laudante, illo uerò uituperante. Nã Eccleſiaſticæ factionis ſcriptores, res eius geſtas ſtylo infenſiore cõſignarũt, crimini ipſi dantes, quòd Eccleſiæ perſecutor extiterit. Vtcunque uerò hæc ſe habeant, autores claſsici, uitæque ſanctimonia clari, in harum rerum expoſitione conſentiunt: nimirum quòd forma egregia ac liberali, ſtatura iuſta, membris decoris, crinibus rubicundis, & oculis lætis fuit. A' natura ingenio quàm maximè ualuit: prudētia omnibus ſuæ ætatis hominibus præcelluit:

artium mechanicarum quibus animũ applicaret, artifex peritiſsimus fuit. Egregiè literatus, & complurium linguarum gnarus. Nam Italicè, Latinè, Germanicè, Gallicè, Græcè & Sarracenicè loquebatur. Magnificus, liberalis, magnanimus, & inſignis beneficiorum ac fidelium miniſtrorum remunerator: econtrà autem ſeuerus ac aſper perfidiæ uindex erat. In omnibus potioribus oppidis Apulię & regni Sicilię, tot ſplendida ędificia conſtruxit, ut ea cõmemorare ſuperfluum ſit. Verùm inter cętera in Brutijs Aquilam: Neapoli arcẽ Capuanam: turrim & pontem Capuæ: arcem Tranenſem: in Tuſcia arcem Prati, & arcẽ S. Miniati: in Romania arcem Ceſennæ, Bertinori, Fauentiæ, Ceriuæ: palatia uerò & templa hinc & inde. Leges complures, pro honore fidei Chriſtianæ, conſeruatione libertatis ecclaſiaſticæ, ſecuritate Italię, & utilitate agricolarum, nautarum, & ſtudioſorum, quos præcipua beneuolentia eſt proſecutus, condidit. quæ omnes approbatæ, & codici Iuſtinianeo inſertæ ſunt. In ordinem quoque redegit librum Feudorum, qui & ipſe in ſcholis receptus decima Collatio dicitur. Similiter quoque librum quo Conſtitutiones regni continentur. Conuerſio operum Ariſtotelis, medicorum Græcorum & Arabicorum: quę ad hæc

Aedificia Friderici.

Leges.

hæcuſque tempora lecta eſt, ac legitur in ſcholis, eius cura ac ſtudio facta eſt: eámque ſcholæ Bononienſi, examinandam tranſmiſit, ut ex literis ipſius apparet. Academiam Neapolitanam fundatam donauit multis priuilegijs, quæ uidi & legi: Lib.3. ep. 10. 11.12.13.
eoque omnium ſcientiarum doctores magnificis ſtipendijs conuocauit. Semper doctos circum ſe habere conſueuit, inter quos iudex Curiæ generalis Rofredus Beneuētanus fuit, unus ex iuris noſtri interpretibus: cuius opera adhuc hodie in manibus doctorum teruntur. In armis fortis, animo quoque inuictus fuit. Verùm maximo & unico uitio, nimius mulierum amor, ei eſt datus. Nam ſemper multas concubinas aluit, & gregem pulcherrimarum puellarum ſecum traxit: in aucupij delectatione iuſto modo non uſquequaque obſeruato. Tres habuit uxores, unam poſt aliam: Conſtantiam, regis Caſtiliæ ſororē: Iolantam, regis Hieroſolymitani filiam: Iſabellam, regis Angliæ ſororē: & ex ſingulis ut dictū eſt ſobolem ſuſtulit. Liberos habuit tā naturales quàm legitimos. Ex Conſtantia Heinricum primum, qui rex Germaniç fuit: ex Iolanta Cunradum, ſucceſſorem in regno: ex Iſabella Heinricū, qui rex Siciliç in infantia obijt. Inter naturales Entius Sardiniæ: Manfredus utriuſq; Siciliæ Vxores Friderici.

rex fuit: Fridericus, Antiochiæ princeps: ut alios taceamus, quos ſuo loco in arborē digeremus. Diuitijs ampliſsimis abundauit. nam præter terras Imperij, quas tenuit, utriuſque Siciliæ rex iure materno fuit: Hieroſolymitanus, iure uxoris: rex Germaniæ, electione: dux Sueuiæ, iure patrio atque auito.

Inter tot dotes atque decora, quibus diuinitùs ornatus fuit, habitus & dictus eſt PERSECVTOR Eccleſiæ: id quod ſpeciē ueritatis habere uidetur, propter ſententiam ab Innocentio IIII in ipſum latam: quæ approbata, atque in librum ſextum Decretalium relata extat. Conuenientius ergo meliusque uideri poſſet, de eo tacere, quàm plura dicere. attamen ſi quātum ex rebus ipſius geſtis, quæ ſuperius ſunt memoratæ: & alijs, apud claſsicos atque probatos autores extantibus, apparet, eiusq; epiſtolæ ac ſcripta demonſtrant, iudicare licet: neſcio an ideò fortè hoc nomine ipſum deformarint, quòd nimis liberè ueritatem Eccleſiaſticis dixerit: uel, quòd uitā ac ſanctitatē Apoſtolorum, à quibus iam longiſsimè receſſerant, in ipſis deſiderarit: an uerò, quia iura imperij tueri ac propugnare uoluerit: aut quòd ipſis inuitis atque frementibus, nimium in Italia creſceret. Ego hanc rem cenſuræ lectoris

citra

citra affectum iudicantis relinquo. Verun tamen ubi ante oculos meos propono, à Chriſto pōtificibus, cuius uicarij perhiberi uolunt, dictum eſſe, uti imitentur, & ſe tanquam magiſtrum, cuius diſcipuli ſint & miniſtri, ſequantur: & iuſſos ab eodem gladium uaginæ reponere: & hoſtibus non ſolum ſepties, ſed & ſeptuageſies ſepties ignoſcere: ecōtrariò tot inſidias, technas, ac proditiones aduerſus Fridericum uideo: ac tot legatos, uiros Eccleſiaſticos, nomine paſtorum intitulatos, in regnum, Marchiam, & Romaniam, contra ipſum emiſſos: tot ciuitates hac de cauſa deſtructas: tantum ſanguinis Chriſtiani effuſum: & præter hæc expendo, Fridericum nihilominus ſemper uictoriosè triūphaſſe: ac à pontificibus contra ipſum electos, fortuna atque conſilio deſtitutos miſerè interiiſſe: non aliud proferre poſſum, quàm uerum eſſe id, quod Papa Pius in hiſtoria Auſtriæ ſcripſit: NON fieri ullum inſigniter grande malum in Eccleſia uniuerſali, quod non exeat atq; initiū ſumat à preſbyteris, aut certè iudicia Dei eſſe nimis ardua atque occulta.

Multas equidem epiſtolas Friderici legi ad Pontifices, Cardinales, diuerſos principes Chriſtianos, & homines quoque priuatos ſcriptas: uerùm in eis nihil à funda-

mento fidei Chriſtianæ alienum, hæreticum, Eccleſiæ damnoſum, uel rebellionē, aut contumaciam redolens deprehendi: aſt querelas, lamentationes, & admonitiones de ambitione & auaricia cleri, obſtinatione pontificis, iuſtas excuſationes iuris Imperij admittere nolētis, necnō querulationes de inſidijs ſibi ſtructis, inueni. Si cui ueritatem, magnorumque ducum uirtutes indagare libet, is legat quandam epiſtolarū eius, ſcriptam ad omnes principes Chriſtianos, cuius initium eſt: COLLEGERVNT principes, pōtifices & phariſæi conciliū in unum, & aduerſus principem Chriſtum Dei conuenerunt. Et aliam, qua collegio Cardinalium diſſuadet, ne diſcordiam inter Imperium & Sacerdotiū alant. quę incipit: IN EXORDIO naſcentis mundi. Et ad has, quoq; eam cuius exordium eſt: INFALLIBILIS ueritatis teſtem. in qua hæc uerba ponūtur: Nos cum ſacroſancta Romana eccleſia matre noſtra, diſcordiam aliquam non habemus: ſed ab eius Romani pōtificis impetu iuſticiam Imperij defendimus, & iniuriam propulſamus: nihilominus tamē pacem cum ipſo ſemper habere deſyderamus. Quinetiam altera eius epiſtola legatur, ad principes Chriſtianos ſcripta: in cuius fine uerba inueniantur, quæ huic cōpendio adijcere uolui,

Lib. 1. ep. 1.

Lib. 1. ep. 34.

uolui,non tamẽ propter elegantiã, quam
ueritatem,& quo ea,utpote ſeculo noſtro
conueniẽtia, ingenioſus quiſpiã, ad ſuum
uſum accõmodare poſsit. uerba uerò hæc
ſunt: QVOD autem tales & tales, N.N. Lib.1.ep.2.
fideles noſtri,latores pręſentium,uobis re
tulerint,certè credatis,ac etiãſi ſanctus Pe-
trus iuraſſet, firmiſsimum habeatis: nec
propter hoc,quod à uobis petimus, uidea
tur uobis, quod propter in nos latam ſen-
tentiam depoſitionis, noſtræ magnanimi
tas maieſtatis,aliquatenus incuruetur. Ha
bemus enim conſcientię puritatem,ac per
conſequens,Deum nobiſcum: cuius teſti-
monium inuocamus,quia ſemper fuit no
ſtræ uoluntatis intẽtio,clericos cuiuſcun-
que religionis ad hoc inducere, & præcĩ-
puè maximos ad illum ſtatum reducere:
ut tales perſeuerent in fide,quales fuerant
in primitiua Eccleſia,Apoſtolicam uitam
ducentes,& humilitatem dominicam imi
tantes.Tales nanque clerici ſolebant ange
los intueri, miraculis coruſcare, & ſancti-
tate,non armis ſibi principes ſubiugare.At
iſti ſeculo dediti & ebriati, delitijs Deum
poſtponunt,quorum ex affluentia diuitia-
rum religio ſuffocatur. Talibus igitur ſub-
trahere nocentes diuitias, quibus damna-
biliter onerantur, opus eſt charitatis: ad
hoc uos omnes principes unà nobiſcũ,etc.

His

His itaque de cauſis fortè Prælati tunc exiſtimarunt, Fridericum perſecutoris Eccleſiæ nomen promeritum eſſe: cuius iudicium, ut diximus, alijs committimus, narrationi d eFriderico incœptæ finem imponentes.

FINIS VITÆ FRIDERICI, EX *Collenutio conuerſæ. Sequitur formula depoſitionis Friderici.*

FORMVLA DEPOSITIONIS Friderici, quæ mutilatim relata eſt lib. 6 Decretalium, c. ad apoſtolicæ. ex uetuſto quodam libro integrè deſcripta, & publicata à Simone Schardio D.

Innocentius IIII. Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ſacro præſenti Concilio, ad rei memoriam ſempiternam.

AD Apoſtolicæ dignitatis apicem licet indigni, dignatione diuinę maieſtatis aſſumpti, omnium Chriſtianorum curam uigili ſedulaq; ſolertia gerere, ac intimæ conſiderationis oculo ſingulorum diſcernere merita, & prouidæ deliberationis ſtatera librare debemus: ut quos iuſti uigor examinis dignos oſtendit, congruis attollamus fauorib. quos autẽ reos, pœnis debitis deprimamus, appendentes ſemper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuique iuxta qualitatem operis, pœnę uel gratiæ quãtitatem. Sanè cũm dura guerrarum cõmotio nonnullas Chriſtianæ profeſsionis prouincias diutius afflixiſſet, nos toto cupientes mentis affectu tranquillitatem & pacem Eccleſię ſan

Iſta eſt una decretaliũ, quã Albericus de Roſate, in dictionario ſuo in uerbo Electio Imperatoris, contra iura & libertatẽ Imperij editam eſſe dicit.

ctæ Dei, ac generaliter cũcto populo Chriſtiáo, nos ad Friderichũ præcipuũ principẽ ſecularẽ, huiuſmodi diſſentionis & tribulationis autorẽ, à felicis recordationis Gregorio papa 9. prędeceſſore noſtro, pro ſuis exceſsib. anathematis uinculo innodatũ, ſpeciales nuncios, & magnæ authoritatis uiros, uidelicet: uenerabiles fratres Petrũ Albanenſem, archiepiſcopum Rothomagenſem, Hugonẽ Sabinenſem, Card. Guilhelmum Baſilicę duodecim Apoſtolorum presbyterũ Card. qui ſalutẽ zelabâtur ipſius, duximus deſtinandos: faciẽtes ſibi proponi per ipſos, quod nos, & fratres noſtri, (quantum in nobis erat) pacem per omnia ſecum habere, nec non cum omnibus hominibus optabamus, parati ſibi pacem & tranquillitatẽ dare, ac mũdo etiam uniuerſo. Et quia pręlatorum, clericorũ, omniúmque aliorum, quos detinebat captiuos, omnium tam clericorum quàm laicorũ quos ceperat in galeis reſtitutio, poterat eſſe pacis plurimũ inductiua, cũ ut illos reſtitueret (cum hoc idẽ tam ipſe quàm ſui nuncij, antequã ad apoſtolatꝰ uocati eſſemus officiũ, promiſiſſent) rogari & peti ab ipſo fecimus per eoſdẽ: ac proponi inſuper, quod ijdem pro nobis parati erant audire & tractare pacem, at etiam audire ſatisfactionẽ, quam facere idẽ princeps uellet de omnibus,

Nota: quod hi tres Cardinales ſint ex 12. quos Innocentius anno 1244. in Concilio generali Lugduni fecit.

bus, pro quibus erat uinculo excõmunicationis aſtrictus: & offerri pręterea, quod ſi Eccleſia eum in aliquo contra debitum læſerat (quod nõ credebat) parata erat corrigere, ac in ſtatum debitum reformare. Et ſi diceret ipſe, quod in nullo contra iuſticiam lęſerat Eccleſiam, uel quod nos eum contra iuſticiam lęſiſſemus: parati eramus uocare reges, pręlatos & principes tam Eccleſiaſticos quàm ſeculares ad aliquem tutum locum, ubi per ſe uel per ſolennes nuncios cõuenirent: eratq; parata Eccleſia de conſilio Concilij ſibi ſatisfacere, ſi eum læſiſſet in aliquo ac reuocare ſententiam, ſi quam contra ipſum iniuſtè tuliſſet, & eum omni manſuetudine ac miſericordia (quantum cum Deo & honore ſuo fieri poterat) recipere de iniurijs & offenſis ipſi Eccleſiæ, ſuiſque per eum irrogatis ſatiſfactionem ab eo uolebat, & omnes amicos ſuos ſibique adhęrentes in pace ponere, plenaque ſecuritate gaudere: ut nunquam hac occaſione aliquod poſſent ſubire diſcrimen. Sed licet ſic apud eum pro pace paternis monitis, & precum curaremus inſiſtere lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aſpidis aures ſuas, preces huiuſmodi & monita, elata obſtinatione, ac obſtinata elatione deſpexit.

Et

Et licet proceſſu temporis in die Cœnæ Domini proxima nuper præterita præcedēte coram nobis & fratribus noſtris, præſentibus chariſsimo in Chriſto filio noſtro Conſtantinopolitano Imperatore illuſtri, cœtu quoq; non modico prẹlatorum, ſena toribus populoque Romano, & maxima multitudine aliorum: qui eodem die propter ſolennitatem ipſius de diuerſis mundi partibus ad Apoſtolicam ſedem conuenerūt, quod ſtaret noſtris & Eccleſiæ man datis per nobilem uirum comitem Tholo ſanum, ac magiſtros Petrum de Vinea, & Taddeū de Sueſſa, Curiæ ſuæ iudices, nun cios & procuratores ſuos, ſpeciale ſuper hoc ab ipſo mandatū habētes, prẹſtiterit iu ramentum: poſtmodum tamen quod iura uerat non impleuit. Quinimo, eā intentione ipſum præſtitiſſe probabiliter creditur, ſicut ex factis ſequentibus colligitur euidenter, ut eidem Eccleſię ac uobis illu deret potius quàm parêret. Cum anno & amplius iam elapſo, nec ad ipſius Eccleſiæ gremium reuocari potuerit, nec ſibi de illatis ei dānis & iniurijs ſatisfacere curauerit: licet ſuper hoc extiterit requiſitus. Propter quod non ualētes abſq; graui Chriſti offenſa eius iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conſcientia iuſtè animaduertere in eundem.

Et

Et ut ad præſens de cæteris eius ſceleribus taceamus, quatuor grauiſsima, quæ nulla poſſunt tergiuerſatione celari, commiſit. Deierauit enim multotiens, pacem quondam inter Eccleſiam & Imperium reformatam, temerè uiolando. Perpetrauit ſacrilegium, capi faciendo Cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ac aliarum eccleſiarum prælatos & clericos, religioſos, & ſeculares uenientes ad Concilium, quod idem prædeceſſor noſter duxerat conuocandum. De hæreſi quoque non dubijs & leuibus, ſed difficilibus & euidentibus argumentis ſuſpectus habetur. Plura ſiquidem eum commiſiſſe periuria ſatis patet. Nam olim cum in Sicilię partibus morabatur, priuſquã eſſet ad Imperij dignitatem electus, coram bonæ memoriæ G. ſancti Theodori diacono Cardinale, Apoſtolicæ ſedis legato, felicis recordationis Innoc. papæ, perinde ut & prædeceſſorib. noſtris eccleſiæque Romanæ, pro conceſsione regni Siciliæ ab eadem Eccleſia ſibi facta, fidelitatis præſtitit iuramentum. Et ſicut dicitur illud, poſtquam ad eandem dignitatem electus extitit, & uenit ad urbem: coram eodem Innocentio, ſuiſque fratribus, & alijs multis præſentibus in eius faciens manibus ſe innodauit ligium hominem. Et deinde cum in Alamannia eſſet, Innocentio

Cauſæ depoſitionis.

Ligius homo dicitur, qui iurat fidelita

centio & ipſo defuncto, Honorio papæ prædeceſſori noſtro, & eius ſucceſſoribus ac ipſi eccleſiæ Romanæ, pręſentibus Imperij principib. promiſit atq; iurauit, iura & poſſeſsiones eccleſiæ Romanę, pro poſſe ſuo ſeruare, ac protegere bona fide: & quod quæcunque ad manus ſuas deuenirent, ſine difficultate reſtituere procuraret, nominatis expreſsè dictis poſſeſsionibus in huiuſmodi iuramento: quod poſtmodum confirmauit coroná Imperij iam adeptus. Sed horum trium iuramétorum temerarius extitit uiolator, non ſine proditionis nota, & crimine læſæ maieſtatis. Nam contra præfatum prædeceſſorem noſtrum Gregorium & fratres noſtros, comminatorias literas eiſdem deſtinare: ac D. Gregorium apud fratres ſuos, ſicut apparet per literas ab eo tunc directas eiſdem, & etiam prout fertur, per uniuerſum ferè orbem terrarum, multipliciter diffamare præſumpſit. Ac uenerabilem fratrem Othonem Portuenſem, tunc Sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum, Cardinalē, & bonæ memoriæ Innoc. Præneſtinum epiſcopos, Apoſtolicę ſedis legatos, nobilia & magna Romanæ eccleſiæ membra, corporaliter capi fecit, & bonis omnibus ſpoliatos, ac per diuerſa loca non ſemel ignominioſè deductos, carceribus mancipans.

Priui-

tem ſuper feudo, cōtra omnem hominē mundi, nullo excepto: dictus, quaſi domino ſuo planè alligatus. ita ſētit gloſſa in clem pastoralis de re Iudic.

Priuilegium inſuper, quod beato Petro,& ſucceſſoribus eius in ipſo, tradidit Ieſus Chriſtus, uidelicet: Quod quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in cœlis: in quo autoritas & poteſtas Romanæ eccleſię conſiſtit, diminuere, uel ipſi Eccleſiæ auferre ſatagit: ſcribens, ſe pręfati Gregorij ſententias non ureri: latam ab eo excommunicationem in ipſum, non ſolum contemptis Eccleſiæ clauibus, non ſeruando: uerùm etiam per ſe ac officiales ſuos, & illam, & alias excommunicationis uel interdicti ſententias: quas idem omnino cõtempſit, cogendo alios non ſeruare. Poſſeſsiones quoq; pręfatę eccleſię uidelicet Marchiam & ducatum Beneuentanum, cuius muros & turres dirui fecit: & alias quas in Thuſciæ ac Lombardię partibus, & quibuſdam alijs obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eas adhuc detinet occupatas. Et tanquam ei non ſuffecerit, quòd manifeſtè contra iuramenta pręmiſſa pręſumendo talia, ueniebat, per ſe, uel ſuos officiales, earundem poſſeſsionum homines deierare compulit: ipſos à iuramento fidelitatis, quibus Romanę tenebantur eccleſię de facto (cum de iure non poſſet) abſoluẽs, & faciens eoſdem fidelitatem nihilo-

minus abiurare prędictã, ſibiq; fidelitatis iuraméta pręſtare. Pacis uerò ipſum uiolatoré exiſtere plenè conſtat, quia cum olim tempore pacis inter ipſum & Eccleſiam reformatę iuraſſet, corã bonę memorię Iohãne de Abbatis uilla epiſcopo Sabinenſi, & magiſtro Thoma de Capua, titulo ſanctæ Sabinę presbytero, Cardinale, pręſentibus multis pręlatis, principib. & baronib. qđ ſtaret & pareret pręciſè, abſq; ulla conditione omnib. mandatis Eccleſię, ſup his pro quib. erat uinculo excõmunicationis aſtrict⁹, cauſis excõmunicatiõis eiuſdẽ expreſsis, per ordinẽ corã eo tũc omnib. Teutonicis, hominib. regni Sicilię, ac quibuslibet alijs qui Eccleſię contra ipſum adhęſerant, oẽm remittẽs offenſam & pœnam: & qđ nullo tẽpore offenderet, uel offendi faceret ipſos, pro eo quod Eccleſię aſtiterãt, pręſtari in anima ſua per comitẽ Acerrarũ faciens iuramentum. Poſtmodum pacem & iuramenta huiuſmodi nequaquam erubeſcens, fidem periurus non ſeruauit. Nonnullos etiam ex ipſis hominib. tam nobiles quàm alios prętere a capi fecit, & eos bonis omnibus ſpoliatos uxores eorum & filios captiuari, ac terras Eccleſię, contra promiſsionem, quam idem Iohãni epiſcopo, & Thomæ Cardinali fecerat, irreuerenter inuaſit. licet ipſum ex tunc in eum

præſen-

præſentem, ſi cõtra ueniret, excommunicationis ſententiam promulgarũt. Et cum ijdem Apoſtolica autoritate ſibi mandaſſent, ut nec per ſe, nec per alium impediret, quin poſtulationes, electiones & confirmationes eccleſiarũ, & monaſteriorum, in regno præfato liberè de cætero fierent, ſecundũ ſtatuta cõſilij generalis: & quod nullus deinceps in eodem regno uiris eccleſiaſticis, ac rebus eorum imponeret taleas uel collectas: quodq́ue nullus ibidem clericus uel perſona eccleſiaſtica de cætero in ciuili uel criminali cauſa, conueniret corã iudice ſeculari: nec ſuper feudis queſtio ciuiliter haberetur: ac templarijs, hoſpitalarijs & alijs perſonis eccleſiaſticis, de damnis & iniurijs irrogatis eiſdem ſatisfaceret competenter, ipſe mandatum eius contempſit. Liquet namque plures archiepiſcopales & epiſcopales ſedes abbatiasq́ue, ac alias eccleſias ad præſens in regno uacare prædicto, ipſaſq́ue procurante ipſo; ſicut apertè patet, fuiſſe diutius prȩlatorum regimine deſtitutas, in graue ipſarum præiudicium, & periculũ animarum. Et licet fortè in aliquibus eiuſdem Eccleſijs, regni electiones ſint à capitulis celebratæ: quȩ tamen per illa eiuſdem familiares clerici ſunt electi, probabili poteſt argumento concludi, quod facultatẽ liberam

eligendi non habuerunt. Eccleſiarum aũt ipſius regni nón ſolum facultates & bona fecit, prout uoluit, occupari: ſed & cruces, calices, & thuribula & alios ſacros earum theſauros, & pannos ſericos, uelut cultus diuini cõtemptor, auferri. licet, ut dicitur, ipſis eccleſijs, exacto prius pro eis certo precio, in partem fuerint reſtituti. Clerici quoque collectis, & taleis multipliciter affliguntur, nec ſolum pertrahuntur ad iudicium ſeculare: ſed ut aſſeritur, coguntur ſubire duella, incarcerantur, occiduntur, in patibulis cruciantur, in confuſionem & opprobrium ordinis clericalis. Præfatis autem templarijs & perſonis eccleſiaſticis, non eſt de damnis ijſdem illatis uel de iniurijs ſatisfactum.

Eum quoque certum eſt fore ſacrilegij patratorem. Nam cum præfati Portuenſis & Præneſtinus epiſcopi, & complures eccleſiarum prælati & clerici, tam religioſi quàm ſeculares, ad Apoſtolicã ſedem, pro celebrando Concilio, quod prius ipſe petierat conuocari, per mare uenirẽt, uijs terræ ipſis de mandato eius omnino præcluſis: item deſtinato Entio filio ſuo cum multitudine galearum, & per perſonas alias complures, longè antea ſeriò præparatas, in partibus Thuſciæ maritimis inſidijs poſitis cõtra eos, ut grauius poſſet uirus uo-

Entius ab alijs Hencius nõnullis quoque Heinricus dictus.

mere

mere præconceptum, ipſos auſu ſacrilego capi fecit: quibuſdam prelatorum ipſorum & alijs in huiuſmodi captiõe ſubmerſis: nonnullis etiam interemptis: & aliquibus in ſeruitute hoſtili fugatis: reliquis autem bonis ſpoliatis omnib. & de loco ad locum in regnũ Siciliæ opprobriosè reductis: ac ibidem diris carceribus mãcipatis: quorum aliqui macerati ſqualoribus, & inedia preſsi, miſerabiliter defecerunt.

Meritò inſuper contra eum de hæretica prauitate ſuſpicio exorta eſt. Cum poſtquã excommunicationis ſententiam à præfatis Iohanne epiſcopo Sabinẽſi, & Thoma Cardin. prolatam incurrerit, & dictus Gregorius papa, anathematis uinculo eum innodarit, ac poſt eccleſiæ Romanæ Cardinalium, prelatorum, & clericorum, ac aliorum ex diuerſis partibus ad ſedem Apoſtolicam uenientium captionem, claues Eccleſiæ contempſerit & contemnat, ſibi faciens celebrari, uel potius quantum in eo eſt prophanari diuina: & cõſtanter aſſeuerauerit, ut ſuperius eſt narratum, ſe præfati Gregorij papę ſententias non uereri. Præterea coniunctus amicitia deteſtabili Sarracenis, nuncios & munera pluries deſtinauit eiſdem, & ab eis uiciſsim cum honorificentia & hilaritate recepit: ipſorumque ritus amplectitur: illos in quotidianis eius

obſequijs notabiliter ſecum tenẽs, eorundem etiã more, uxoribus, quas habuit, de ſtirpe regia deſcendentib. eunuchos, præcipuè quos, ut dicitur, ſerò caſtrari fecerat, deputare cuſtodes nõ erubuit. Et qđ execrabilius eſt, olim exiſtens in partib. tranſmarinis, facta compoſitione quadam, imò colluſione uerius, cum Soldano Mahometico nomini in templo domini diebus ac noctibus publicè præclamari permiſit. Et nuper nuncios Soldani Babyloniæ, per quos idẽ Soldanus Terræ ſanctæ, ac Chriſtianis habitatoribus eius, per ſe ac ſuos damna grauiſsima, & inæſtimabiles iniurias irrogaret, per regnum Siciliæ cum laudibus ad eiuſdem Soldani excellentiam, ſicut fertur, honorificè ſuſcipi fecit, & magnificè procurari. Aliorum quoque infidelium pernicioſis & execrandis obſequijs, contra fideles abutens, & illis qui damnabiliter uilipendentes Apoſtolicam ſedem, ab unitate Eccleſiæ diſceſſerunt, procurãs affinitate & amicitia copulari, claræ memoriæ ducem Bauariæ, ſpecialem Romanæ eccleſię deuotum, ſicut pro certo aſſeritur, Chriſtiana religione neglecta per Aſſaſsinos occidi. Et Battacio Dei eccleſiæ inimico, à communione fidelium per excommunicationis ſententiam, cum adiutoribus, conſiliatoribus & fautoribus ſuis, cõcilio ſolen-

Battacius Friderici gener. de quo & Pandulfus. Videtur autis eſſe,

ſolenniter celebrato, ſeparato, filiam ſuam tradidit in matrimonium. Catholicorum uerò principum actus & mores reſpuens, ſalutis, famæ, & pietatis operibus non intendit: quinimo ut de ſuis nepharijs diſſolutionibus ſileamus, cum didicerit opprimere, non curat oppreſſos miſericorditer releuare, manus eius, ut decet principem, ad eleemoſinas non extenta, cum deſtructioni eccleſiarũ inſiſtat, religioſas ac alias eccleſiaſticas iugi attriuit afflictione perſonas: nec eccleſias, nec monaſteria, nec hoſpitalia, ſeu alia pia loca cernitur conſtruxiſſe.

Non ergo leuia, ſed efficacia hęc ſunt argumenta, de ſuſpicione hęreſis, contra eũ. Cum hæreticorũ uocabulo illos Ius ciuile cõtineri aſſerat, & latis aduerſus eos ſentẽtentijs debere ſuccumbere, qui uel leui argumento à iudicio catholicę religionis & tramite detecti fuerint deuiare. Præter hæc regnum Siciliæ, quod eſt ſpeciale patrimonium beati Petri, & idem princeps ab Apoſtolica ſede tenebat in feudũ, iam ad tantam in clericis & laicis exinanitionem ſeruitutemq; redegit, quòd eis penè penitus nihil habentib. & omnib. exinde ferè probis eiectis, illos qui remanſerũt ibidem ſub ſeruili quaſi conditione uiuere, ac Romanam eccleſiam, cuius principaliter

qui Latinis imperiũ Cõſtãtinopolitanum obtinẽtibus, Theodoro Laſcari in regno Hadrianopolitano ſucceſsit, filia eius Irene in matrimoniũ accepta: Ab alijs quoq; Diplobatazius dictus, de quo Cuſpinianus ſub uitam Friderici III in Cęſarib. Cęterùm de filia Friderici Batazio deſponſata, nullũ eorum, quos mihi legere contigit, autorũ, quid prodidiſſe memini. Quare cõijcere eſt, id factũ poſt mortem Irenes. Extat epiſtola Friderici ad Caloioannem, lib. 3. ep. 29.

ſunt homines & uaſalli, offendere multipliciter & hoſtiliter impugnare compellit.

Poſſet etiam meritò reprehendi quod mille * Squifatorum annuam penſionem, in qua pro eodem regno ipſi eccleſiæ Romanæ tenetur, per nouem annos & amplius ſoluere prætermiſit. Nos itaque ſuper præmiſsis, & quampluribus alijs eius nefandis exceſsibus, cum fratribus noſtris & ſancto Concilio deliberatione præhabita diligenti (cum Iheſu Chriſti uices, licet immeriti, teneamus in terris, nobiſque in beati Petri perſonam ſit dictum: Quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit in cœlis) memoratum principem, qui ſe Imperio & regnis, omniq́ue honore & dignitate reddidit tam indignum: quiq́ue propter ſuas iniquitates adeò ne regnet, uel imperet eſt abiectus: ſuis ligatum peccatis & abiectum, omniq́ue honore ac dignitate priuatum à domino oſtendimus, denunciamus, & nihilominus ſententiando priuamus: omnes qui ei iuramento fidelitatis tenentur aſtricti, à iuramẽto huiuſmodi perpetuo abſoluẽtes: autoritate Apoſtolica firmiter inhibendo, ne quiſquam de cętero ſibi, tanquã Imperatori uel regi, pareat, & intẽdat: decernẽdo, quoslibet, qui ei deinceps uelut Imperatori uel regi, conſilium uel auxiliũ præ-

* alij legunt ſactorum.

ſtiterint

ſtiterint, ſeu fauorem, ipſo facto excõmunicationis ſententię ſubiacere. Illi autẽ ad quos in eodẽ imperio Imperatoris ſpectat electio, eligant liberè ſucceſſorem. De pręfato Siciliæ regno prouidere curabimus, cum eorũdem fratrũ noſtrorum conſilio, ſicuti uiderimus expedire. Data Lugduni 16. Calend. Auguſti: pontificatus noſtri anno tertio.

Ad

AD LECTOREM.

CVm epiſtolæ Gregorij papæ noni ad Fridericum exemplum ex uetuſto quodam codice tranſcriptum, ad manus eſſet, etſi id, ut & præcedentis excommunicationis, nulli epiſtolarum Petri de Vineis exemplo adiunctum uiderimus, tamen formulæ excommunicationis in Fridericum Imperatorem ab Innocentio III pontifice promulgatæ, ſubiungere libuit: cùm quòd ab argumento epiſtolarum aliarum non penitùs eſt alienum, tum ut eo perlecto ac cognito, quantum Gregorius pontifex, dum Friderico amicus fuit, ei ob præſtantiſſimas uereq; diuinas ingenij dotes detulerit, lector perſpiciat, quæ Romaniſtarum iudicia eſſe ſoleant: nimirum ut hos, qui ſeſe ad pedes ipſorum ſubijciunt, ament, colant, prædicent, atque in cœlum ferant: contradicentes autem, uel in minimo aduerſantes, culpent, inſectentur, uituperent, proſcindant, condemnent, atq; tandem anathematis ſui fulmine percuſſos, in imum inferni detrudant.

S. S. S.

EPISTOLA GREGORII

papæ noni directa anno primo ſui pontificatus, Friderico Secundo Romanorum Imperatori, ac Hieruſalem & Siciliæ Regi.

GRegorius epiſcopus ſeruus ſeruorũ Dei, chariſsimo in Chriſto filio noſtro Friderico, Romano Imperatori, & Siciliæ regi, ſemper Auguſto: ſalutem & Apoſtolicã benedictionem. Ad oſtendendũ uiam ligni uitæ errantibus, in inuio mundi huius, poſuit te Dominus quaſi Cherubim, & uerſatilem gladium. Cum enim diligenti meditatione penſatur ratio in te illuminata dono intelligentiæ naturalis, & imaginatio diſcreta in rei comprehenſione ſenſibilis: quę, quaſi uerſatilis, una facie reſpicit rationem, alia naturã ſenſibilium intuetur. In te uirtus motiua manifeſtè conſpicitur, qua poſsis inconueniens à cõueniente diſtinguere: & comprehenſiua, qua facilè ualeas conueniens & licitũ obtinere donum. Sanè tibi ſcientiæ deſuper attributæ, & uirtus perfectæ imaginationis in manu opificis reſultãtis, quaſi duo luminaria magna, duo dona cœleſtia, uiã ligni, in qua uita noſtra pependit, & terram promiſsionis oſtendunt. Iſta duo uexilla, quæ Dominus erexit in animæ tuæ corporeis inſtrumentis, tota ſequitur militia Chriſtiana: quin potius ſeqtur totus mundus,

dus, à paradyſo puræ conſcientiæ, merito ſuæ preuaricationis excluſus. Et ideo eſt ſummopere prçcauendũ, ne uexillũ quod habes cõmune cum angelis, intellectus ui delicet & affectus, deformet delicati corporis nutrimentum: ac per hęc, quod abſit luminaribus cognitionis & dilectiõis extinctis, & in terrã uictricib. Aquilis ſic proſtratis, & uoluptatib. terrenis implicitus, commodè nõ poteris, te ſequentib. uiam demonſtrare ſalutis. Abſit à te hoc fili chariſsime, à quo uidetur modò uita huius mũdi ſenſibilis depẽdere. Illius itaq; recorderis hiſtoriæ, quod in colũna ignis & nubis, de iugo Pharaonis populus Hebræorum eductus, in terrã promiſsionis induci tur: quam in zelo iuſtititię, & in nube quę refrigerat miſericordiæ, coneris uirtute di uina, ſuperatis interiorib. hoſtib. obtinere, ut hęc in archiuo memoriæ ualeas iugiter intueri. Quinq; inſignia Imperialis Celſitudinis culmini deputata, cũ eorũ myſterijs cupimus ſtylo ferreo in cordis tui ungue adamãtino depingere, quod nulla poſſet obliuione deleri. Crux ubi eſt lignum Domini, & lancea ubi clauus eius exiſtit, ante te in proceſsionibus ſolennibus deportantur. Coronam aureã cum lapidibus precioſis geſtas in capite: ſceptrum in dextra: pomum tenens aureum in ſiniſtra.

Myſticè, ſed ſatis papiſticè inſignia Imperialia interpretatur.

Crux,

Crux, ut Dominicæ paſsionis memoria, & acerbiſsimi cruciatus, ſint ſemp ante oculos mentis tuę, in cōtumelijs uerborum in iniuriarū opprobrijs, flagellis & plagis, laceratione ſpinarū, transfixione clauorum, prudenter attendēs in quantū te oporteat Domino reſpondere. Lanceā conſidera diligēter, cuius acumē latus eius perforauit & aperuit, de quo Chriſtus largiter ſacramēta tuæ ſalutis effudit. Iſta eſt porta anguſta quæ te ducit ad uitā, de qua non ſubſtātia ſolita, ſed liquor tantū exiuit, ut dolor acutus ſit in te & ueræ cōtritionis acumē: ꝙ eſt clauis quę tibi portā aperit paradyſi, quam nō poteſt intrare ſolidū aliquid, nec anima indurata, ſed liquefacta in camino feruidę charitatis, & in fornace amoris. Corona aūt triplici coronaris, ſicut & Chriſtꝰ extitit triplici diademate coronatus, à matre, nouerca ſcilicet & patre. A' matre, ſcilicet corona gratiæ, per quā infirmitatē noſtræ mortalitatis aſſumpſit. A' nouerca, coronam iuſtitiæ, per quam genus humanū, ſanguinis ſui precio redemit. A' patre coronam gloriæ, ad dexteram ſuam ipſum in regno gloriæ ſuæ collocauit. Tu autem ſimiliter in Germania coronaris à matre, cuius lacte nutritus es & feliciter educatus, corona gratiæ, quam non ex debito iuſtitiæ, ſed ex libera electione principū no-

ſtrorum

ſtrorum es aſſecutus. A' nouerca coronatus es in Liguria, quæ ſolet aliquando Imperio nouercari, corona iuſtitiæ, quæ debetur iuris neceſsitate. Tertiò coronaris à patre, ſcilicet à ſummo pontifice, corona Imperij, quæ eſt gloriæ, quæ te omnibus mundi poteſtatibus anteponit: ut gloria & honore ſuper omnes mundi principes ſublimeris. Coronã igitur gratiæ ita portes in hoc exilio, ut corona iuſtititiæ tibi in iudicio reponatur: & examinandus à iudice, in iudicio, ſermones tuos in præſenti diſponas, quibus ad argumentum, poſsis reſpõdere. Et tandem corona immarceſcibilis gloriæ coroneris in regno, quod nullo unquam tempore corrumpetur. Sceptrum iuſtitiæ portas in dextra, quæ grauis eſt ad puniendum iniquos. In ſiniſtra pomum aureum, initío carẽs & fine: quod eſt miſericordiæ, cui regnum promittitur ſempiternum, quę extenta debet eſſe ad liberandum oppreſſos, & miſeros conſolandos. Quia iudicium ſine miſericordia multum deſtituitur, ſi unum ſine altero teneatur. Adhæc de animæ tuę quam ſyncera & ardẽti diligimus charitate, ſalute ſolliciti, uniuerſis mundi huius tranſitorijs pręferenda, ex prærogatiua dilectionis, quã in minore officio ſumus Imperialem celſitudinem amplexati; ut nihil de contingentibus

ibus omittamus, quę ad mortis ęternę periculum euitandum, & recuperandam graam crucifixi fuerunt oportuna: latorem præſentium fratrem Gualterum, de ordine prædicatorum, tibi duximus deſtinandum, cui tanquam nobis fidem indubitatam adhibeas, ſuper his quæ ex parte noſtra proponenda duxerit. Datæ etc.

SCHOLION.

HIC apparet teſtimonio huius papæ, quod glorioſus & ſublimis erat ille Fridericus II Auguſtus: qui etiã Conſtitutiones regni Siciliæ iuſtiſsimas & ſanctiſsimas edidit, & ſuo tempore obſeruari in regno ſtrictiſsimè fecit. In quib. inter alia uoluit qđ omnibus aduocatis & procuratoribus litigantium in eius Curia, de publico prouideretur. Et ſimiliter omnibus indigentibus ſeu pauperibus illic litigantibus, interim quod ſine dolo cauſas perſequerentur eorum, de publico, ſcilicet de regijs emolumentis, ſumptus darentur: nec pro examinatione teſtium quicquam reciperetur à ſatrapis & ſcribis Curiæ memoratæ. Sed hæ conſtitutiones diuinę, poſtea ſuccedentibus nouis regibus Gallicis, per contrariam deſuetudinem in abuſionem ductæ fuerunt, potiſsimè in odium dicti

conditoris earum. Et quia ipſi noui reges non uſquequaque per iuſticiam, ſed uo-luntatem propriam regere uoluerunt. Dictus etiam Fridericus generale ſtudium in ciuitate Neapolitana inſtaurauit, hoſpitale & ędificia neceſſaria cum maximis redditibus in Tripergulis, ubi ſunt calida balnea prope mare, diſtantia à Neapoli per duo milliaria, & per tria uel circa à ciuitate Puteolana, pro aduenientibus illuc pauperibus etiam ędificauit, & maximis reditibus dotauit, nihil horum quę ad prouidum regem & diligentem dominum ſpectant omittendo.

Cap.

CAPITA LIBRI PRIMI EPISTOLArum *Petri de Vineis.*

QVerimonia Friderici Imperatoris, ſuper depoſitione ſua, contra papam & dominos Cardinales. Cap. I.

Fridericus, regibus & principibus mundi, ut non obediant domino papæ, & Cardinalibus, eo quòd ſunt eleemoſynis pauperum impinguati. Cap. II.

Fridericus regi Franciæ, ſuper ſententia depoſitionis lata contra eum per papam & Cardinales in concilio Lugdunenſi. Cap. III.

Fridericus magiſtro iuſtitiario regni Siciliæ, ut procedat contra clericos, non celebrantes Miſſarum ſolennia tempore interdicti, & quod religioſi non transferant ſe de ciuitate in ciuitatem. Cap. IIII.

Fridericus, regi Franciæ ſignificat aliqua facientia ad tractatum pacis reformandæ, inter ipſum & d. papam. Cap. V.

Fridericus Cardinalibus, ſuper ſententia excommunicationis lata contra ipſum, per dominum papam in urbe. Cap. VI.

Inuectiuè ſcribit Romanis, eo quòd non oppoſuerunt ſe domino papæ, quando excommunicationis ſententiam protulit in eundem. Cap. VII.

Comitibus, principibus, & alijs nobilibus, ſuper obſidione Fauentiæ, & captione legatorum, & prælatorum uocatorum ad Concilium. Cap. VIII.

Eiſdem ſuper eadem captione prælatorum, & etiam legatorum. Cap. IX.

Iuſtitiario Terræ laboris, ſuper depoſitione ſua, ut exigat ſubuentionem à clericis. Cap. X.

Regi Angliæ, & alijs regibus, de morte domini Gregorij papæ noni. Cap. XI.

Rex Franciæ, Friderico Imperatori, ſuper liberatione prælatorum regni Franciæ captorum per ipſum. Cap, XII.

Reſponſiua Friderici Imperatoris ad præcedentem. Cap. XIII.

Fridericus, ſcribit inſectiuè Cardinalibus, quia nimis tardant in electione noui pontificis. Cap. XIIII.

Fridericus regi Caſtellæ conqueritur de domino papa. Cap. XV.

Regi Anglorum, narrans ei, quòd non potuit obtinere pacem cum domino papa. Cap. XVI.

Friderici inuectiua ad Cardinales, cum increpatione quia non creant nouum papam. Cap. XVII.

Fridericus, regi Franciæ conqueritur de domino papa. Cap. XVIII.

Fridericus, Capitaneo regni, ut procedat contra religioſos, portantes literas papales in regnum. Cap. XIX.

Fridericus regibus, et uniuerſis baronibus regni Franciæ, narrans eis proceſſum habitum, inter ipſum & dominum papam. Cap. XX.

Fridericus eiſdem, & ſuper eiſdem, conquerendo grauiter de ſummo pontifice. Cap. XXI.

Fridericus Viterbiēſibus, inducens eos ad fidem ſuam comme-

commemorans, quod papa eis in neceſſitate noluit ſubuenire. Cap. XXII.
Fridericus, quod moneãtur clerici, ut diuina celebrẽt tempore interdicti. Cap. XXIII.
Reſcribit papæ, quòd non remittit captiuũ ſibi repetitum per ipſum, ſed ob ſui reuerentiam, mitigat ſibi captiuitatem. Cap. XXIIII.
Conſtitutiones editæ per Imperatorem, contra hæreticos. Cap. XXV.
Item alia de eodem. Cap. XXVI.
Item alia ſuper eodem. Cap. XXVII.
Fridericus, uniuerſis mundi principibus de ſiniſtris rumoribus Terræ ſanctæ. Cap. XXVIII.
Regi Vngariæ de aduentu Tartarorum, & conqueritur ei de papa, propter cuius impedimentum non poteſt eis obuiare. Cap. XXIX.
De eodem. Cap. XXX.
Vniuerſis prælatis, ut compeſcant papam à ſuis illicitis motibus. Cap. XXXI.
Fridericus, fidelibus ſuis de ſeruitijs collatis Eccleſiæ per eum, & de creatione noui pontificis. Cap. XXXII.
Fridericus de promotione papæ, ſcribit ſibi, ſignificans ſe pariturum mandatis ipſius, per nuncios & legatos. Cap. XXXIII.
Regi Franciæ uarias calliditates papæ indicat, rogans ut per regnum ſuum faciat diuulgari, ut nullus accedat ad Concilium papale. Cap. XXXIIII.
Scribit rex Franciæ uniuerſis Cardinalibus, quòd cũ Romana eccleſia multo tempore paſtore uacauerit, ta-

rit, talem Pontificem eligt, qui meritò Chriſti uicarius dici poßit. Cap. XXXV.
De admiranda Romani pontificis in Fridericum iniquitate. Cap. XXXVI.
Sacerdotium conqueritur de fratribus minoribus, eorumq; faſtum reprimi petit. Cap. XXXVII.
Epiſtola Caroli primi regis Siciliæ ordinata per Clementem papam IIII. ad Petrum regem Arragoniæ Cap. XXXVIII.
Reſponſio domini Petri regis Arragoniæ ſupra præmißis. Cap. XXXIX.

EPISTO-

EPISTOLARVM PETRI DE VINEIS Liber primus.

QVERIMONIA FRIDERICI IMPERATORIS, *ſuper depoſitione ſua, contra papam, & dominos Cardinales.*

Cap. I.

COllegerunt pōtifices & phareſęi conſilium in unū, aduerſus principem, & Romanorum Imperatorem. Quid facimus, inquiunt, quia hic homo de hoſtib. ſic triumphat, ſi ſic ipſum dimittimus, omnem ſibi ſubijciet gloriā Lombardorum, & more Cæſareo ueniens non tardabit, ut poſſe nobis & locum auferat, & deſtruat gentem noſtram. Vineam autem Dominī Sabaoth, alijs locabit agricolis, & nos abſque iudicio iudicabit, & malè perdet. Obſtemus ergo principijs, ne fortè ſcintilla tenuis in flammam tranſeat deſtructiuam. Et morbus quidem incipiēs fiſtulare, non abſciſsus uſq; quo perueniat in medullas. Sępe enim uix fumus ignis extinguitur, & morbo cronico ſalubris ſerò parabitur medicina. Nullus igitur huiuſmodi ſermones Principis attendentes, percutiamus acriter, aiebant, lingua, nec ſagitta noſtra plus lateat, ſed procedat: ſic procedat, ut feriat:

ſic feriat, quod lædat: ſic lædatur, quod iaceat: ſic poſternatur, ut amplius non reſurgat, & tunc clarè uidebitur, ſi ſua ſomnia proſint illi. Super cathedra Moſi ſedentes, hoc tempore phariſęi, ſic moti ſunt contra Romanum principem oberrantes, quòd actores maliciæ facti ſimul & iudices, apertè iudicium ſubuerterunt. Tandem illos ſui cordis malicia ſic intꝰ & extra penitus obcœcauit, qđ unà prorſus errante clauiũ poteſtate, inſontem & iuſtum Principem ligauerunt. Sed audite mirabilem tam glorioſi Principis ligaturã. Iſte Pater patrum, qui dicitur Seruus ſeruorum Dei, omni prorſus excluſa iuſticia, factus eſt aſpis ſurda, non admittens Romani principis allegata: & uelut lapis qui de funda iacitur, ſic emiſit ſubitò uerbum malũ, ac uelut omnino reſpuens in perturbatũ conſiliũ, Quod ſcripſi ſcripſi, uociferans, reſpuit uiam pacis. Sed qui Chriſti uicarius diceris & Petri ſucceſſor, etiam humilis piſcatoris, cur accenſus furore, refugis id pro quo rex omnium induit formam ſerui? Dic rogo, quid reſurgens à mortuis dixit primò diſcipulis, ille magiſter omnium magiſtrorum? Non, inquit, arma & ſcutum ſumite, nec ſagittam uel gladium, ſed pax uobis. At qd glorialis in malicia, qui ſolus in orbe diceris fraude & dolo? Quid aliud niſi pa-
cem

cem hymnus dicit angelicus, & * tertius agnus Dei: uel quid ille mirabilis Regis æterni filius, corporali præſentia diſceſſurus, tunc reliquit diſcipulis, cum rediјt unde uenit. Certè pax & dilectio ſunt principaliter illa duo, quę teneri uoluit poſt diſceſſum. Ergo, ſi Chriſti uicarium, & Petri te aſſeris ſucceſſorem, à Chriſti prorſus & Petri tramite non diſcedas. Sed actus concordent actibus, & Campanus inhæreat Galilæo. Iſtud autē ſatis, & merito turbat Chriſti fidelium puritatem, quòd Petrus relictis omnibus & rete, ſequi, Chriſto uocante, uoluit uiam uitæ: qui tanquam omnia poſsidens, & nil habens, ad theſaurum cœleſtis patriæ ſemper ardētius aſpirabat. Tu uerò nihil prorſus habens, omnia autem poſsidens, quæris ſemper quid deuores & diglutias, nec ſedare poteſt aliquando totus mundus tui uentris ingluiē, quia tibi non ſufficit orbis terræ. Petrus autem Apoſtolus, ut legitur, ad portam ueniens Specioſam: Nec argētum nec aurū habeo, dixit claudo. Tu uerò ſi forſan incipit aceruus pecuniç quē adoras minui, ſtatim cū claudo claudicas, quærens anxiè quæ ſunt mundi. Sed qui, Chriſto iubente, prędicas tanquā paſtor Eccleſię paupertatē, cur refugis quod hortaris, quærens ſemper, ut cumules aurum auro? In hoc ergo, non re-

* Aliàs & in terris agnus Dei.

Campanus inhæreat Galilæo, id eſt, Gregorius nonus imitetur ueſtigia Petri. Nā Gregorius natione Cāpanus: Petrus Galilæus fuit.

ſtat aliud, ſi non dormis, niſi ut ſummi pontificis prorſus prædicatio cõtemnatur. De cœlo namq;, ſi bene recolis, deſcendit linteum ſuper Petrum, cui ſurge, macta, & comede, dictum eſt, dum oraret: qui tamẽ immunda noluit manducare, dura quamuis eſſet eſurie ſtimulatus. Tu uerò ad hoc uiuis, ut comedas, in cuius uaſis & ciphis aureis ſcriptum eſt: Bibo bibis. Cuius uerbi præteritum ſic frequenter in menſa repetis, & poſt cibum, quòd quaſi raptus uſq; ad tertium cœlum, Hebraicè, Grçcè loqueris, & Latinè. Poſtquam autem impleta fuerit uino uẽtris ingluuies, & ſtomachus uſque ad ſummum eius, tunc ſuper pennis uentorũ çſtimas te ſedere. Tũc tibi Romanorum ſubeſt Imperium: tunc adferunt tibi munera reges terræ: tunc uinum mirabiles facit exercitus: tunc tibi ſeruiunt omnes Gentium nationes. Ploret igitur mater Eccleſia, quod paſtor gregis Dominici, factus eſt lupus rapax. Craſſum quidem de grege comedens, confractum non alligat, & diſſolutum ad propria non reducit, ſed uelut amator ſchiſmatis, caput & author ſcandali, pater doli, contra iura Romani principis & honorẽ tuetur hæreticos, Dei quidem & cũ omni Chriſti fidelium inimicos, omniũ prorſus altiſsimi timore poſtpoſito, & hominum uerecũdia retroiecta.

Sed

Sed ut poſsit hic melius ſui cordis malitiam occultare, prædictos crucis hoſtes & fidei, fouet & protegit ſub quadã ſpecie pietatis, adſerens ſe Lombardis, ad hoc tantũ ferre ſubſidium in hac parte, ne Cęſar illos cędat, aut iudicet pluſquam requirit ſeries ſui iuris. Sed doloſę uulpis aſtutia, nunquã in hoc falles ingeniũ uenatoris. At qui regis Iſrael, intẽde ſingularis Dominici gregis paſtor. Dic rogo, qđ eſt hoc, quod curabat, ut legitur, Infirmos à morbis ualidis, umbra Petri? Tu uerò, tãquam uir ſanguinum, ad hoc ſolum inuigilas, ut facta ſtrage, uiuentium ſanguis innoxius effundatur, & de te ſacerdos male, optimè dici poteſt, Qui tuo tempore Deo diſplicere proponis, & per excellentiã tuã iracundiæ turpis es imitator, dicens: Guerram ueni mittere in terrã, & quid aliud uolo, niſi ut inter ſe homines prælietur? Nõ enim eſt hoc Romani pontificis, cui Paſce dictum eſt oues meas, ut illas quidem mortifices, quarum paſtor & caput diceris, dux etiã & ſeruator. Iſtud quidẽ conſideres, ut nec uolũtas uel furor opprimat ius & uerũ, quod ille rex terreſtriũ & cœlorum, in terris diutius conuerſando, nil prorſus habere uoluit cũ terrenis, ſed docẽdo diſcipulos: Beatos pauperes ſpiritu tunc uocauit. Tu uerò tantum in terris habens proprium & commu-

commune terrenis,in terris terrea theſaurizas. Sed,proh dolor, theſauros Eccleſię rarò uel nunquam in uſus erogas egenorum.Sed ut teſtatur Anagnia, mandaſti ſtatim domum fieri mirabilem, ſicut regia ſolis erat,oblitus prorſus Petri inopię qui dudum non habuit, niſi rete: & quod peius eſt, etiam illa noſtra Hieruſalem, in qua Chriſtus effuſo ſanguine pati uoluit & occidi,iacet ancilla canibus, & tributaria Saracenis. Et tu Chriſti uicarius in hoc dormis,nec curas, quod noſtra dolet hæreditas ad alios deuoluta. Sedet enim deſerta ciuitas, olim plena populo, & gentibus ſpecioſa, Romani quidem antiſtitis omni prorſus ſolatio deſtituta, fundens riuos amaritudinis, quæ lac & mel olim fundere cõſueuit. Vox cuius uox turturis,quę pro cantu dat gemitum,uiduata plorat anxiè, uelut Rachel filios ſuos, quos in templo ſancto ſuo non uidit Sabbatha uenerari, aſsiduè Regem regum Romanũ expectãs principem,captiuitatis ſuę fiduciam,& ſui exterminii redemptoré.Sed tu hoſtis Herodes impie,illuc ire times,lapis offenſionis & petra ſcandali,maris & terrę ſemitas conturbaſti,ne Cæſar iſte mirabilis, mũdi lumẽ & ſpeculũ ſine ruga, ſuccurrat more Cęſareo terrę Dei.Sed defendis hęreticos perditionis filios & erroris, audire potes meritò

meritò uerbum illud: Error cui non reſiſti tur, adprobatur: & nec eſt mirũ, non enim cares occultæ ſocietatis ſcrupulo, cum manifeſto facinori deſinis obuiare. Ad cor ergo reuertere, nec opponas te Principi matris Eccleſiæ defenſori, ſed cogita & attende, quod Syluestro dudum papę, pauperrimo latenti tunc tẽporis in cauerna reſpondit, ut decuit tantum uirum ſacri magnificẽtia Conſtãtini, qui curatus à leprę uitio, dedit Eccleſiæ quicquid habet libertatis hodie uel honoris. Sed Syluęſtri uicarius malè reſpondet Friderico: Nunquid enim dimittis ſeptuageſies ſepties, ſicut æterni regis filius dixit Petro, qui non uis inſonti ſemel parcere, ſępe ueniam poſtulãti. Aut cùm dicat Apoſtolus: Omnis poteſtas à Domino Deo eſt, qui poteſtati reſiſtit, diuinæ potentiæ contradicit. Reuertentem ergo ad gremium matris Eccleſię, benignè recipias filium ſingularem, pręſertim cum petat inſtanter ueniam abſque culpa: alioquin leo noſter fortiſsimus, qui ſimulat hodie ſe dormire, rugitu ſolo terribili trahet omnes à terræ finibus tauros pingues, & plantando iuſticiam, Eccleſiam diriget, euellens prorſus ac deſtruens cornua ſuperborum.

Frideri-

Fridericus regibus & principibus mundi, ut non obediant papæ & Cardinalibus, eo quod ſunt eleemoſynis pauperum impinguati.

Cap. II.

ILlos felices deſcribit antiquitas, quibus ex alieno præſtatur cautela periculo. Status nanq; ſequens formatur ex principio præcedentis, & ut impreſsionem cera recipit ex ſigillo, ſic humanæ uitæ formatur moralitas ab exemplo. Hanc utinã felicitatem, noſtra ſerenitas prægustaſſet, ut cautelæ ſolertiam, quam uobis ò Chriſtiani reges & principes, ex noſtra maieſtatis nimie lęſiõe relinquimus, nobis potius Chriſtiani reges & principes læſi reliquiſſent. Porrò, quia clerici cenſentur pauperũ eleemoſynis impinguati, filios opprimũt: ipſique noſtrorum filij ſubditorum paternæ conditionis obliti, nec Imperatorẽ nec regem aliqua ueneratione habere dignantur, quoties in patres Apoſtolicos ordinãtur. Quod autẽ ex circũlocutionib. noſtris innuitur, ex Innocẽtij papæ quarti pręſumptione probatur: quia uocata Synodo, ut aſſerit generali cõtra nos non uocatos, nec ſuper aliqua fraude uel prauitate cõuictos, auſus eſt ſentẽtiam depoſitionis ſtatuere, quam præter omniũ regum enorme præiudicium non poterat ſtabilire. Quid enim uobis & ſingulis regibus, ſingularum

rum regionum, à facie tanti principis ſacèrdotum timendum? non ſupereſt, ſi nos ex principum electione ſolenni, & adprobatione totius Eccleſiæ, ac in Chriſtianæ fidei religione uiuentium, Imperiali diademate diuinitus inſignitos, & alia regna nobilia magnificè gubernantes, deponendos adgreditur: & cuius, quo ad Imperiale diadema, nō intereſt aliquid in nos exercere rigoris, etiā ſi cauſæ legitimæ probarentur. Verùm quem ſacerdotalis ſic infeſtat abuſio poteſtatis, à ſummo nos conatur præcipitare deorſum, nec primi ſumus nec ultimi. Et hoc quidē uos facitis obedientes, religionem ſimulantib. ſanctitatis, quorum ſperat ambitio, quod totus mundus defluat in os ſuū. O ſi ueſtræ credulitatis ſimplicitas, à Scribarū & Phariſæorum fermento, quod eſt hypocriſis, iuxta ſententiā ſaluatoris, ſibi curaret, attēdere: quot illius Curiæ turpitudines execrari poſſetis? quas inhoneſtas & pudor ꝓhibet nos effari. Sanè reditꝰ copioſi, quib. ex pluriū depauperatōe regnorū ditātur, quēadmodū ipſi noſtis, ipſos faciunt inſanire. Apud uos Chriſtiani mendicāt, ut apud eos Patarēi māducēt ibi ueſtras domos obſtruitis, ut illic aduerſariorū oppida cōſtruatis. Sicq; de ueſtris eleemoſynis impinguati, tales Chriſti paupes ſuſtētātur, q beneficij compen-

compenſatione, qua ſaltem gratitudinis exhibitione uobis ſe prębent obnoxios, qui quanto manus eis indignantibus liberaliores oſtenditis, tanto non ſolũ manus, ſed etiam manus & cubitos auidius adprehendunt, ſuo uos laqueo detinentes, ſicut auicula, quę quanto ad euaſionem fortius nititur, tanto firmius alligatur. Hęc uobis ad pręſens ſcribenda curauimus mittere, inſufficienter exprimentia uotum noſtrũ. Cętera uerò ſecretius intimanda, decreuimus omittere: uidelicet in quos uſus diuitias pauperum expendit prodigalitas auarorum. Quid ſuper Imperatore comperimus eligendo, niſi pax, quam per magnos mediatores intendimus reformare inter nos & Eccleſiam, ſaltem ſuperficialiter reformetur? Quid de regum omnium communibus ſpecialibuſque negocijs diſponere intendamus? Quid ſuper inſulis Oceani fuerit ordinatum? quid cõtra Principes uniuerſos quibuſdam conſilijs uel negotijs, quæ nos, qui nonnullos ibidem habemus familiares & ſubditos, licet clandeſtinè, latere nõ poſsint, illa curia machinetur. Quantis uiribus, quot uirorum inſidijs, qualiter inſtructorum ad bella, in hoc ipſo uere quod inſtat, oẽs qui nũc nos opprimũt opprimere poſſe ſperemus, etiam ſi ſe nobis opponeret totus mũdus. Quod autem

autem tales & tales fideles noſtri latores præſentium, uobis retulerint, certè credatis, ac etiã ſi ſanctus Petrus iuraſſet, firmiſſimum habeatis, nec propter hoc quod à uobis petimus, uideatur uobis, quod propter in nos latam ſentẽtiam depoſitionis, noſtrę magnanimitas maieſtatis aliquatenus incuruetur. Habemus.n. cõſciẽtię puritatẽ ac per cõſequẽs, Deũ nobiſcũ: cuius teſtimoniũ inuocamus, quia ſemper fuit noſtræ uoluntatis intẽtio, clericos cuiuſcunque religionis ad hoc inducere, & præcipuè maximos ad illum ſtatum reducere: ut tales perſeuerẽt in fide, quales fuerãt in Eccleſia primitiua, Apoſtolicã uitã ducentes, & humilitatẽ dominicã imitantes. Tales nãq; clerici ſolebãt angelos intueri, miraculis coruſcare, ęgros curare, mortuos ſuſcitare, & ſanctitate, nõ armis ſibi principes ſubiugare. At iſti ſeculo dediti & ebriati, delitijs Deũ poſtponũt, quorũ ex affluẽtia diuitiarũ religio ſuffocatur. Talib. igitur ſubtrahere nocentes diuitias, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt charitatis: ad hoc uos omnes principes unà nobiſcum, ut cuncta ſuperflua deponentes, modicis reb. contenti, Deo ſeruiãt, cui ſeruiunt omnia, omnem quam poteſtis debetis diligentiam adhibere.

g Fride-

Fridericus regi Franciæ, ſuper ſententia depoſitionis lata, contra eum per papam & Cardinales, in concilio Lugdunenſi. Cap. III.

ET ſi cauſſæ noſtræ iuſtititiam, uulgaris famæ præloquium, & multorum ueridica teſtimonia nunciorum, ad ſerenitatis ueſtræ notitiam perduxiſſe credamus: quia tamen ſegnius irritant animũ demiſſa per aurem, quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus, ipſam puram & nudam ueritatem, proceſſus uidelicet, quos contra nos ſummi pontifices hactenus habuerunt, ueſtro conſpectui præſentamus. Ad cuius inſpectionẽ plenariam & attentã de tot temporibus & diebus ueſtris negocijs deputatis, unum ſufficiens tempus & diem nobis adfectio ueſtra cõcedat: quod ſi licuerit diligenter attendere regia conſilia, rectè conſiderent, ſi fuerit in prædeceſſoribus noſtris rectitudinis zelus, ſi nobis tot & tantis iniurijs laceſſitis iuſta debuerit, aut debeat defenſio denegari. Si demũ Chriſti uicarius, Chriſti uices impleuerit: & ſi Petri ſucceſſores, eius imitentur exemplum, conſiderent etiam quo iure cenſeri debeat, ualidus proceſſus huiuſmodi contra nos habitus: uel quo nomine nuncupari, ſi dici ſententia liceat, quam iudex incompetens promulgauit. Nam & ſi nos

no-

noſtræ catholicæ fidei debito ſuggerente, manifeſtiſſimè fateamur, collatam à domino ſacroſanctę Romanæ ſedis antiſtite, plenariam in ſpiritualib. poteſtatem, ut quãtumcumq;, quod abſit, ſit ille peccator, qd in terra ligauerit, ſit ligatum in cœlis, & quod ſoluerit, ſit ſolutum: nuſquam tamẽ legitur diuina uel humana lege ſibi conceſſum, quod transferre pro libito poſsit Imperium, aut de puniendis temporaliter in priuatione regnorum regibus & principibus iudicare. Nam licet ad eum de iure & more maiorum cõſecratio noſtra pertineat, non magis ad eum depoſitio ſeu remotio pertinet, quam ad quoslibet regnorum prælatos, qui reges ſuos prout aſſolent, cõſecrant & inungunt: uel eſto ſine præiudicio noſtro, quod habeat huiuſmodi poteſtatem, eſt ne iſtud de plenitudine poteſtatis ipſius, quod nullo prorſus ordine iuris ſeruato, animaduertere poſsit in quoslibet, quos aſſerit ſuæ iuriſdictiõi ſubiectos? Proceſsit enim nuper contra nos, ut dicitur, non per accuſationis ordinem, cũ nec accuſator comparuiſſet idoneus: nec inſcriptio præceſsiſſet: nec per denunciationem legitimo denunciatore ceſſante, nec per inquiſitionis modum, quem clamoſa inſinuatio non præceſsit: cum etiam nullorũ inquiſitorum nobis facta fuerit copia, ſi

Cõſecratio nihil iuris pontifici in imperatorẽ tribuit

qui fortè fuerint,cùm nonnulli fuerint pu
blicè per huiuſmodi iudicem ad inquiſiti-
onem adducti,aſſerit enim omnia fore no
toria,quæ nos eſſe notoria manifeſtè ne-
gamus,& quæ notoria per legitimum te-
ſtium numernm non probantur. Sic enim
quilibet iudex, poſſet per ſe ſolummodo
aſſerendo notorium, ſpreto iuris ordine,
quemlibet condemnare. Inſurrexerunt in
nos,ſiquidem in concilio, ſicut dicitur,ali
qui teſtes iniqui,ſed ualdè pauci, quorum
aliquos uelut Calinéſ.epiſcopũ, quẽ ſuus
frater,uidelicet & nepos, per nos ex cauſ-
ſa proditionis ad ſuſpendium legitimè cõ
demnatus,offenſa rationabili nobis red-
dit odioſum & iure pręterea repellẽdum:
alios autem,tanquam ex ultimis partibus
Hiſpaniæ prodeuntes,Terraconenſem ui
delicet,& Cõpoſtellanum antiſtites,quos
negociorũ Italię natalis zonę lõginquitas
inſcios,& eoſdẽ uenenoſæ ſubornationis
inductio noſtræ iuſtitiæ fecit infeſtos.Sed
eſto ſine pręiudicio noſtro,quod legitimi
fuerint ſubſiſtentibus teſtibus,actor & iu-
dex:ſed defuit tertius,reus:qui uel præſẽs
uel cõtumaciter abſens,ſecundũ iuſtitiam
debuit condemnari.Citati nanque in præ
dicatione ſua Lugdunẽſi,ſicut audiuimus
licet prorſus informiter fuimus, uidelicet
quod ipſi citati,& alijs cauſſis nonnullis
omnino

omnino perſonis aut rebus expreſſis fa-
ēturi iuſtitiam per nos deberemus,uel per
reſponſales idoneos comparere:prȩſentes
pro certo non fuimus,ſed ex iuſtis cauſſis
abſentes,à quarum allegationibus noſtri
legitimi reſponſales fuerunt repulſi, nec
abſentes contumaciter fuimus.Cùm præ-
ter id quod nulla fuerit citatio, ut eſt di-
ētum peremptorium terminum, prout or
do iuris expoſtulat,citatio non haberet:
prout citationis forma principibus & prȩ
latis miſſa per literas euidenter oſtendit.
Contumaciam noſtram prȩterea magiſtri
Thadæi de Sueſſa,magnæ Curiæ noſtrȩ iu
dicis fidelis noſtri,plenè procuratiōis mã
datum excuſat: cuius authoritas pro eo
quòd fuerat criminale iudicium,aut quod
fruſtra procurator interuenerit, nullate-
nus eneruatur: cum ipſius citationis tenor
quæ nos aut procuratores noſtros exegit,
manifeſtè contrarium dediſſet intelligi,ui
delicet quod contra nos non criminaliter
ſed ciuiliter tantum fuiſſet agendum,præ
diētis etiam omnibus abſque noſtro præ-
iudicio circũſcriptis.Et dato, quod mani-
feſtè fuerimus contumaces,non eſt iſta le
gitimæ contumaciæ pœna quod delatus,
aut accuſatus &contumax,priuato uel pu
blico iudicio,in nullo de ſua cauſſa diſcuſ-
ſo,per diffinitiuam debeat ſententiã decla

 rari.

rari.Sunt etiam & aliæ contumacium pœnæ ciuilibus legibus & canonibus introductæ.Denique poſito,quod omnia prædicta iuris præſidio fulciantur,licet irrefragabiliter cauſſæ noſtræ deſeruiant, ipſius pronunciationis tenor ipſam ſententiam nullam oſtendit,per quam nõ procurator noſter præſens,ſed nos abſẽtes extitimus condemnati,quam ipſo iure nullam ſentẽtiam eſſe leges & iura quælibet manifeſtè declarant.Euidenter quoq; proceſſus præcedentis iniquitatẽ & cauſſę notant,quod cum ſentẽtia cõprehendat multiplex periurium,uidelicet,de ſacramento pacis præſtito,per nos ſicut aſſerit,non ſeruato. Præterea de Anagnia per priuilegia diuorum Auguſtorũ & noſtra eccleſia Romana conceſſa,uiolenter à nobis poſtmodum occupata,ut aſſerit,de Cardinalibus &prælatis captis ad Conciliũ cõuocatis,de quibuſdã eccleſijs & eccleſiarum prælatis, rebus & clericis regni noſtri , per officiales de regno,nobis abſentibus,uiolatis. A' quibus omnibus incorruptibilis ueritas,& publica munimenta nos defendunt: prout ſeriatim hęc omnia fida relatio latoris præſentium , & ipſorum munimentorum tenor, manifeſtiſsimè profitẽtur, quanquam ad tam diræ pœnæ ſententiam, ſi tamen ſententia dici poteſt,quæ contra nos præcipi

tata

tata dinoſcitur in prædictis, uenerabilem Friſingen. epiſcopum, dilectum principẽ noſtrum, fratrem honorabilem, magiſtrum domus ſanctæ mariæ Theutonicorum, & magiſtrum Petrum de Vineis, dilectos fideles noſtros: quos ultimò pro omnimoda conſummatione pacis tractatæ, ad Concilium mittebamus, ſaltem per triduum, ad multorum nobilium, & quàm plurium pręlatorum inſtantiam ſummus pontifex noluit præſtolari. Nec quod de ceſſatione cenſus adijcitur, pro regno Siciliæ, nos ab ipſius regni dominio uel iure ſecludit, cũ cenſum ante diſcordiam, inter nos & Eccleſiam exortam, abſentes, à regno per officiales noſtros, ſolui mandauerimus: prout literæ noſtræ inter rationes rationalium noſtrorum inuentæ manifeſtè declarant: & quem pro tempore ſuprà dicto, Domino teſte, uſque in præſentem diem credimus eſſe ſolutum, præſertim, cum à nobis nunquam extiterit requiſitus. Poſt diſcordiam uerò cenſum eundem conſignatum prælatorum & publicarum perſonarum ſigillis, apud ſacras ædes deponi mandauimus, & hodie depoſitus conſeruatur. Adparet igitur animoſa nimís, & ampulloſa, non minus ex ipſius inflictæ pœnæ ſeueritate, ſententia, per quam Imperator Romanus Imperij au-

ctor & dominus, læſæ maieſtatis crimine dicitur condemnatus: per quàm ridiculoſè legi ſubijcitur, qui omnibus legibus imperialiter eſt ſolutus. De quo temporales pœnæ ſumendæ, cùm temporalem hominem ſuperiorem non habeat, non ſunt in homine, ſed in Deo. Spirituales autem pœnas, per ſacerdotales nobis pœnitentias iniungendas fore, tam pro contemptu clauium quàm pro alijs tranſgreſsionibus, humaniſque peccatis: nedum à ſummo pontifice, quem in ſpiritualibus patrem noſtrũ & dominum profitemur: ſi tamen nos ipſe ut filium debita relatione cognoſcat: ſed per quemlibet ſacerdotem reuerenter accipimus, & deuotè ſeruamus. Ex quibus omnibus manifeſtè liquet, quòd hi potius ignominioſè quàm iuſtè habendos nos dixer nt de catholica fide ſuſpectos, quam nos, teſte Summo iudice, in omnibus & ſingulis eiuſdem articulis, ſecundum uniuerſalis Eccleſiæ diſciplinã, & adprobatũ Romanæ eccleſiæ ſymbolum, firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur. Aduertat igitur induſtria regia, ſi prædictam nullam ſententiam ipſo iure, nullumque proceſſum ſeruare, non minus in noſtram quàm omnium regum, aut quarumlibet temporalium dignitatum perniciem debeamus: quam nulli noſtrorum Germa-

niæ

niæ principum,à quibus aſſumptio noſtri ſtatus ac depreſſio noſtra dependet, præſentia uel conſilio firmauerunt. Aduertat & aliud,qualis ex iſtis initijs exitus expectetur, à nobis incipitur, ſed noueritis, quod finietur in uobis:quia noſtra potentia primitus conculcata, reſiſtentiam aliquam non expectat:ueſtram ergo iuſtitiã in cauſſa noſtra tuentes,uobisq; & ueſtris hæredibus,à longe prouidentes, nobis in ijs ſicut conuenit,adſiſtatis. Nec illud omittimus,quin fidei noſtræ conſtantiam ex confœderatione facta nobiſcum, ad prę ſens fiducialiter requiramus,ut ne dum ad uerſario noſtro,aut nuncijs,ſeu legatis ipſius occultè uel publicè faueatis:quin nobis potius toto poſſe uiriliter aſsiſtatis, nullum omnino nuncium papalem, ueſtræ ditioni ſubiectum, in diſpendia noſtra conuertere molientem, aliquatenus admittentes:pro certo ſcituri, quod nos, in quibus inchoata eſt tantæ temeritatis audacia, quæ ad depoſitionem noſtram, uelut cuiuslibet ſacerdotis autoritate ſuæ iuriſdictionis extendit, taliter, aſſiſtente nobis dextera Regis regum,qui ſemper iuſtitiam comitatur,iſtis principijs occurremus:dum modò ſe nobis illorum potentia non opponat,regum & principum ſcilicet,quos communiter cauſſa noſtra con-

tingit,& quorum non minus uertitur intereſſe,quàm noſtrum:quod uobis & alijs orbis terræ nobilibus cauſſam iuſti timoris,in talibus noſtra defenſio nõ relinquet Inuiti tamen hoc facimus, teſte Deo,ſed ſumus neceſſariò prouocati,ueluti qui peſte multiplici Chriſtianitatem noſtris temporibus uidemus attritam:ad cuius auxilium unà nobiſcum,prout etiam nuperrimè ſcripſimus, totis uos intendere uiribus expectamus. Requirat autem de manu eius hoc Deus,qui tãto diſcrimini materiam ſubminiſtrat.

Fridericus,magiſtro Iuſtitiario regni Siciliæ, ut procedat contra clericos non celebrantes Miſſarum ſolennia tempore interdicti, & quòd religioſi non transferant ſe de ciuitate in ciuitatem. Cap. IIII.

NE per excogitatæ malignitatis aſtutiam, iſte Romanæ ſedis antiſtes dũ factus,nobis inſidiás,ijs quæ Dei ſunt,longè ſepoſitis de prauitatis hæreticæ puteo conetur ſemper exhaurire ſuffragia, quib. euidentem noſtræ cauſæ iuſticiam decoloret,offundens bibulis auribus fellitæ conſcientiæ canones,ut quieti noſtrorum fidelium uitam pariat inquietam : habita nuper diligẽti prouiſiõe,ſancimus, Quod quicunq; clericus uel religioſus,ad papale ſeu papalis legati mandatũ publicè forſan obmiſerit Miſſarũ ſolennia,ſeu alia diuina officia

officia celebrare & eccleſiaſtica Sacramenta fidelibus propinare negauerit,de ciuitate uel loco,cuius incola reperitur, eiectus, ſuis bonis omnibus patrimonialibus& eccleſiaſticis,ut pœnã de tanta temeritate tuliſſe ſe doleat,ſpolietur.Clericis uerò mandato prædicto parere uolentib. & in fide noſtra feruentib.eccleſiaſtica patrimonialia,aut bona à proximis ab inteſtato decedentibus ueniētia,aſsignētur. Statuimus etiã,ut nulli religioſi,de ciuitate in ciuitatē audeāt ſe trāsferre,niſi poteſtati loci, de quo iter arripiēt,teſtimoniales literas deferāt,&aliàs ſint morib.& uita laudabiles,ac noſtris fidelib.nō ignoti. Volentes igitur, has nouas noſtrę munificētię ſanctiones,à noſtrisfidelib.inuiolabiliter obſeruari,tuę deuotiōi p̄cipimus,quatenꝰ eas per terras quaslibet tuę iuriſdictiōi traditas p te Imperiali ꝓgrāmate publicatas, inter ſtatuta ciuitatis cuiuslibet,ut nulla ſit in excuſatione,diuerſitas,inextricabiliter iubeas inſerēdas,& promittas nos infallibiliter ſeruaturos.Huic etiã publicatiōi adijcias,quod clericis omnib.nobis adhærere uolētib.& mādata pręſentia deuotè ſeruātib.inuiolata ſeruari uoluimus omnia eorū priuilegia & eccleſiaſticas libertates:nec ad pacē,uel cōcordiã cū papa prædicto,ſe noſtra Serenitasinclinabit,niſi prius ijdē clerici,in plenam

nam poſſeſſionem omnium bonorum, reſtitutionem ordinis & honoris, quib. forſitan per eundem priuati extiterint, integrè reducantur.

Fridericus, regi Franciæ ſignificat aliqua facientia ad tractatum pacis reformandæ, inter ipſum & dominum papam. Cap. V.

Virum induſtrium, & illuſtrem B. comitem Tholoſan. dilectum affinem & fidelem noſtrum nuper ad nos à pręſentia legis Apoſtolicę reuertentem, gratanter recepimus, & circa ea, quę pacis ſunt domini papę, & noſtrę uoluntatis plenitudinem referentem, tanquam rem hilarem, audiuimus & intelleximus diligenter: utpote qui de innata nobis manſuetudine guerrarum diſcrimina ſemper odiuimus, dum modo pacificè regnare poſſemus, & qui ex officij debito, quo Romanum imperium moderamur cum Romano pontifice, quē prę cæteris terrę principibus patrem pręcipuum cōfitemur, bella plus quam ciuilia gerere crudelius credimus, & nephandius arbitramur: ad pacis pulchritudinem in gentibus reformandam, Maieſtatis noſtrę potentiam, ardenti deſiderio flectimus, ipſamque nedum oblatam, nobis gratanter admittimus, ſed nos eam offerre plurimum adfectamus.

Volen-

Volentes igitur uotis Apoſtolicis in ijs, ſicut tenemur, & in omnibus nos reddere compotes, & ex corde conformes, adhæc deliberatione pręhabita, direximus aciem mentis noſtræ, ut pacis conſilia cogitãtes & deſiderantes, quod nobis & toti mundo concordiam inire poſſemus, tractatũ pacis gratanter duximus admittendum. Cum igitur negotij qualitas per paucisſimos zelatores, pacis peccatis exigẽtibus, hactenus procurata ex multis multos expoſtulet, cumq́ue de latere noſtro uiros idoneos tanquàm à principijs moti diſcriminis, noſtris conſilijs adſiſtentes, proceſſu omnium circunſtantiarum inſtructos, ad Apoſtolicam & ueſtram præſentiá tráſmittere nequeamus, inſtante nobis diſcordia: qua præſidens ſedi Petri, ad præſens ſibi proficere reputans, proceſſibus noſtris quę potuit impedimenta, in Lombardiæ partibus pręparauit, ſecundo legatorũ noſtrorum aduentu reſiſtente, papam duximus poſtulandum, & filiali deuotione rogandum, ut ex fratribus ſuis aliquem, quem ſecum ad pręſens habeat, faciente fragilitate ſortis humanę perpaucos, ad nos debeat deſtinare, cui intima cordis noſtri intendimus reſerare, quędam, quę nõdum in aures cuiuſpiam de noſtri pectoris thalamo deſcenderunt, per quę nõ niſi diſpoſi-

ſpoſitione diuina, cuius ſunt occulta iudicia tantorum bonorum, confirmata ſit ſeries, quod pacem indubitáter credimus prouenturam. Ecce itaq;, Comitem ſupradictum, uelut amore tam deſideratæ pacis ac cenſum, hilariter laborátem, propterea ad ſedem Apoſtolicam deſtinamus, cui ſuper ijs, quæ domino papæ, & uobis ex parte noſtra retulerit, indubitanter Serenitas ueſtra credat.

Fridericus Cardinalibus, ſuper ſententia excommunicationis lata contra ipſum, per dominum papam in urbe. *Cap.* VI.

CVm ſit Chriſtus caput Eccleſiæ, & in Petri uocabulo, ſuam fundauerit Eccleſiam ſupra petram, uos Apoſtolorum ſtatuit ſucceſſores, ut Petro pro omnibus miniſtrante uos qui eſtis candelabra Eccleſiæ ſupra montem, non ſub modio conſtituti, reuera omnibus qui ſunt in domo Domini, ex effectu bonorum operum luceatis, nec à publica mundi língua & conſcientia generali ueritatis uos ſubtrahere intendatis: cum ad ſingula quæ præſidens ſedi Petri proponit ſtatuere, uel denunciando decreuerit, æqua participatio uos admittat, niſi ipſius religionis Eccleſię ſtatus & zelus efferuens euitandi ſcandalum generale; cautelam uobis ſuggeſsit ob futura,

ra. Quis enim nõ miretur & ſtupeat, quòd tot uenerabilium patrũ aggregatione munitus Eccleſiæ, generalis ſedens in ſolio (utinam iuſtus iudex) inconſultè uelit procedere, ac ſuis motibus excandeſcens, in Romanum intendit principem, aduocatũ Eccleſiæ, ad præcipitationem omniũ, ſententiam depoſitionis ſtatuere: & ob fauorem Lombardorum rebellium exercere ſpiritualem gladium, ſi dici liceat, minus iuſtè: cum aliàs quicquid ex obiectis Eccleſiarum grauaminibus, quæ uel dicuntur obiecta, uel quæ ut ſpecies à genere per indiuiduum deriuentur, uel emendationem ceperint, uel ad deliberationem ueſtri conſilij ſit in proximo, prout iuſsio, iã pręceſſit debita, & integra emẽdatio ſecutura. Nã ecce per patẽtes literas pręlatorũ, quos mandatum Apoſtolicum mittit monitores, euidẽs teſtimonium declaratur, & præcedens noſtra conſtitutio ſuper uocatione pręlatorum, damna paſſorum, & de eiſdã pręſtanda integra ſatisfactione pręlatis. tũ per literas uenerab. archiepiſcopo Meſſanenſ. uocato ad hoc aſſeſſori noſtro tranſmiſſas, euidẽs exhibetur teſtimoniũ ueritatis. Propter quod nõ indignè debemus ferre, ſi pater Apoſtolicus offendere tã grauiter nos intẽdit, ut nos, dũ in cõſtantẽ uirũ, tã uehemẽs cadat iniuria: & ſi patiẽter ferre uolue-

uoluerimus, immunitas negotij non permittat:quin ad ultiones,quib.Cæſares uti ſolẽt,facti uiolentia nos compellat. Verun tamen dum conſideramus in potentiam dominantis uel procedentis,& difficultatem attendimus defenſoris, ſi ex quo liceret priuatas exercere uindictas,quas in hominem,per quem ſcandalum uenit, & in ſui participes ſanguinis compenſare poſſemus,ut in ipſum & ſuos, attentata ueſtræ ſedis iniuria redundaret,tolerabilius duceremus.Sed cum nec ipſe,nec tota eius ſucceſſura progenies tanta foret, ut Imperij culmen zelaret in ultionem ipſorũ: cúmque ſedis ipſius authoritas audacie ſibi frena relaxet,& tot uenerabilium fratrũ ſuorum moles,eum in concepta fouere pertinacia uideatur, angit nos ulteriori mente turbatio:quod dum nos intẽdimus à perſequente defendere, oportet nos defendendo grauius offendere ſatagentem, ſalua in omnibus Eccleſiæ ſanctitate : quam cultu ſacro,debita reuerentia corde & opere ueneramur. Quapropter uenerandum ueſtrum cœtum affectuoſius deprecamur, quatenus motus ſummi pontificis, quos ex cauſſis euidentiſſimis,tam iniuſtos quá uoluntarios mundus agnoſcit ex deliberata modeſtia compeſcatis, generali ſtatui Eccleſiæ præſertim & quieti mentium ac

ſcanda-

ſcandalis prouidentes. Nam cum ad ſalutem & honorem omnium ueſtrum fauorabiliter alligemur, & ſi principijs obſtare non poſſumus, licitè liceat nobis iniurias, quas reuocare non poſſumus, iniutijs propulſare.

Inuectiuè ſcribit Romanis, eo quòd non oppoſue runt ſe domino papæ, quando excõmunicationis ſententiam protulit in eundem.

Cap. VII.

CVm Roma ſit noſtri caput, & auctrix Imperij, & Romanus Imperator, à Romæ uocabulo nuncupetur, ut ſibi noſtri nominis & honoris proceſſus & auſpicia debeamus, in admirationem ducimur uehementem, ſi ubi promouendus eſt honor, & iniuria propulſanda, apud eos qui tenentur & debent pro culmine noſtro ſe murum defenſionis opponere inſurgentibus ex aduerſo, ipſis audientibus & diſsimulantibus cõtrarium patiamur: propter quòd dolore compellimur, quòd Romanus antiſtes, cõtra Romanum principem, quod alibi non auderet, ſicut dicitur, in Vrbe præſumpſit, Romanum Imperatorem, authorem Vrbis, & benefactorem populi Romani, ipſis non reſiſtentibus impiè blaſphemare: ut beneficiorum noſtrorũ, tam proceres quàm populũ Romanũ, quibus

ſpecialiter & communiter ſtuduimus libe rali & ſpontanea munificentia prouidere, & eorum intendimus continuatis augmẽtis commoda promouere, rectè notemus, immemores extitiſſe, ac inerti ſomno detentos: ut de tribu Romulea, non eſſet uir de tot proceribus & tribu Quiritum, uel de tot Romani populi milibus, qui pro nobis exurgeret, & uerbum unicum loqueretur, quique noſtræ iniuriæ condoleret. Cum nos urbem triumphorum titulis inſignitam, noſtræ uictoriæ ſucceſsibus honoremus, & ad reformandum nomen, ſicut in diebus antiquis, & ſedandum ſtatum Romani Imperij, continuis laboribus intendamus. Quapropter neceſſariò decreuimus uos requirere, inſtanter monere, pariter & hortari, quatenus quod omiſſum eſt aliqua negligentia uel torpore, nunc inſtanter oſtendere debeatis, inducentes alios monitis & exemplo, ut omnes & ſinguli prompta uoluntate conſurgant, ad noſtram & ueſtram iniuriam ulciſcendam. Quia cum idem blaſphemator noſter, auſus non fuiſſet in noſtri nominis blaſphemiã prorumpere, de tanta præſumptione gloriari non poſsit, quòd ualentibus & uolẽtibus Romanis, cõtra nos talia perpetraſſet, cum poſt id poſſet ueſtrę magnitudini imputari, ſi quod autẽ fuit, impe-

impedire laudabiliter potuiſtis,& poſt factum noſtram & ueſtram iniuriam poſtponatis inultam. Nam cum ad alterutrũ teneamur,& nos Romanum honorẽ, & uos Romani defendere nomen noſtrum, ſi ad hoc uos ſegnes & negligentes inueneri-mus, cum nullus timor nos coegerit ad beneficia Romanorum, ſed gratia induxerit ſpecialis, per ingratitudinẽ iſtam, licet inuiti, cogemur, ab uniuerſis & ſingulis exhibitam gratiam reuocare.

Comitibus, principibus, & alijs nobilibus, ſuper obſidione Fauentiæ, & captione legatorum & prælatorum uocatorum ad Concilium.

Cap. VIII.

ADaucta nobis cõtinuæ felicitatis auſpicia, quibus dextera Domini proſequitur greſſus noſtros, deſiderium ueſtrum uolumus non latere. Cum enim in obſidione Fauentię, præterita hyeme fixa fuerint uictricia noſtra caſtra,& inſultibus propter aſperitatem temporis nõ pateret: ſed machinis & inſtrumentis bellicis, intus & exterius dicta ciuitas quaſſaretur: & muris ex continuo machinarum ictu collapſis:ac per ſubterraneas uias, quas noſtri fecerant, attingentes mœnia ciuitatis & intima penetrantes, uerni temporis adueniente temperie, ciues non confiderent,

ulterius ſe tueri: miſericordiam noſtram tandem humiliter implorarunt: & quarto decimo die, pręſentis menſis Aprilis, cum omni deuotione ſe ad mandata noſtra conuertentes: quanquam diffiſi meritis, de noſtra tamē quæ ſuis præponderabat exceſſibus pietate confiſi, ditioni noſtræ colla ſubiecerunt, corporali fideli præſtito iuramento, alijſque omnibus illicitis iuramentis, quæ prius fecerant abiüratis. Nos igitur, qui de noſtrorum ſubiectorum cōuerſione gaudemus, glorioſum uindictæ genus penſantes, ignoſcere ſubditis, & ſuorum exceſſuum iudicium moderari, ciuitatem eandem, & ciues eius in gratiam noſtram clementer accepimus: & reos abſoluimus, ac offenſas remiſimus, quas patrarant, captiuis eorum liberaliter liberatis: & tandē eis de noſtra gratia confidentiam dedimus, ut uicti noſtram miſericordiam conſecuti, uictoriæ quoque noſtræ denuo congaudeant, & nil dulcius, nilq; ſuauius iugo imperij ſentiant experiri. Cumq; poſt uictam & obtentam Fauentiam, ad depopulationem uicinæ Bononiæ, noſtrū properaremus propoſitum inſtantius, & conatus exercitu noſtro potenti, ex diuerſis mundi partibus reſtaurato, accingeremus feliciter, auribus noſtris noua expectata deſiderabiliter occurrèrunt: quòd cùm Peneſtrinus

neſtrinus epiſcopus noſtri honoris & nominis obtrectator, qui rapacem lupũ ſub ouina pelle tegebat, quòd poſſet effugere manus noſtras, patratarũ uelutſuarum in nos conſcius offenſarũ, frequenter ſpecies hominum, ex alterna rerum & cõmerciorum uarietate contraxit Otho ſancti Nicolai, in carcere Tuliani diaconus & Cardinalis, qui diu legatus fuerat, in partibus tranſalpinis, & contra honorem noſtrum multipliciter machinatus prælatorum turba, quam diuinare nemo poterat, pro Concilio contra nos Romæ celebrando, ex diuerſis mundi prouincijs cõgregata, Ianuã uenientes, cõſpiratione facta cum Ianueñ. noſtris rebellibus, & armata ibidem copia galearum: cum quibus duci Romam, & reduci Ianuam conuenerant, ſub infauſtis eorum auſpicijs uiam nauigationis aſſumerent. Galeas autem noſtras & Piſanorũ, quas ad eorum impedimentum trãſitum, ſolicitudo noſtra diu prouiderat, & pararat in locis & portibus, per quæ oportebat eos neceſſariò pertranſire, obuias habuere: ita, quod homines regni noſtri, cũ uictorioſo exercitu noſtro, cum fidelibus noſtris Piſanis, noſtrorum infidelium, Ianueñ. galeas potenter adgreſsi, tribus eorum galeis in mari ſubmerſis, & perſonis amiſsis, uiginti duas galeas triumphaliter

habuerũt:quarũ ſedecim ſpecialiter obten tæ ſunt ab hominib. regni noſtri : reliquis ſex,ad manus deueniẽtib.Piſanorũ.in quibus capti ſunt duo prædicti legati, & cum eis G. de Romangia, tertius in ſimul legatus, qui Ianuam, pro eorum paſſagio diponẽdo præceſſerat,ut in eodem caſu cum ijſdẽ legatis firmiter ligaretur. Capti quoque ſunt quàm plures archiepiſcopi, epiſcopi,abbates,priores,presbyteri,procuratores, & diuerſorũ nuncij prælatorũ ambaſiatores ciuitatum rebellium Lombardorum, qui contra nos ad ipſum Concilium mittebantur : & quatuor milia Ianuenſiũ electorum,qui pro comitatu eorum,& ducatu fuerant deputati prælatorum : quos omnes carcer noſter includit. Quibus nouis ad noſtram audientiam grata relatione perlatis, quia negocij qualitas expetebat, & rei ſuccedentis euentus maiora felicitatis auſpicia promittebat,conſiliũ eundi Bononiam reuocantes, propẽſiori conſilio uerſus Romam uictricia caſtra noſtra conuertimus:ubi ſub uexillis potentię noſtrę,nos acclamat fortuna felicior,per quã reliquię, ſi quę ſunt noſtrorum rebellium, conſternantur: & capitis humiliata ſuperbia collapſa in ſuo corpore ſeditioſis membra tabeſcant. Adiecit etiã manus Domini uotis noſtris augmenta ſucceſſuũ, & continuauit

tinuauit de cœlo uictoriam, noſtrorum titulis triumphorum. Nam cum certa die illi Papienſ. fideles noſtri, unà cum uicarijs illarum partium, & alijs fidelibus noſtris, ad coartandam per terram Ianuam, quæ in mari proſtrata fuerat, magnificè proceſsiſſent: Mediolanenſ. hoſtes Imperij, ſuo motu præcipites, ſperantes maiora inferre Papienſibus, propter abſentiam ſuorum militum, nocumenta, per comitem G. de monte Longo, quem papa præfecit eis Capitaneum & legatum, cum buccinis & tubis ſub infauſtis eorum uexillis clauium exierunt: & cum Papienſium finibus uicinaſſent, Papienſ. fideles noſtri cum militibus eorum, qui die illo in ſero ab exercitu, ex inopinato redierant, Domino faciente, pro Mediolanenſ. ſuperbia conterenda, ipſorum aduentu cognito, cum eis audacter & uiriliter concurrerũt: & ſub felici noſtro nomine militantes, ipſos potenter adgreſsi, triumphaliter deuicerunt, capientes tubas, buccinas, & uexilla clauium, ac uexillum cõmune, cum Carocium non haberent. Trecentos quoque & quinquaginta de electis Mediolanenſium uictrix, Papienſibus cathena deduxit, præter occiſos, quorum uix poterat numerus ęſtimari. Socij uerò legati capti fuerũt, ſed de legato ipſo, ſi euadere potuit

aliis de Romangia.

uel in bello cecidit, quia in miſsione præſentium, nõ poterat haberi certitudo, quid de perſona ſua ceſſerit, ignoramus. Sed iſtud inter dubia nondum certi credere uolumus, in eo, qui noſtrũ in ſuo iure firmat Imperiũ, confidẽtes, quod trib. in fugitiuo æquore captis legatis, pariter & ligatis iuſtus Dominus, quartũ in terra legatũ non permiſerit euaſiſſe. quæ omnia tibi ſignificamus ad gaudiũ, ut ſicut es noſtrorũ ſucceſſuum auidus, particeps ſis triumphi.

Eiſdem ſuper eadem captione prælatorum, & etiam legatorum. Cap. IX.

CVm ad depopulationem uicinæ urbis Bononiæ, noſtrum uerteremus propoſitum & affectum; prælatorum turbam cum Peneſtrino epiſcopo, & Oth. ſancti Nicolai in carcere Tuliani diaconi, Cardinalis, noſtris aduerſaturam proceſsibus, ex diuerſis prouincijs congregatam, contigit, ſuo infortunio Ianuam perueniſſe. Vbi conueniente cum eis G. de Romangia, addito legato legatis, ut in ſimul ligarentur, & conſpiratione facta cum Ianueñ. rebellibus noſtris, galearum copiam armari fecerunt: cum quibus ad papam, Romã pro maiori cauſſa coniurauerant aduenire. Ad quorum impedimentum tranſitum, & acceſſum, nos diu ante præuiſam conuenire fecimus

fecimus apud Piſas uictorioſam claſſem galearum. Quæ, eorum præcognita motione in locis & portubus, quæ latẽter uel in alto mari præterire non poterant, ueluti neceſſariò nauigabilia trãſitura, eis trãſeuntibus potenter occurrit: & adgreſsis galeis noſtris, galeas eorum, præpotens Dominus, qui de alto uidet, & iudicat æquitatem, uiam eorum & excogitatam maliciam meditatur in uiribus, & potentia noſtra, quam effugere terra marique non poterant, Domino faciente, legatos ſimul tradidit, & prælatos: & tribus eorum galeis immerſis in mari, ac omnibus qui uehebantur in eis, ſine ſpe recuperationis amiſſis, uiginti & duæ galeæ, non ſine magna cæde nauigantium, cum perſonis & reb. uictæ ſunt à galeis noſtris, & triumphaliter occupatæ. In quibus prædicti tres legati, cum archiepiſcopis & epiſcopis, abbatibus, & multis alijs prælatis & nuncijs, & prælatorum procuratoribus, & ultra centum ambaſiatoribus ciuitatum rebellium Lombardorum, qui ad præfixum Concilium ire properabant, ac quatuor milia Ianueñ. exceptis ſpecialibus & electis perſonis de Ianua, qui galeis præerant & comitatui prælatorum pro ducendis epiſcopis Romam, & Ianuam reducendis, ſicut inter eos fuerat infortunatè conuentum, ad ma

nus noſtras peruenere ligati. ut de Peneſtrino illo, qui ſummum contra nos ubilibet odium incitabat, diuinum non defuiſſe iudicium arbitremur, qui ſub latentis lupi ſpecie, in ouina pelle, ac agni chlamyde Deũ incluſum gerere nõ formidat, & ſciat Deum nobiſcum eſſe, ſicut cum dijs eorũ, qui non ſolum per ſacerdotium, ſed per regnum & ſacerdotium mundi machinam ſtatuit gubernandam. Nos ergo ſuum, cœlitus nobis Domino reſeruãte, conſiliũ & in plana tot aſpera conuertẽte, ſudores bellicos & æſtiuos pulueres non uitantes, noſtrum felix iter, & intentionẽ omnimodã, & conatus, ad ea ſemper dirigimus, quę nobis & cæteris regnantibus exultationis & gloriæ afferant incremẽtum, ut uos prędictorum noſtrorum ſucceſſuum participes fieri gaudeamus: quos in omni felicitatis euentu cupimus habere conſortes.

Iuſtitiario Terræ laboris, ſuper depoſitione ſua, ut exigat ſubuentionem à clericis.

Cap. X.

HVcuſque ſatis, ut loquamur ad literam, pacem quęſiuimus, gratam nobis & à cunctis gẽtibus uotis adfectatam, ad quam per humilitatis & patientiæ holocauſtum rectè captandam, præter ſacri Imperij ius & morem, noſtra ſe pluries inclinauit

clinauit humilitas, petitionis ſuæ uotum, tanto celerius adeptura, quanto pax à Petri uicario, cui legatum pacis hominibus erogandæ commiſſum eſt, patientius petebatur. Vulnus enim immedicabile quod latebat interius, externi curâ medicaminis inſenſurum, ſub mitis medici cura compu truit, & cordis intima, proh dolor, uiolenter inuaſit. Congregauit enim Lugdunenſe concilium, quod inuiti referimus, Romanus antiſtes, per quod ferrum gẽtibus præbuit: & quod ſedaſſe debuerat letale diſsidium, noſtris temporibus enormiter incitauit. Reſtat itaq; mederi per gladium putres partes, & audacter abſcindere, ne ſubſequẽter imputres per coadhęrentiam putrefiãt. Ad ſalubre igitur & feſtinũ ſubſidium procurandum, fidelium noſtrorum omniũ promptas exquirimus uolũtates, eccleſiarum potiſsimè, & eccleſiaſticarum perſonarum quarum profundius laborat infirmitas, ſpeciale ſubſidium inquirẽtes: quorũ uota cõcurrere manifeſtè cõijcimus uotis noſtris, ut quãto fuerit ſuccurſus agilior, tanto magis indigẽs & promptior ſit cautela. Quocirca fidelitati tuæ firmiter & diſtrictè præcipiendo mãdamus, quatenus ab eiſdem clericis, tuæ iuriſdictioni ſubditis, tertiam partem obuentionum & prouentuum omnium, pro tam ſalubri

acne-

ac neceſſaria ſubuentione præſtanda, inſtã ter exigas & recolligas feſtinanter, ipſam ad cameram noſtram celeriter tranſmiſſurus. Clerici nihilominus cura protegantur Imperij, paſtoris negligentia uel temeritate diſperſi, de bonis patrimonialibus, quæ in Imperio poſsident, contingentem eos collectam exoluere more ſolito, permiſſurus. Quoſcunque uerò ex ais in ſolutione quantitatis ſubſidialis eis impoſitę, uel petitione repereris contumaces, noſtri carceris excidijs adgraues, ne per impunitates ſcelerum intentionem aggrauent delinquendi.

Regi Angliæ, & alijs regibus, de morte domini Gregorij papæ noni. Cap. XI.

VIctorioſo exercitu noſtro Romanis finibus inſidente, ad quos auiditate componendæ pacis, & uoto generalis diſſidij remouendi, ſpecialiter Celſitudo noſtra peruenit, publicus ad caſtra noſtra rumor exiuit, quod die pręſentis menſis Augusti, Gregorius nonus papa, rebus eſt humanis exemptus, ut qui pacem & tractatũ pacis recipere denegabat, ad uniuerſalem diſſenſionem aſpirans, uix ultoris Auguſti metas excederet, qui Auguſtum offendere nitebatur reuera mortuus eſt, per quẽ pax terræ deerat, & uigebat diſsidium, & quàm

quàm plures in mortis periculum incidebant: de cuius morte multa compaſsione conducimur, & licet digno contra eum odio moueremur, uelut ab eo manifeſtis iniurijs & euidentis inimicitiæ perſecutionibus laceſsiti, gratum tamen compaſsio noſtra duxiſſet, ſi diebus ſuis fuiſſet ab authore ſalutis indultum, quod reuerendam matrem noſtrá, ſacroſanctam Romanam eccleſiam, & Romani ſedem Imperij, cui, authore domino, præſidemus, in optata pace ſopitis diſſenſionibus ſtatuiſſet, & ortum de ſuo motu ſcádalũ generale, quod ualde fuit modernis temporibus Chriſti fidelibus oneroſum, ſuo tempore quieuiſſet. Sed cum aliter uiſum fuerit in excelſis apud omnium conditorem, qui nouit in abſcondito conſilia malignantium: rebus diſsidétibus prouidit, & ad clamoré Chriſtiani populi conſolandum: diſponit in Apoſtolica ſede, uirum ſecũdum cor ſuum, qui ſui prædeceſſoris indirecta dirigat, & malefacta corrigat, totius mundi paci prouideat, & nos in maternam dilectionem Eccleſię dirigat & reformet: ad quod uotis ardentibus, totiſq; conatibus inſudamus, ut pacis amico, & iuſticiæ zelatore, in Dei Eccleſia ſubſtituto, ad honorificentiá noui patris, deuotus filius adſurgamus, dũmodo prædeceſſoris crimen & odium non ſequatur,

quatur, ei omnimodam beneuolentiam, defenſionem & patrocinium impenſuri, ad tuitionem catholicę fidei, & Eccleſiæ libertatis. Cum ad hoc, diſponēte Domino, Imperij ſceptrum ſuſciperemus, & Romanum imperium noſtrum ad prædicationē Euangelij ſit præparatum, ut catholicam fidem, & matrem Eccleſiam, à cunctis hoſtium incurſib. noſtrarū uirium conatibus eruamus. Præſertim cum ex occidentalib. partibus Tartarorum hoſtis adueniat, qui deſtructis partibus cuiuſq; regni, per quas tranſitum habuerat, & diuerſarum multitudine gentium conculcata, ac copia populorum funditus abolere ſatagit, tam nomen, quàm cultores fidei Chriſtianæ, cui de prouidentia noui patris Romani ſubſtituendi pontificis, adſiſtente nobis potentia regum, & principū orbis terræ, magnificè diſponimus obuiare. Adſumētes fiducialiter cauſſam Dei, qui noſtros de medio auferet inimicos, ut expoſitas ad eius ſeruitium impedire nequeant uias noſtras. Vos igitur diuinę prouiſioni, ac noſtris affectibus deuoti, & hilares adſurgētes, tam ueſtrorum propoſita cordium præparetis ad pacem, quàm armis neceſſarijs corpora muniatis ad conterendam unà nobiſcum hoſtium ueniētium ſuperbiam Tartarorum.

Rex

Rex Franciæ, Friderico Imperatori, ſuper liberatione prælatorũ regni Franciæ, captorum per ipſum.
Cap. XII.

TEnuit hactenus indubitanter noſtra fiducia, quod inter Imperium, & regnum noſtrum longo temporis tractu mutua dilectione firmata, nulla poſſet exoriri materia, odium & ſcandalum paritura. Cum prædeceſſores noſtri, felicis memoriç, reges uniuerſi uſq; ad tempora noſtra, honoré Imperij & ſublimitaté zelauerint, & nos qui poſt ipſos, Deo uolente regnamus, in eodem propoſito tenebamur. Nec nõ antiq Romanorũ imperatores & noſtri proximi, unum & idem regnum & Imperium æſtimantes, unitatem pacis & concordiæ ſeruauerunt, & inter eos alicuius diſſenſionis ſcintillula non illuxit. Verùm admirari cogimur uehementer, & nõ ſine ratione turbari, quod nulla offenſiõis cauſa uel materia pręcedẽte, pręlatos regni noſtri ad ſedem Apoſtolicam accedentes, cui tam ex fide quàm obedientia tenebantur, nec eius poterant recuſare mandata, in mari capi feciſtis, & eos ſub cuſtodia detinetis, quòd magis moleſtè ferimus, quàm maieſtatis ueſtræ ſublimitas fortè credat. Ná ſicut ex eorũ literis manifeſtè didicimus, nihil contra Imperialem celſitudinẽ excogitauerant, etiá ſi ſummus pontifex fuiſſet

ad

ad aliqua alia minus debite proceſſurus: unde, cum in eis nulla detētionis cauſa inueniatur, decet Celſitudinē ueſtram, prælatos regni debitæ reſtituere libertati, in quo uos nobis pacatos reddetis, qui detētionem ipſam, noſtram iniuriam reputamus. Regno enim noſtro ſublimi, multa fieret detractio, ſi ſuper talibus taceremus: quod ſi ad prædicta mentis ueſtræ, oculos uultis reflectere, Peneſtrinum epiſcopum, & alios legatos Eccleſiæ, in præiudicium ueſtrum, uolentes ſubſidium noſtrum implorare, manifeſtè repulimus, nec in regno noſtro contra maieſtatem ueſtram potuerunt aliquid obtinere. Prouideat igitur imperialis prouidentia, & ponat in ſtatera iudicij ea quæ ſcribimus, nec uelit trahere uotiua noſtra à ſua potentia & uoluntate, nam regnum Franciæ non eſt adeo debili tatũ in uiribus, quod ſe permittat ueſtris calcaribus perurgeri.

Reſponſiua Friderici Imperatoris, ad epiſtolam præcedentem. *Cap.* XIII.

REgiæ ſerenitatis literas Imperialis excellentia intellexit, quæ ſi non haberent in medio contradictionis obſtaculum, fuiſſent fortaſsis apud nos propoſitũ conſecutæ, ſed quia modico fermēto, tota maſſa corrumpitur, & uniuerſale argumen

tum

tum deſtruit unius falſitas ſingularis. Conſtat enim illa regia ſcripta ſine uirtute medij concluſiſſe, quod euidenter ex factis illis ei oſtendimus, quæ ſunt omnibus manifeſta. Notorium eſt enim, & mundus celare non poteſt, qualiter ille pater Apoſtolicus innocentiam noſtram, utroque gladio impugnauit, dum nobis ad mandatū ſuum transfretantibus idem aduerſarius noſter & hoſtis, Siciliæ regnum inuaſit, & ipſum non in parte, ſed multimode lacerauit. Poſtmodum uerò, poſt reditum noſtrū in regnum, ad multimodam inſtantiam, & interpoſitionem Almaniæ principum pace cum Eccleſia reformata, deuotione reſumpta, & ſi ſeruitia noſtra præceſſerint, dictus tamen Apoſtolicus, manus ſuas fortius aggrauauit, & quicquid excogitare potuit, ad præcipitium noſtrum excogitauit, motu proprio ſine cauſa, & in nos excommunicationis ſententiam promulgando, literis & nuncijs noſtrę diffamationis titulos prędicans uniuerſis. Nouiſſimè autem, ad ſupplantationem noſtram adſpirans, ut aduerſus Dauid, turrim conſtrueret Babylonis, prælatos quoſcunque potuit ad particulare Cōcilium euocauit, orientem præponere cupiens aquiloni. Verùm mirabilis Dei prouidentia, per quem uiuimus & regnamus, huiuſmodi prauita

tis ipſius conſpiciendo propoſitum, ac ipſius cogitationes uertens in nihilum, Cardinales & prelatos tam regni Franciç, quã aliarum prouinciarũ, in manibus concluſit noſtris, quos omnes tanquam noſtros hoſtes & aduerſarios detinemus. Nam ubi nõ deficiebat perſecutor, nõ debebat deeſſe defenſor: præſertim, cum imperium trãſcendat hominem, & leonis ueſtigia animalia ſingula pertimeſcant. Non igitur regia celſitudo miretur, ſi prælatos Franciæ, in anguſto tenet Auguſtus, qui ad Cæſaris anguſtias nitebantur.

Fridericus, ſcribit inuectiuè cardinalibus, quia nimis tardant in electione noui pontificis.
Cap. XIIII.

EX feruore charitatis intrinſecæ, decapitatis membris, Imperialis excellentia condolet ex indiuiſibili dilectionis affectu, quem erga matris ubera filius gerit tam adultus. Eccleſiæ uiduatæ compatitur & compatiendo turbatur, ut cui materna ſuauitatis dulcedinis alimenta communicat, & augmenta dilectionis interius ſubminiſtrat, doloris proculdubio non ſit expers: dolor eſt ſiquidem, dolor ingens, ſi Romana eccleſia, quæ mater debet eſſe omnium & magiſtra, in qua ſecus decurſus aqua-

aquarũ plantata ſunt ligna ſcientiæ, paſtoris ſolatio deſtituta careat, & quæ uiã præbere tenetur alijs, penitus oberrans in inuio, cogitur addiſcere, quæ facere debuit & docere. Sanè cõtra naturalis ordinis tramites mira res agitur, dũ reuolutas undiq; aquas abyſſus denegat, quas uirtutum ariditas, ut credimus, iam ſiccauit, dum Petri nauicula, quam cupiditatis flamma uorauit in girum nautarum culpa prę ſidentiũ, procellis intumeſcentib. conquaſſatur: dũ mater Eccleſia, quæ in Petro, immò in petra poſuit fundamentum, uiro priuata pro prio, remãſit ut indigena uiduata. Ecce, ſiquidem perdente Chriſto uicarium, princeps Apoſtolorum perdidit ſucceſſorem: & paſtorali regimine, grex Dominicus eſt priuatus. Sed cardinales, Eccleſię cardines & columnæ, quos diminutio capitis eclipſauit, quales cæteris ueniæ impetratores exiſtitis, ueritatem ipſam cum opprimitis, ac uoſmetipſos uindicetis? Quales ſemitas oſtenditis errantibus, qui à directionis greſſibus deuiatis? Sedentes enim ut colubri, non quę ſurſum ſunt ſapitis, ſed quę ante oculos ſita ſunt mundana, non ſpiritualia intuentibus prouidetis. Sitit enim quilibet præſulatum & papalem eſurit apicem, prout uoluntas dictat arbitrij & merita non ſubſeruiunt rationi, quorum

uultus ut inuidiæ maculis,ſic & liuore cu
piditatis obducitur, quod neuter uiuere
uelit alterum, ne dum pontificatus faſti-
gio ſuſpicere decoratum: Mouetur igitur,
mouetur & meritò noſtrę maieſtatis indu
ſtria,& tanto fortius doloris aculeo pungi
mur,quanto propius prę cunctis gentibus
& mundi principibus, Romanæ eccleſiæ
imperium uicinatur. Ceſſet itaque,ceſſet
materia factionum,ceſſet inter uos innata
diſſenſio,non uos ſeducat angelus tenebra
rum,qui ſæpe in lucis angelum ſe transfor
mat,& unitatem gregis diſrumpere con-
ſueuit,ſed pax & iuſtitia,quæ uelut duę ſo
rores,ſe inuicem amplexantur,in Cardina
lium collegiò uendicent ſibi locum:& in-
uocata clemētia illius,cuius eſt à ſummo
cœlo egreſſio, ad electionem noui pontifi-
cis unanimiter procedentes,nobis & mū-
do pręſulem eligatis:ubi diuinus intuitus
uos inuitet,& pondera ſubeant ęquitatis,
ut à uobis quos in opere præuios & im-
merito pręcurſores habere debet populus
Chriſtianus(cum adſumatur à ſubditis au
dacius in exemplum,quod committit ir-
reuerētius improuiſione prælatorum) nō
tranſgreſſionis notam accipiant ſubditi,
quos regitis dirigendo,ſed prouiſionis u-
nanimis & firmioris fidei ueſtigia proſe-
quantur.

Fride-

Fridericus, regi Caſtellæ conqueritur de papa.
Cap. XV.

PEnſantes amoris affectum, quem ad uos ſemper habuimus hactenus, & habemus illæſum, firmiter credimus, ut ſicut nos honorem ueſtrum, & commoda libẽter amplectimur, ſic nos uice mutua diligatis, & noſtra, quę maximè cauſam noſtram aliorumque regum & principum immediatè contingunt, & in quibus non minus ueſtrum quàm noſtrum uertitur intereſſe. Latere uos quidem fortè non credimus, qualiter pontificalis ambitio, in imperialis honoris diſpendium, & aliarum dignitatũ ſecularium conata eſt, ſemper hactenus iura noſtra confundere & noſtræ potentiæ brachia conculcare, faciens caſſare Romanum principem, ut ad reges & principes alios faciliorem habeat in ſua cupiditate progreſſum. Papa quidem non aduertens quot & quanta mundo diſſidia ex huiuſmodi turbatione proueniant, tractare non deſinit, qualiter hoſtes noſtros contra nos temporaliter incitet, & fideles à noſtra deuotione ſubuertat: qui ſi rebus ordinariè procedentibus rectitudinis ſpiritu duceretur, deberet contra Chriſticolas arma deponere & in Terrę ſanctę ſubſidium, qua quolibet inſpicimus auxilio deſtitutam,

uniuerſaliter à Chriſti fidelibus aduocare ſuccurſum: ꝓter alia nanq; diſcrimina, quę per unionē ſopiendæ diſcordiæ inter nos & ſummum pontificem procurandam, totus ferè iam mundus potuit euitare: nunc miſerabili caſui, quem non ſine fidei diſpēdio audiuimus eueniſſe in partibus tranſmarinis, fuiſſet fortè ſalubriter & adcuratè prouiſum: cum ibidem noſtram uel filiorum noſtrorum prҫſentiam, quàm libenter & frequenter obtulimus, habere potuerit fructuoſam, ſi petitę per nos multotiēs pacis fauere negotio uoluiſſet. Nos enim qui propter honorem catholicę fidei ſacroſanctā Romanā eccleſiam in omnib. reueremur ut matrem, libenter ut patrem ſummum pontificem coleremus, ſi ipſe nos ut filium, debita relatione tractaret. Sed ſic in negocio ipſo, iura noſtra defendimus, ut non ſolum nobis, ſed uobis, & principib. alijs gloriam de noſtra defenſione portemus. Vos tamē, quorum in hoc nō minus ueſtra cauſa quàm noſtra nunc agitur, & in quos de facili poſſet huiuſmodi refundi negocium, ſic apertè uidemini præſentia facta negligere, uel ſuper ijs potius dormitare tanquam ſi uos in nulla parte contingeret, & de honore noſtro cura uobis ſolicitudinis nō adeſſet. Quis enim cautelę modus in uobis & regib. alijs in caſu ſimili re ma-

maneret, ſi cauſam ipſam Romanus Augu ſtus deſereret: uel quorum humeri ad onera iſta portanda ſufficerent, ſi colla noſtra ſubtrahere ab eorundem ſupportatione uellemus? Verùm cum iſtæ Romanę ſedis antiſtes, ab ea forſitan deuiás pietate, quā prędicat quocunq;modo poterit (licet cō tra nos ſuum poſſe non ualeat) tam in Imperio quàm in regnis noſtrā nitatur offendere maieſtatē, motus noſtros arcere non poſſumus, quin cauſam noſtram & aliorū iniuriam uiriliter tueamur. Requirimus igitur, & adfectionem ueſtram rogamus attentè, quatenus diligentius aduertentes, qualiter ſummus pontifex ſuis uiribus, qui nihil habere debet, cum gladio non contentus, in alienam meſſem falcem præſumptuoſus immittit: & ut non longè petatur à nobis exemplum: qualiter in regno Portugaliæ honoris ſibi uſurpauerit dignitatē, curas ueſtras & animos excitetis. Nos enim ad conterenda noſtrorum colla rebellium, & expiandas inſidias, quę per papalem aſtuciam noſtris proceſsibus præparantur, poſt magnificum exercitum noſtrum, quem ad partes Italjæ uictorioſè præmiſimus, perſonaliter illuc proceſſiſſemus inſtanter: ſed audito caſu illuſtris regis Francorum, dilecti amici noſtri, ſtatim proceſſus noſtros, in noſtrum regnū pręui

dimus reuocandos,ubi de uaſallis noſtris & gēte,ac de ſuffragijs,ſicut ultra marino negocio magnificè diſponimus prouidere,quod dexteram noſtræ potentiæ, quā ſibi liberaliter extendimus, celeriter ſibi ſentiat fructuoſam.Non tamen ex hoc tales curas obmittimus, quin ad conterendas rebellium noſtrorum reliquias poten ter & uiriliter intendamus. Idē hoc quicquid de ſeruitijs noſtris, deuotus fidelis noſter uobis dixerit, indubitáter adfectio ueſtra credat,& adimpleat cum effectu.

Regi Anglorum narrans ei, quod non potuit obtinere pacem cum domino papa. Cap. XVI.

QVantum & æqualiter hactenus pro generali bono Chriſtianę fidei, Terræ ſanctæ præcipuè,ad cuius recuperationem uniuerſorum Chriſtianorum,ſed prę cipuè regū &principum uota ſuſpirant,ad pacis uniuerſaliter expectatæ dulcedinē, inter nos & iſtum,& alios eccleſiæ Romanę pontifices procurandam, humilitatis noſtræ colla ſubmiſimus,Serenitatem ueſtram ſcire iā credimus,nec mundus ignorat.Volumus ſiquidem pacem reuerenter expetere,ne in mundi graſſari diſsidijs uideamur.Volumus illum antiquum ſerpen tem patiētia noſtra temperare,& rigorem quem nonnullos progenitores noſtros di

uos

uos Romanos Auguſtos in ſimilibus nouimus habuiſſe, moderari. Nuper ad requiſitionem, & preces illuſtris regis Francorum dilecti amici noſtri, quē in Terræ ſanctę ſubſidium perſonaliter & inſtanter accinctum percepimus, deſperatum quodāmodo pacis negocium reſumere delectabat: quanquam nos præteritorum experimento perterriti, de pacis dubitare negocio neceſſariò cogeremur, dū quoties humilitatis ad pacē euidentia ſigna monſtrauimus, toties uoluntatē partis aduerſæ inuenimus duriorem. De proceſſu tamen regis eiuſdem ad pacem reformandā, aliqualem fiduciā obtinentes & fideles noſtros ſolennes, excellentiæ noſtræ legatos, plena noſtræ uolūtatis authoritate ſuffultos ſpecialiter prouidimus deſtinandos, qui dum pro honore Eccleſiæ matris noſtræ, ac felicibus Chriſtianitatis auſpicijs, ſaluo honore, ſemper Imperij & regnorum, quibus authore Domino, præſidemus, uoluntatem noſtram ad pacem paratam exponerent, & manifeſta præſagia futuræ ſatisfactionis offerrent, quæ rex ipſe, ſufficientia reputabat. Sed iſte bonus paſtor Eccleſiæ, nullum ad ius & honorem Imperij, nec ad nos uoluit habere reſpectum, ſed totum ſuæ ſubijcere poteſtati pro Lombardorū negocio, qui pacis tractatui ſemper

hactenus impedimenta pararant,& pacem quam debebat exquirere, turpiter profugauit oblatam. Ecce itaq; quæſiuimus pacem,& non inuenimus, uocauimus eam, & uocata nõ reſpondit. Reſtat igitur, ut ſic noſtra & Imperij noſtri iura, aliorumq; regum & principum in cauſa noſtra uiriliter tueamur, quod nos non oporteat amplius pacem imprudenter expetere, ſed potius acceptare petitam.

Friderici inuectiua ad Cardinales cum increpatione, quia non creant nouum papam.
Cap. XVII.

AD uos eſt hoc uerbum, filij Effrem, malè tendentes arcum, & peius emittentes ſagittas, turpiter in die belli cõuerſi retrorſum. Ad uos eſt hoc uerbum, filij Belial, diſperſionis oues. Ad uos eſt hoc uerbum, animalia capita non habẽtia, magni iudicis adſeſſores. Ad uos eſt hoc uerbum Cardinales obliquati, quibus malè uoluit orbis: ad uos eſt hoc uerbum, pro quibus totus mundus prorumpens in uerba, obloquitur. Non ego poſſum loqui, quin obloquar, quia de mundo ſum, licet immundus, propter quod oportet ſentire cum mundo, tanquam pars ſuo toto, nec diſſona, nec aduerſa ſcribẽti. Itaq; attẽdite de dura & inepta materia, rudẽ epiſtolam ex-

exordij dignitate priuatã. Nã lingua mea uelocitate compulſa, prius prorupit in uerba, quàm concipiens ei ſpiritus delegaſſet, & ſic ſuperioris non expectato Imperio minus plenè concepta edere feſtinauit. Habet enim animus perturbatus, quod plerũque ſermonem incontinuum parit, aliquando & abortiuum. Communis nanque animorum exiſtit conceptio & ſermo uulgaris, quod non mediator Dei & hominum, Ieſus Chriſtus, de ſummo cœlo, qui uenit ponere pacem in finibus terræ, Apoſtolorum magiſter & dominus, ſed diuiſus in ſe ſathanas, princeps aquilonarius, ſit in medio ueſtrum, tanquam quibus miniſtrat, ille perſuaſor diſcordiæ, homicida, mendacij pater, & ſpiritus tenebroſus, qui poſuit linguas ueſtras in diuiſiones, & in pluralitatis articulos, ueſtram diſgregare compulit unitatem, dum nec uobis, nec mundo conſulitis, qui tot periculis propulſatur: & Petri nauicula, quę per maris altitudinem uentorum flatibus rapitur, remis & remige deſtituta, non eſt aliquatenus uobis curæ: quæ quamuis in ſe ſubmerſionem non timeat, in ſuis tamẽ multa & uaria patitur naufragia tempeſtatũ. Sanè ſi diligenter attenderetis, qualiter natiões & Gẽtes, quas iudicare ſoletis, cõtra uos deriſoriè mouerẽt capita ſua, in ſe

unuſ-

unuſquiſq; palleret, & ad tam publicum, & deteſtabile opprobrium propulſandum non inueniri poſſet neceſſarium argumentum: quia dum quilibet ueſtrum adſpirat ad cathedram, unus non conſentit in aliū: & dum alter in alterum non conſentit, nullus erigitur: & dum nullus erigitur, cathedralis dignitas euaneſcit, & ſic ex diſcōuenientia ueſtra, conueniens Eccleſiæ ſtatus confunditur, & fidei qua uiuitis, deperit rectitudo: per capitis quidem defectum emergit, ut ubi natura ſenſus impoſuit, mōſtra reputemini quædam, & membra truncata, in cunctis ſenſibus defectiua, quoniá uidetur obtenebratus uiſus ueſter: diminutus auditus, & ille oris ſonus in fines orbis terræ, olim ſonorus, penitus obmuteſcens, factus eſt deriſorius echo. Nam Petri & Pauli hodie non audiuntur tonitrua, cōcionatores ſunt canes muti, ad ſilentium compelluntur, fortè uobis paratæ ſunt manus ad recipiendum, ſed deſunt munera, quia, qui ueniebant de Saba, aurum deferétes, modò non ueniunt, cum non inueniát Dominum in præſepi, ducutum eis cœleſti ſydere denegante. Pedes etiam non habetis ad ambulandum, & dummodo potétis uos munus coarctet, ultraquinq; pedes ueſtra ueſtigia non mouētur, proh pudor, minima reptilium animalium in pruden-

tia uos præcedunt,nam aues ſine ductrice non uolant,apes abſq; rege non uiuunt. Vos autem ſine rectoris gubernaculo fluctuatis,matrem Eccleſiam fortuitis caſib. relinquentes,nec attenditis quod illi errãtes Iſraelitæ xl.diebus abſq; duce uagantes,ad ſummum dementiam deuenerunt, pro Deo ſibi uitulum conflatilem ſtatuentes.Si papalis ceſſauit unctio, ueniet ergo alius Sanctus ſanctorum,& quis ille eſt? O'inexcuſabilis culpa,Rachel uirum non habet,cuius paruuli petunt panem, & nõ eſt qui porrigat eis:& Siõ dudum pulchra facie,iacet ſicut mulier mẽſtruata,cuiꝰ uiæ lugẽt,& non eſt qui ueniat ad ſolennitatẽ. Concidit gloria uultus eius,oculi columbarum uiſu deficiunt,quia nõ uidetis quãtum proximi eſtis naufragio,dum ſine remige nauigatis.O'ſi poſſetis alternatim libros conſcientiæ legere,quot & quantas inueniretis in eis accuſatorias lectiones, contrarijs ſententijs inuolutas. Reuertatur ergo,reuertatur quilibet in ſeipſum, & ad reſumendum caput,ſenſus, & rationẽ induite,ut mater Eccleſia tam diu ſuo priuata lumine,decorem ſuſcipiat,& ad ſtatum priſtinum reducatur.

Fridericus, regi Franciæ conqueritur de domino papa. Cap. XVIII.

SAtis nos pungit interius res noua, quam ſcribimus, immo noſtra medullitus interiora perturbat, dum ibi nouiter inquietamur amarius, ubi quietis dulcedinem ſtudioſius procuramus: inde crudeliter cædimur, & impetimur imprudenter, unde pacis deberet hodie ꝓdire charitas, religio, & beatitudinis zelus à fidei noſtrę cultoribus expectari. Iſte ſiquidem ſummus pontifex Eccleſiæ, qui quantum nos dudum grauibus iniurijs prouocarit, adfectionis ueſtræ notitiam ſcire confidimus, nec mundus ignorat. Sagittas acutas emittit de pharetra, dum ſatis ſibi fore non æſtimans, in Italiæ partibus continuis iaculis impetiſſe nos hactenus, niſi nunc in peculiaris noſtri regni pomerio, quod materna nobis decreuit hæreditas, ſpinas interſerat & noſtrorum corda fidelium, quę fidelitas natiua conſolidat, à noſtra deuotione ſubuertat, pro Lombardorum negocio: cuius occaſione pacis tractatui, ſemper impedimenta parauerat, & in quo toties uoluntatem eius inuenimus duriorem, quoties uoluntatis ad pacem ſigna monſtrauimus promptiora. Nuper autem in regnum ipſum per fratres prædicatores & minores, quos

quos ad honorem diuini nominis, benigno ſemper fauore proteximus, quos ſemper curauimus ampliare, quorum etiam inſolentias hactenus, licet inuiti tulerimus, tamen aliquando ſub patientiæ uelo ſtuduimus præterire, literas inprouidè dirigit, & occultas ſuggeſtiones innectit: quibus excommunicationis & interdicti ſententias, contra nos dudum improuidè fulminatas, à fidelibus noſtris regnicolis ſub interminatione diuini iudicij faciat obſeruari. Aliud etiam quod reputamus amarius, ſuæ mentis amaritudinem contra nos proteruius eructuat, dum trãslato quaſi uiuificæ crucis myſterio de partibus trãſmarinis in regnũ, tanquam iterum in Apulia crucifixus ſit Chriſtus, fideles Chriſticolas: de quorum feſtino ſubſidio, ſi Chriſti fidem euangelizaret in terris, ut credimus, Terræ ſanctæ neceſſitati debuerat prouidiſſe: nunc parentes armat in filios, & ad regni Chriſtianiſsimi ſpolia cruce ſignat. Sed hæc profectò quæ diximus, non magis ex odio, quo nos ſpecialiter & iniuſtè perſequitur quàm ex innato, ſi dici liceat, ſibi liuore nequitię ꝓceſſiſſe pẽſamus, ut qui dilectiõis puræ conſtantiã, q̃ua uos affectuoſè amplectimur directè, nõ poterat ſpiritu detractionis impetere, calumnioſus ſaltẽ inficeret per obliquum. Dum enim ante
cœ-

cœptum noſtræ peregrinationis aggreſſum, pro deſperato quodámodo pacis negocio, quod nos tunc temporis reſumere delectabat, ad requiſitionẽ ueſtram, ſolennes excellentiæ noſtrę legatos apud Lugdunẽſes noſtra Serenitas deſtinaſſet: quanquam nos forſitan prętèritorum experimẽto perterriti, de pacis dubitare negocio cogeremur. Idem ſanctiſsimus pater noſter cõceptum noluit nobis citra mare pręſentibus uirus euomere: ſed tempus noſtræ captauit abſentiæ, ut tã inconſultus, quàm ſubitus motus eius nobis infamię notam impingeret, & factionis huiuſmodi, nos quaſi participes denotaret. ut quæ uobiſcum nondum celebrato colloquio tentare diſtulerat, poſt ueſtram cum eo collationem habitam, pręſumpta ſic temerè, non ſine ueſtræ conniuentiæ uel conſenſus inuolucro, quod omnino non credimus manifeſtè daret intelligi præformata.

Ex his ſanè cauſis, nos meritò mouemur ſuper iuribus noſtris, iniuſtè ſic impeti. Mouemur, quòd nunc uidemus illos in arma conſurgere, qui prędicare tantum debent uerbum Dei. Mouemur, in gremio proprio nutriuiſſe ſerpentes: quos quanto familiarius hucuſque tractauimus, tanto nunc hoſtes peſtiferos grauius inuenimus. Mouemur profun-

dius,

dius, & Terræ ſanctæ neceſsitatibus præcipuè condolemus, quæ cum ad ſui recuperationem nobis dudum firmo propoſito, arma & ſcutum uiriliter adſumentibus, & potenter Gallicorũ uirium recepto ſubſidio uniuerſale Chriſtianorũ ſubſidium expectaret, papali ſuffragio fruſtrata iam remanet, & neceſſario uobis in partibus ultra marinis morantibus, à quibus modico freto diſtabat Apulia, ipſam rerum uictualium opulẽtiá ſubtrahere oporteret. Cum enim anno proximè pręterito, de chariſtia uictualium regni noſtri quam accidẽs temporale conduxerat, prout dilectionem ueſtram latere non credimus, ueſtris & ueſtrorum uſibus amicabiliter faceremus utiliter prouideri: ac eſſemus in antea tanto fœcundius prouidere parati, quãto nũc ibidem tempora fœcundiora ſuccedunt, quæ poſsit aut debeat nobis in antea regni fertilitas opulentiæ, ſigna ſucceſsiuè protendere, ſi regnum oporteat ex patris noſtris perſecutione, quam diximus pluſquam ciuilia bella tractare, regalis induſtria uideat & diſcutiat diligenter. Non tamen in totum propterea ſic uobis credatis, noſtra ſubſidia uelle ſubtrahere, quin uobis, in quantum negotiorum & tempo porum qualitas patitur, cum ex publico bono fidei Chriſtianæ, quam tota mentis

adfectione zelamur, tum etiã ex amicitiæ fœdere, qđ & uos & ꝓgenitores noſtros, & nos uobiſcũ habuiſſe ſuauiter rememoramus illæſum, tanquã illi, quem chariorẽ habemus, prę alijs liberalitatis noſtræ ſuffragia prõptis adfectib. offeramus. Cauſam itaque noſtram in libra ueſtræ conſiderationis appendite: & cum ueſtra res agatur in proximis, quæ fides huiuſmodi danda ſit angelis, quod ex ipſorum actibus colligatur exemplum, ſi ſub patientię pallio ijdem noſtrę benignitatis ingrati, cauda nos feriant, ſi religionis, quam ſolo figurant habitu, pudore poſtpoſito, ab ea deuiantes pietate, quam prædicant, negocijs bellicis temporaliter ſe immiſcent. Super his honori ueſtro, ſicut conuenit, prouidete: attendatq́ nihilominus ueſtræ Serenitatis affectio, ſi ſunt hæc arma pontificum: ſi Petri ſubambulus, quod debet, in gentibus oleũ pietatis infundat: ſi Chriſti uicarius, Chriſti uices adimpleat, dum illis diſpẽdijs incautè ſe implicat, ex quibus homicidia ſanguinolenta proueniunt, & animarũ multiplicia detrimenta naſcũtur. Nos enim qui pondus incudis hactenus patienter & deuotè ſubiuimus, nolentes per patientiam noſtrã lędi, de cętero pati nequiuim⁹, quĩn cauſam noſtrã defendendo uiriliter, mallei conſequenter officium adſumamus.

Fride-

Fridericus, Capitaneo regni,ut procedat contra religioſos,portantes literas papales in regnum.

Cap. XIX.

PVngitiuè nos angit interius res noua quam ſcribimus,dum inquietare nos ibi conatur aduerſarij noſtri rigor,ubi quietis & pacis ſolatia ſtudioſius procuramus. Nuper enim ad audientiam noſtram, non ſine cordis perturbatione peruenit, quòd iſte Romanæ ſedis antiſtes, cui non ſatis eſt in Italię partib.impetijſſe nos hactenus niſi in regni noſtri pomerio, quo uelut in oculorum noſtrorum pupilla pertingimur,ſpinas interſerat, & noſtrorum corda fidelium,quæ fidelitas natiua conſolidat, à noſtra deuotione ſubuertat.Nuper enim in regnum per fratres Prædicatores,& Minores, ac religioſos alios, literas ſuas improuidè dirigit,& occultas occaſiões innectit:quib.excõmunicationis, & interdicti ſententiam, quam iniuſtè dudum contra noſtrã excellentiã fulminauit,à fidelib.noſtris regnicolis,quos uelut in petrea deuotione firmatos, uerbis huiuſmodi friuolis (leuiter flecti poſſe non credimus) faciat obſeruari: excommunicationi nihilominus & interdicto ſubicijens, quicunq; more ſolito nobis reuerenter obediunt, & noſtris iuſsionibus obſequuntur. Quãquam igitur ſuper his non uideamus expediens

ſcripta noſtra dirigere, ſeu noſtrorum fide lium animos excitare, quia tamē de regni noſtri ſtatu pacifico inter cęteras cōſideratiōes noſtras, pręcipuè nos cura perangit, uelut qui in eius quiete quieſcimus, & in ipſius, quod abſit, intemperie turbaremur uoluntatem noſtram, quam de huiuſmopi temeritatis ultione concepimus tenore præſentium denotamus: uidelicet, quod perſonas quaslibet, quæ literas præſentare cuilibet, uel ab aliquo recipere præſentatas, aut huiuſmodi fortè parere mandatis, ſeu qualitercunque fauere præſumerent, ut pœna decente percipiant, quantū eorū exceſſus, noſtra maieſtas abhorreat, cuiuſcunque fuerit cōditionis, ætatis, aut ſexus, incendij uolumus paſsione mulctari. Ad horum etiam inſolentias ſubtilius inquirendas, adijcimus, ut quicunque de fidelibus noſtris regnicolis deuotionis integritate clarentes, publicos prædictorum exceſſuum patratores, in ipſo crimine flagranti reperiet, & ardens fidei ſuæ feruor tantam moram minimè patiatur, quod ad regionum iuſtitiarios ualeant habere recurſum ipſos impunes eſſe uolumus, ſi de tranſgreſſoribus ipſis ſumpſerint ultionem, ac ob ſuæ fidei meritum faciem noſtræ Serenitatis hilarem, & à nobis retributionis condignæ merita pręſtolentur.

lentur. Fidelitati tuæ igitur diſtrictè præcipimus, quatenus præſcriptam beneplaciti noſtri formam per iuriſdictionem tuam, prudenter & ſolicitè publices, & exequaris efficaciter publicatam.

Fridericus regibus, & uniuerſis baronibus regni Franciæ, narrans eis proceſſum habitum inter ipſum & papam. Cap. XX.

VT iuſticiam & innocẽtiam noſtram, tam uos quã alij reges orbis & principes agnoſcatis, ecce proceſſum totum ſuper diſcordia inter nos & iſtum ſummũ pontificem & prædeceſſorem ſuum habitum, præſentibus denotamus. Nec tamen in hoc ſtare tantummodo fidei noſtræ uolumus, ſed quicquid tenori ſcripti præſentis inſerimus, parati ſumus, per ſufficientia documenta monſtrare. Primùm quidẽ ſcire uos credimus, qualiter Innocentius alius prædeceſſor iſtius, ſub cuius pallio & tutela, nos nedum impuberem, ſed infantem mater noſtra dimiſerat, contra nos in Imperio, cuius principes nos in regem elegerant, & nos in uita patris noſtri aſſumere in Imperatorem iurauerant, Othonẽ de Saxonia ueterem aduerſariũ noſtrum, & domus noſtræ, in Imperatorem in noſtrum præiudicium conſecrauit, qualiter comitem G. de Brenna, qui uelut gener

Tancredi regis mortem noſtram,& ſangui nem ſitiebat ſub defenſionis noſtrę ſpecie, miſit in regnum: qualiter etiam Gregorius nonus, prędeceſſor iſtius, ſub ea occaſione, quòd nos in termino nobis dato, infirmitate grauati, trãſire nequiuimus ultra mare, contra iuſtitiam primitùs excõmunicationi ſubiecit. Poſtmodũ pro ſeruitio Ieſu Chriſti peregrinantib. nobis, regnũ noſtrũ hoſtiliter uſurpãdo, qualiter de ultramarinis partibus redeũtes, recuperata terra noſtra; quam ceperat, pacem cum ipſo firmauimus, quam nullo credidimus tempore uiolandam: quam licet ipſe nobis in parte ſeruare negauerit, requiſitus, cum ciuitaté Caſtellæ, per ipſum turbationis tempore occupatã, reddere nobis noller ex pacto, in multis alijs noſtrã uiſus eſt offẽdere maieſtatem. Nos tamen, nedum illatas diſsimulabamus iniurias, uerumetiã ſeruire ſibi ſub infinitis laboribus noſtris & ſumptibus, nitebamur, nos opponẽdo Romanis pro recuperatione iurium Eccleſiæ, quæ Romani prædicti nequiter occuparant. Cum quibus poſtmodum papa præfatus pacem compoſuit, nobis inſcijs & contemptis. Nec illud ignorare uos patimur, qualiter nos de prædicto ſeruitio diebus antè proximis recedẽtes, in Theutonia, ad corrigendum Heinrici primogeniti filij noſtri

ſtri errores, fauoris ſui literis præcedentibus, occultè nuncium ad principes deſtinauit: per quem mandauit eiſdem, ut nullum de filijs noſtris, uel de genere noſtro, in regem ſibi aſſumerẽt, prout ijdem principes nobis poſtmodum retulerunt. Et ſic quẽ pro impẽſo ſeruitio, publicè credebamus habere propitium, latenter inuenimus inimicum: qualiter etiam paratis nobis in Italiã deſcendere pro recuperandis non minus Eccleſiæ, quàm Imperij iuribus, pro ultramarino negotio procurando, & ordinando ſtatu pacifico regionis ipſius, miſit nobis obuiã epiſcopum Peneſtrinum, nunciorum noſtrorum contradictione cõtempta: qui non ipſum uelut inimicum noſtrum, ſed Antiochię patriarchã uelut amicum in tranſmarino negotio requiſierant pro legato: qui prænominatus epiſcopus à deuotione noſtra Mutinam tentauit auertere, & Placentiam, in qua uelut originarius eius, munitiones quas poterat euidenter auertit contra nos, ne trãſire poſſemus: quanquam hæc fruſtra tentauerit Lombardorum exercitum congregando. Obtẽta deinde cum auxilio Regis regum de Mediolanẽ. prauitate uictoria, dũ Lõbardi contra nos & Imperiũ, de ipſorum reſiſtentia deſperarent, ad eundẽ ſummum pontificem, qui eos fauore palliato

 prote-

protexerat, defugerunt, aſſerentes, quod niſi ipſos à nobis papa prefatus & fratres, publica defenſione defenderent, ad noſtrum & Imperij redire dominium cogerentur.

Fridericus eiſdem & ſuper eiſdem, conquerendo de ſummo pontifice. Cap. XXI.

LEuate in circuitu oculos ueſtros, arrigite filij hominum aures ueſtras, uidete generale orbis ſcandalum, diſsidia gẽtium, generale iuſticię doleatis excidium, exeunte nequitia à ſenioribus Babylonis, qui populum hactenus regere uidebantur, dum iudicium in amaritudinẽ, & fructum iuſticiæ in abſynthium conuertunt. Sedete principes, & intelligite populi cauſam noſtram, de uultu Domini iudicium prodeat, & oculi ueſtri uideãt æquitatem. Scimus enim, & in ſupremi iudicis uirtute confidimus, quod uos cum apud pondus & menſura fuerit, profectò modeſtiam & innocentiam ueſtram in iudicij ueſtri libra preponderare uidebitis, calumnioſis detrahentium labijs & uenenoſis adinuentionibus factionum. Sed nec nũc primùm credimus noſtram iuſticiam, & reſidentis in throno Domini prauitatem, ad publicam mundi notitiam deuenire, quin præter agillimæ famæ præloquium, quæ frequenter in maximis uirginibus, auriũ deflo-

deflorat auditum,nos ipſi, quos primitus
rumor eduxerat, ſubſequentibus poſtmo
dum noſtræ Serenitatis adfectibus firma-
remus,qualiter iſte nouus athleta ſiniſtris
auſpicijs, factus pōtifex generalis,amicus
noſter præcipuus,dum in minoribus eſſet
ordinibus conſtitutus, beneficiorum om-
nium, quibus Imperium Chriſtianum ſa-
croſanctam ditauit Eccleſiam,oblitus,ſta-
tim poſt aſſumptam ſuam fidem cum tem
pore uarians,& mores cum dignitate com
mutans,ac habens, quodammodo de pu-
blica perturbatione pruritū, in nos ſum-
mum,& unicum Eccleſiæ filium, ſuæ ma-
lignitatis aculeos acuiſſet,dū occaſiōe ſum
pta, quod papa imminens ſcandalū euitan
dum ſacramēto pręſtito,& illata cōtra nos
excommunicationis ſententia,nos ad cer-
ti temporis ſpatium obligauerimus tranſi
turos,aduerſa ualetudine corporis prępe-
ditos,adiectis capitulis alijs,de quibus an-
tea nunquam fueramus admoniti,excuſa-
tionibus noſtris, cōtra Deum & iuſticiam
omnino reiectis,excommunicationis ſen-
tentia nos denunciauit adſtrictos: cui ue-
lut in nos primitus cum noſtra uoluntate
prolatæ,cum humilitate paruimus, abſo-
lutionis beneficium priſtina nobis incolu
mitate corporis reddita,poſtulantes,dum
nos ad tranſitum pararemus inſtāter, quo

petito & iniurioſè negato, in Terræ ſanctę ſubſidium ſub pia uoti proſecutione tráſiuimus, æſtimantes uicarium Ieſu Chriſti ad eius negotium potius, quàm ad conceptæ maleuolentiæ, contra nos odium adſpirare. Sed is, quem ſperauimus, ea ſolummodo quę ſurſum ſunt ſapere, & uiſu cœleſtia contemplantem, mente credidimus in cœleſtibus habitare, ſubitò inuentus eſt homo: quinimmo per inhumanitatis opera, nõ ſolum à ueritate ſepoſitus, ſed à qualibet humanitate deſertus: dum pręter impedimenta quæ nobis in Syria præparat per nuncios & legatos, qui Soldanum literis ſuis, quas nos captis eorum latoribus in publicũ teſtimoniũ reſeruamus, ne nobis terram diuino cultui deditá redderet, cum regni Hieroſolymitani uirib. munierunt. Regnum noſtrũ Siciliæ uiolenter intrauit ſumpta occaſiõe, quòd Raynerius filius olim ducis Spoleti, præter ſcientiam & uoluntaté noſtram, prout nos poſtmodum per ipſius pœnam expreſsimus, terrá Eccleſiæ parabat intrare, & non prout ſancti regna per fidem uicerunt, ſed perfidiam & periuriá prædicat uniuerſis. Et ſi qui in periuriũ prædicatione ſolũmodo prouocari non poterant, prouocarentur exẽplo, dũ ipſi præfecti papalis exercitus, quo terram facilius obtinerent, nos captos in Si-
ria

ria manifeſtè iurabãt. Redeuntibus tamẽ nobis de partibus tranſmarinis, & iniuriã noſtram propulſantibus ſolum, nec iuxta magnificum morem Imperij procedentib. ad uindictam, per concordiæ modos uerbum pacis libẽter admiſimus: Romanam matrem noſtram eccleſiam ex agnitione catholicæ fidei reperiſſe cognoſcimus: ſed patrem ſemper inuenimus ſimulatum, dum & reconciliationis die, uiam noſtræ confuſionis excogitans de nobis redeuntibus in Italiam, ſub inermi & domeſtica comitiua, nobis inſtantiſsimè perſuaſit: occaſionem fingens, ne uelut ex priori & armato proceſſu timoris cauſſam noſtris fidelibus pręſtaremus: aſſerens, quòd nobis omnia planiſsima faciebat, cuius cõtrariũ per nuncios & literas ſuas, manifeſtiſsimè procurarat: prout conſtat teſtimonio plurium noſtrorum fidelium, qui tunc tempo ris erant omnium conſcij, uelut ex eis quidam participes, & alij principes factionis: propter quod filio & principib. noſtris de Germania, omnib. ad uòs uenientibus, per rebelles noſtros itinerib. publicis præpeditis, ac eodẽ filio noſtro apud Aquileiã nauali pręſidio, cũ ſumma difficultate recepto, & in Theutoniã abinde deſtinato, in regnum de neceſsitate rediuimus, utpote quos ad conterendã rebellium noſtrorum nequi-

nequitiam, patris conſilium uel aſtutia potius miſerat imparatos: ubi quodammodo reſpirantibus nobis, & capeſſentibus requiem poſt labores, tunc ſubitò Sanctiſſimus pater noſter, noſtrę quietis inuidus, conſultoris ſibi perſonam adſumpſit, inſtantiſsimè perſuadens, ut contra Romanos excellētię noſtrę deuotos, & alios rebelles noſtros de Thuſcia, qui iura Eccleſiæ, & Imperij detinebant, procederemus audacter, de ſuo fauore ſecuri, quia nobiſcum noſtra & Imperij pondera participare uolebat. Et ſic ad multā eius inſtantiam Romanos, qui tunc temporis Viterbium impugnabant, in fauorem Eccleſiæ nos oportuit diffidare, eodem mittente literas latenter ad urbem, quod hæc præter ſuam conſcientiam, & mandatum faceremus in odium Romanorum. Et cum interim quadam ſeditione ſuborta, oportuiſſet nos neceſſario conferre Meſſanam, ut factionis inchoatæ, principijs obſtaremus: iſta ſolummodo occaſione prætenta, quod tam nobilem noſtram Siciliæ inſulā noluimus amittere, nobis irrequiſitis, & omnino zelatis, contra communem opinionem huiuſmodi gentium, quos belli ſocios & participes ſtatuit non relinqui, fœdus inijt cum Romanis, per nos ad mādatum eius, ut diximus, diffidatis, non attento, quod

nos

nos ſub dubia fide, & honoris noſtri fortuna,inter rebelles & ſeditioſos ipſos remanentes inermes,copioſam & ſtrenuam militiam armatorum , in eius ſubſidium miſeramus, quãquam perſonaliter nequiuerimus intereſſe. Adhuc tamen conſcientiæ noſtræ fidelis integritas,& pura deuotio,quam ad matrem noſtram ſacroſanctã Romanam eccleſiam habebamus, nouercalia delinimenta patris agnoſcere filium non ſinebant:quin quod erat iuſtitiæ, crimini imputantes,ſatisfactionis noſtrę cauſam, in nouercantis patris arbitrio poneremus,qui tanto nobis uice qualibet illudebat acerbius, quanto conſtantius uberioris ſpem arbitrij promittebat. Medio itaq; tempore,dum in negocio Italiæ,pro populo ad honorem Imperij componendo, ex præteritorum coniectura diſcriminum,nulla ſpes remanſiſſet nobis in poſterum, uel exilis, ac proſecutionē eandem opportuno tempori ſeruaremus,expectationibus noſtris repente credidimus adluxiſſe fortunã.Reiterata diſcordia inter Eccleſiam &Romanum imperium,in qua ſic magnificè theſauros noſtros effudimus,& perſonã, quod omnē omnino cõſcientiæ prauæ rubiginem, de maliuolentium cordibus credidimus eruiſſe. His omnibus non contenti, ut de nobis prorſus indubi-

tata ſecuritas Eccleſiæ præberetur, circa ipſam zelo ſummæ deuotionis accenſi, & incentiuo perfectæ charitatis inducti, ad iſtius papæ præſentiã, perſonaliter iuimus, etiam non uocati, ducentes nobiſcum C. filium noſtrum, nunc in Romanorũ regem electum, regni Hieroſolymitani hęredem: quem nobis tunc temporis, fratris ſui manifeſta tranſgreſsio, filiũ unicũ, in paternæ dulcedinis affectione reliquerat, ac eundẽ poſt oblatam Eccleſię perſonam noſtram, in totum obſidem, Summo pontifici nos offerre uon puduit, unionẽ omnimodam inter nos & Eccleſiam, ſub atteſtatione diuini iudicij poſtulãtes, quam dudũ nobis iſte prælatus Eccleſiæ generalis, dum eſſet epiſcopus Hoſtieñ. ſuaſerat expetẽdã: propter quæ omnia dum ſerenã nobis totius Curię faciẽ, affectio demonſtrata prętenderet, & uerba gratiſsima tã ſummi põtificis, quàm curialiũ omniũ ſynceram oſtẽderet etiam uoluntatẽ: cum eis omnia perfeciſſe credentes, ſub intẽtionis noſtræ facto propoſito, nec minus ſub obſequiorũ noſtrorum fiducia diſſentionis cauſſam, inter nos & Lõbardos, in ſinu corrupti iudicis totaliter ſuffocatam, & ſeditionem diſcordiæ inter nos & ciues Aconenſes ac nobiles, deuotione prõptiſsima duximus exponẽdam. Sicq; de negociorũ noſtrorum omnium

omnium proſpera cõſumptione ſecuri, in obſequium Eccleſię perſonaliter alacri uoluntate proceſsimus, cum exercitu copioſo, quem ſub magnis ærarij noſtri ſtipendijs congregari, tam de Germaniæ quàm de Italiæ partibus feceramus: nec prius à cõcepti propoſiti proſecutiõe deſtitimus, quàm libertatem Eccleſię conculcatam in urbe, & terram exterius occupatam, in ſtatum priſtinum & debitum, noſtra potẽtia reformauit: indubitabiliter æſtimantes, ut quod obtinere prius fauor iuſticiæ noſtræ non poterat, deuotionis obſequia mererẽtur. Sed audite retributionem mirabilem, quam pro tanta deuotione, pro tot beneficijs, pro tã indubitatę fiducię firmamento, Chriſti uicarius, paſtor Eccleſię, noſtræ catholicæ fidei prædicator, nobis in ſingulis reddere procurauit. In primis, ſuper ultramarino negotio, quicquid per archiepiſcopum Rauennatem, tunc Apoſtolicæ ſedis legatum, ſecundum formam expreſſam, ab Eccleſia ſibi datã: uidelicet de reducendis nobis & C. filio noſtro in poſſeſsionem plenam & priſtinam, omnium nobis iurium ſubtractorum, in regno fuerat rationabiliter ordinatum, ſtatim adueniente Cæſarienſ. epiſcopo, nec legato prędicto, nec nũcijs noſtris ad Curiam uenĩetibus expectatis, nec ulla maiori mora protra-

protracta, niſi quatenus delatos Biſantinos iuuare inordinatè ex toto deſtructum negotium Italiæ fuit, & nedum quod ad honorem noſtrum, ſicut promiſerat, ordinaret. Imò petentibus & inſtantibus nobis ad reuocationem hoſtium noſtrorum, qui in Lombardia & Thuſcia fideles noſtros tunc temporis diuiſis ſuis exercituum copijs, deuaſtabant: nec nos cum militibus noſtris, quos tunc in partibus illis, ut diximus, pro Eccleſiæ ſeruitijs habebamus ire, permiſit: nec alios nũcios ſeu literas uoluit deſtinare. Ex quibus bella campeſtria ſunt, & quàm plurium ſtrages hominum, ac incendia ſubſecuta. Adhuc etiã tanta ſuperiori nequitia non contentus, ciuitatẽ Caſtellæ, per ipſum retroactis temporibus, turbationibus occupatam, quam reddi nobis fratrum omnium cõſilia ſuadebant, receptis trecentis libris illius monetæ, quæ ad quingẽtarum marcarum numerum non aſcendũt, nobis cum eo permanentibus in Reate, & pro eo multa marcarum milia expendentibus reddere recuſauit. Ecce, qualiter pater noſter Sanctiſsimus nos amabat, demum ſuper profectibus noſtris omnibus, & ſuper pacificanda nobis Italia, de qualibet patris uel uitrici noſtri potius beneuolentia deſperare coacti adprehendimus arma & ſcutum, uiros

de

de Theutoniæ partibus, ad quos congregandos diebus illis præuaricatio filij noſtri nos de neceſſitate uocauerat, propter ingreſſum Italiæ, congregatis militib. ſtrenuè iuſtitiam noſtram armauimus, quam adſequi precibus minimè poteramus. Quod cum ad noticiam ſummi pontificis perueniſſet, ſub prætextu treugarum, pro Terræ ſanctæ ſubſidio fidelibus populis, & terrę principibus indictorum armatum nobis ingreſſum Italiæ, per Apoſtolicas literas interdixit, oblitus, quod ab ipſo eodem die, quo prædictas treugas indixerat, nos tanquam aduocatum & defenſorem Eccleſiæ requiſiuit, quod contra Romanos, quos ſibi iura Eccleſiæ ſubtraxiſſe dicebat, potenter procedere deberemus. Iniquum in nobis reputās, quod domum noſtram, poſſeſſionem & pactionem habitā, quam nobis rebellium noſtrorum, rebellio furioſa præcluſerat, uiriliter ingredi nitebamur: quod iuſtum crediderat in Romanis qui patri ſuo uel auo, uel parentib. ſuis in nullo prorſus extiterant obligati. Adiecit prętereain literis antedictis, quod de negocijs Lombardiæ in ipſum præciſe, & ſine adiectione temporis, & conditione aliqua, nullo iure & honore Imperij reſeruatis compromittere deberemus, uel quod nos in perpetuum à iuris noſtri cu-

iuslibet proſecutione ſuſpenderet, uel ius & honorem Imperij liberè ſuffocaret : qđ cũ nobis, nec noſtrorum cõſilia principũ, nec prçteritorum ſtipendiorum memoria ſuaderet, ad alias artes poſtmodum ſe conuertit, mittens obuiam in ueſtimentis albis lupum rapacem, epiſcopũ Peneſtrinũ per quem apud nos literis Apoſtolicis, de uita ſanctiſſima cõmendatum, Placentiam nobis ſubditã, & noſtris amicã, ad Mediolanẽſis factionis periuria reuocauit, per ipſum firmiter çſtimans, ſic uniuerſaliter & in totũ, fideles noſtros euertere, ut proceſſus noſtros in Italiæ partibus eneruaret. Qua ſpe diuina clementia, quæ ſuum tuetur Imperium, omnino fruſtratus, clamantibus apud eum rebellium noſtrorum incẽdijs depopulationibus rerum, & ſtragibus occiſorũ, qui ipſum de data eis rebellionis ſecura fiducia, necnõ de fide mentita, eo quod contra nos & Imperium ipſis aſſiſtere promiſiſſet publicis uocibus arguebant. Et quia iuxta petitiones eorum occaſione prçdicta, iuſtè nos excõmunicare nõ poterat, impedimenta clandeſtina noſtris proceſſib. undiq; prçparauit, literas & legatos per Imperium, & ubiq; per orbem, ut quoſcunq; à fide & deuotione noſtra ſeduceret, deſtinando: non poterat tamen noſtrorum fidelium fides, & amicorũ adfectio,

ctio,cōſcientiá noſtram latere nolétes,adhuc uinci à malo,ſed in bono malū uincere cupientes,ſolénes nūcios noſtros B. uenerabilé Panormitanenſ.epiſcopum, Florentinū & Reginū epiſcopos, Magiſtrum Thadæū de Sueſſa, magnæ Curiæ noſtræ Iudicé,& R.Porcaſtrellū, capellanos dilectos,noſtros fideles,ad ſedem Apoſtolicá duximus deſtinandos. Quibus oblata ſibi per nos ex parte noſtra deuotione omnimoda,&unione tractata cōtra hęreticá prauitatem,& pro Eccleſiaſtica libertate, de reformandis Eccleſiæ, & Imperij iuribus, diutius inter nos & Eccleſiam expetita, ſummus pōtifex, de præſentiū fratrū ſuorum cōſilio,legatione noſtra in omnibus ſuis capitulis acceptata,per eoſdé & archiepiſcopum Meſſanenſ.quem ad nos ꝓ parte ſua nunciū deſtinauit, excellentiæ noſtræ promiſit,quod ceſſari Cæſari mandaret ubiq; locorum ab impedimentis omnibus,quę ſe noſtris proceſſibus obieciſſe coram fratrib. ſuis,& nuncijs noſtris manifeſtiſſimè fatebatur,prout hæc omnia per teſtimoniales antiſtitū pręfatorum omnium literas manifeſtiſſimè comprobātur. Cum qua reſponſione nuncijs noſtris & ſuo,ad noſtram præſentiam redeuntibus ,priuſquam per tr es dietas à Curiá receſſiſſent, eis omnino celatis , in confuſionem

ipſorum,G. De mõte Longo, quem prius ad nos nuncium miſerat,& cõtra nos poſt modum ad euerſionem Mantuanorum,& aliorum noſtrorum fidelium ſtatuerat,in Lombardiam cum legationis officio plenè miſit:arbitrans,quod quanto maior ſibi daretur authoritas,tanto maiora nobis & noſtris impedimenta pararet. Præterea principibus noſtris prçlatis Italicis,& Germanis nobis in Curia noſtra manentibus, literas deſtinauit, ſuggillationem famæ noſtræ non modicam continentes, certis articulis interclufis,& ſpecialiter grauaminibus, quibuſdam Eccleſijs regni noſtri, ut dicebatur illatis,ſuper quibus mandauit nos per eoſdem Principes admoneri. Quorum articulorum omnium,& reſponſionum noſtrarum adſingula ſeriem uobis ſub teſtimonio publico mittimus intuendam,quibus omnibus coram principibus & prçlatis,ac religioſis quampluribus quibuslibet alijs ordinatè,& ſigillatim oſtenſis,quanquam de patris inſtabilitate confuſos ſe filij reputarent ac uerecundia capitis præſentium rubor ora perfunderet, nihilominus tamen de eorum cõſilio prædictos Panormitan. epiſcopos, & magiſtrum Thadæum,& alios excellentiæ noſtræ legatos, cum nuncijs ciuitatum noſtrorum fidelium, ad ſedem Apoſtolicam duxi-

duximus emittendos,per quos ad ſatisfa-
ctionem omnem mora qualibet, & diffi-
cultate poſtpoſitis, obtulimus nos para-
tos. Sed nec in ijs omnib. auerſus eſt furor
eius, quin dictus euangelizans pacẽ Chri
ſti uicarius, ſed author ſchiſmatis, & ami-
cus erroris, contra traditionem ſanctorum
Patrum, audiens nuncios noſtros portan-
tes omnimodas noſtræ deuotionis literas
per dietã urbi uicinos, & metuẽs, ne ſuper
uenientibus ipſis obice uallo iuſticiæ, ſine
publico ſcandalo fortè procedere non ua-
leret, ex præfeſtinantia nimia conceptum
edidit abortiuum, in nos ſupremum Chri
ſtianorum Principem, die Dominica Pal-
marum, contra ſolennem morem ſacroſan
ctæ matris Eccleſiæ: & in cœna Domini
poſtmodum ſententiam præcipitando, p
quam, ſicut per famam audiuimus, licet
hæc credere minimè debeamus, contradi-
cente ſaniori parte fratrum ſuorum Cardi
nalium, de quorundam Cardinalium Lõ-
bardorum conſilio, excommunicationis
uinculo nos dicitur adſtrinxiſſe, præpedi-
tis nuncijs noſtris, per fautores & ſatelli-
tes ſuos, de patrimonio pauperum ſolida-
tos, qui iam applicuerant, ne ad allegandã
noſtram innocentiam & iuſticiam, ac de-
mum ſatisfactionem offerẽdam, etiam ad
præſentiam ſuam & aſpectus publicos per
 ueni-

uenirent. Sed eſto licet nos ſingulari quadã & publica infamia papã offendiſſemus, ò quam perperam & inordinatè cõtra nos proceſſit, & bullientem intrinſecus ſpiritũ niſi euomuiſſet, ſuam nequitiam editurũ, interius crepuiſſet. Dolemus tamen, & ex corde turbamur propter uerecundiá uniuerſalis Ecleſiæ matris noſtræ, quá Dominus Ieſus Chriſtus ſub ſpecie uirginis glorioſę, in paſſionis teſtimonio diſcipulis cõmendauit nobis per talẽ, quẽ meritò iudicem nõ habemus, nullam nobis poſſe fieri iuſticiam, licet iniuriam fieri reputemus: utpote cum papa ſe prius inimicum capitalem, non iudicem noſtrum, & opere fuerit profeſſus & uerbo, rebelles & hoſtes Imperij publicè confouendo: indignum præterea tanti cohertione principis, & qualibet pontificalis officij dignitate ſeu authoritate ſe reddit, dum Mediolanenſ. ciuitatem, quæ pro maxima parte teſtimonio religioſorum, & quamplurimum fide dignorum inhabitatur hæreticis, contra nos & Imperium manifeſto fauore tuetur: & R. de ciuitate Mediolanenſ. poteſtatem delatione epiſcopi Florentini, uiri uitæ probabilis, & famæ probatæ, in pleriſque Capitulis ſuper hęretica prauitate conuictum, ob odium noſtrum, & Mediolanenſ. gratiam

non

nō admiſit. Illum præterea Chriſti uicariū habere, & Petri ſucceſſorem ac diſpenſato rem animarum fidelium, indignum fatemur, non ob dignitatis iniuriam, ſed ob perſonæ defectum, qui diſpenſationes cū fratrū deliberatione magna faciendas, in camera ſua, more mercatoris cuiuslibet, in libra mercationis appendit, celatis fratrū conſilijs, cum quibus ſecundum eccleſiaſticam diſciplinam deliberare tenetur, exiſtens ipſe bullator & ſcriptor, & forſitan numerator. De quibus quaſdam diſpenſationes inſignes, præterire ſilentio non ualemus, per quas Sybillam natam Comeſtabulis regni Cypri, contra ſeparationis ſententiam ſuper hæc per epiſcopum latam, de non habitando ſimul præſtito ſacramento, Galliono de N. & . N. ſororem Ioannis de Cæſarea, Iacobo de . N. qui prius ſororem ſuam deſpōſauerat pro ditoribus noſtris, ſibi gradu tertio contingentibus, inuicem conceſſit uxores, percepta non multa pecuniæ quantitate: ueruntamen quod quantitati uel numero defuit, odij noſtri qualitas excompenſauit. Defectum itaque & præuaricationē ipſius in illo dolemus, quod contra nos nobiles & potentes Romanos, ſibi ſatellites & fautores acquirat, effuſiōe pecuniæ nō cōtētus, ipſius caſtra & poſſeſſiōes

ſanctis patribus, deuotione pia fidelium donata, Romanam eccleſiam noſtro patrocinio commendatam, dilapidando largitur. Itaque non miretur uniuerſalis Eccleſia, nec reges aut principes, & populi Chriſtiani, ſi nos talem ſententiam iudicis non ueremur, non in contemptum papalis officij, uel Apoſtolicæ dignitatis, cui omnes orthodoxæ fidei profeſſores, & nos ſpecialiter præ cæteris fatemur ſubeſſe, ſi perſonæ præuaricationem arguimus, quæ ſe ſolio tanti regiminis monſtrauit indignam. Et ut omnes primates nominis Chriſtiani ſanctum intentionis noſtræ propoſitum, & internæ deuotionis zelum in nobis agnoſcãt: & quod nõ ex odij fomite, ſed ex cauſa iuſtiſſima Romanus princeps, cõtra Romanum antiſtitem commouetur, dũ metuit ne grex Dominicus ſub tali paſtore per deuia deducatur. Ecce quod ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinales, per ſanguinem Ieſu Chriſti, ſub atteſtatione diuini iudicij per literas noſtras & nuncios obſecramus, ut generale Concilium prælatorum, & aliorum Chriſti fidelium debeãt euocare, nuncijs & noſtris & reliquorum principũ accerſitis, in quorum præſentia nos ipſi præſentes, cuncta quæ diximus ſumus oſtendere & probare parati & his etiam duriora. Nec minus illa

pro-

probabili ratione turbamur, quod iſte Rector Eccleſiæ, qui debet eſſe uirtutum quarumlibet, & conſtantiæ maximæ uas electum, contra promiſsionem ſuam literis ſuis de fratrum cōſcientia nobis facta: per quas in reſtaurādis Imperij iurib. nō deeſſe nobis, ſed adeſſe promiſit cōſilio, auxilio & fauore p̄ter perſonæ noſtræ blaſphemiā, ſic manifeſtè, ſic nos apertè proſequitur, cū licet cōſciētię noſtrę librū ſolicitè reuoluamus, nullā in nobis occaſionē inuenimus aut cauſā, per quā iſte inimicus homo debuiſſet cōtra nos tā acriter cōmoueri, niſi quod cū ipſo cōtrahere de nepte ſua deſpōſanda Henrico naturali filio noſtro, nūc regi Turriū & Galluri, magnificētia noſtra incongruū credidit, & reputauit indignū. Vos ergo reges & principes orbis terræ, nec ſolum nobis, ſed Eccleſiæ, quę congregatio eſt fidelium omnium condolere: cuius caput languidū, princeps eius quaſi leo rugiens, in medio Propheta eius uæſanus, uir infidelis, ſacerdos eius pollutus, ſine iuſticia faciens contra legem: nobis tamen præ cæteris mundi principibus, defectus talis ſummi pōtificis, eſt meritò deplorandus, qui ueluti uiciniores & propinquiores adfectione præcipua honores gerimus, & ipſius onera præſentimus. Sed nec illud obmittimus, quin Serenitatē ueſtrā

rogemus,ut contumeliam noſtram,ad ueſtram iniuriá reuocetis,ad domum ueſtrá cum aqua currite,cum ignis accenditur in uicinis.Cauſam motus pōtificalis attēdite,& cur hęc in fauorem noſtrorum rebelliū procuratur:quæ cauſa licet ad pręſens expreſſa non fuerit,procul dubio tamē ſimilia uobis & ueſtris imminere pericula timeatis.facilis enim aliorū regum & principum humiliatio creditur,ſi Cęſaris Romani potentia,quæ prima iacula ſuſtinet, cōteratur.Hęc eſt cauſa nanq; pro uero,uidelicet de Lombardis,quæ cor papę pūgebat intrinſecus,licet ipſam foras educere propter ueſtrum & audientium ſcandalū, non auderet,pro qua uobis per ſpecialem nuncium ſuum fide dignum,cuius ad hoc teſtimonium inuocamus,oretenus expreſſe promiſit,quod ſi negocium Lombardorum in eius manibus poneremus,ne dum quod in aliquo magnificentiam noſtram offenderet,uerumetiam totius orbis decimas,Terræ ſanctæ neceſſitatibus deputatas,noſtris uſibus applicaret.Nec eſt mirū, inſtātib.enim & acutis Lōbardorū aculeis pungebatur, quibus prout aliquorum prælatorum confeſſione recepimus,de aſſiſtendo eis cōtra nos & Imperiū,corporale præſtitit iuramentum, qui eos peregrinantibus nobis in partibus Syriæ, pro ſer-
uitio

uitio Ieſu Chriſti tranſmiſit in regnũ. ſed cũ turpis fuerit iſta promiſſio, fidem frangere licitè poterat,& edictum uariare decretum. In quorum fauore rem auditu horribilem,& diſcretiõe qualibet ac ratione carentẽ, facere minimè formidauit, cũ enim per Pergamenſ. Briſcienſ. & Cumanenſ. epiſcopos,& alios prælatos, nos faceret admoneri, quod uel ſatisfactionẽ Lõbardorũ, per ipſum deberemus accipere, uel treugas pro Terræ ſanctæ ſubſidio per quadriennium, ut ſuprà diximus, indictas obſeruare Lombardis, cum ab indictarum treugarum tempore iam quadriennium exceſſiſſet, nos rẽ tanti conſilij, ad deliberationẽ noſtrorum fidelium, modico tẽporis ſpatio ſeruaſſemus, monitoribus ipſis, de approbatione legati prædicti G. de mõte Lõgo, fidelis noſtri, qui apud Mediolanenſ. interim morabatur, inducias approbantibus ſupradictas, prout hæc omnia liquidò prælatorum præfatorum teſtimonio approbãtur, medio tẽpore, nec uolũtatis noſtrę iudicio, nec fidelium noſtrorũ cõſilijs expectatis, conceptum uirus euomuit contra nos, prout aliquorum relatio retulit ad depoſitionis ſententiam procedendo. Ha Deus, Ha crudeliſſimè pater & pontifex, qui ut ſeruum redimeres, filium perdidiſti propter quod ueſtram & omnium potẽti-

am

am manuum exigimus adiutricem, non quod ad propulſationem talis iniuriæ nobis noſtra non ſufficiant munimenta, ſed ut totus mundus agnoſcat, quod honor omnium tangitur, quicunq; de corpore ſecularium principum offendatur.

Fridericus Viterbienſibus, inducens eos ad fidem ſuam, commemorans, quod papa eis in neceßitate noluit ſubuenire. Cap. XXII.

FRidericus &c. Viterbien. fidelibus ſuis &c. Dum conſcientię uolumina uoluimus, dum ciuitates noſtræ ſubiectas Imperio, in noſtræ conſiderationis ſpeculo ſpeculamur, in quibus credit noſtra Serenitas ſerenam fidem & deuotionem debitã, congruis temporibus inuenire, occurrit nobis ſpecialiter Viterbienſ. ciuitas, conſuetæ cõſtantiæ, repræſentans monilia, & indeficientis deuotionis circũamicta faleris, ſemper gratis ſatis, Imperio fructuoſis & floridis obſequelis obſequitur, & fidei ſuę conſtãtia ſicut probabilib. argumentis, & euidentiſſimis indicijs demõſtratur. Metitur etiam acies mentis noſtrę cauſas alias, per quas de uobis nõ indignè ſpecialẽ confidẽtiam reportamus. Nam cum dudum à uicinis ueſtris graues reciperetis iniurias & preſſuras, contradicente tunc papa, Serenitatis noſtrę propoſito, quod ad ſuccurſum ueſtrum

ueſtrum promptis deſiderijs intendebat.
Nos adiutorem ueſtræ fidei, quam illiba-
tam ſemper ſeruaſtis, Imperio dignum &
debitum reſpectum habentes,in auxilium
ueſtrum Cæſareæ potentiæ uires armaui-
mus,& nobilem militiam Germaniæ bel-
lis expertam ad tuitionē ueſtri duximus
deſtinandam.Alia etiam uice,iſte qui dici-
tur papa, defenſoris ueſtri nomen aſſum-
pſit:ſed nos,qui in ueſtris læſionibus tan-
gebamur,& angebamur intrinſecus defen
ſionis onus prompta ſatis uoluntate ſuſce
pimus,non ipſius uerbis inducti,ſed poti.
us conſideratione ueſtræ fidei Imperiali-
ter excitati,ubi papę perſonæ ſudorib. nō
pepercimus,ſed ſub æſtibus ſolis, ſub tæ-
dijs pulueris,ſub galea laborauimus, & lo
rica in anguſto:cum etiam priuati ſuos la-
bores anguſtāt,pro uobis laborabat Augu
ſtus,nec laborātis uotū aeris intēperies re
tardabat, ſed inducebat nobis labor ſolati
um,per quē quies ueſtra,& noſtrorū fide-
liū parabatur.Tūc æraria noſtra patefacta
ſunt ſumptib.in ueſtræ commodū defen-
ſionis effuſis.Et quia in eis ueſtra quęreba
tur utilitas, ſpē nobis adfectati cōmodi re
dolebāt.Ille uerò,qui inane nomen aſſum
pſerat defenſionis ab hoſtilibus , paſcebat
uos uerbis,& paſcuorum commoda ſub-
trahebat, nec uoluit uobis in quantitatis
mo-

modicæ pecuniæ tantũ mutuo ſubuenire, expectans, ut caſtrum ſuo parandum edulio, de cauerna educeret aliena. Igitur, dum hæc omnia in noſtra lance cõſiderationis appẽdimus, nihil de uobis conſciẽtiæ culminis noſtri contrarium ſuſpicio ſuadet. imò firma fiducia pollicetur, quod honorem noſtrũ & Imperij, continuatis ueſtris deſiderijs adfectatum, brachijs uelitis patentibus amplexari, nullo cõtrario ſpiritu propoſiti ueſtri conſtantiam immutante. Cum itaq; tempus aduenerit, quo nobis & Imperio ſemper grati, poteſtis fieri gratiores, uos oramus exurgite, mẽtes ueſtras ad contemplandam Imperij ſapientiam & uirtutem erigite, noſq; principem ueſtrũ, ac gratioſum agnoſcite poſſeſſorem, parate uiam Domini, rectas facite ſemitas eius, tollite ſeras portarum ueſtrarum, ut Cęſar ueſter rebellibus terribilis, & uobis ueniat manſuetus, in cuius aduentu, quieſcãt ſpiritus, qui uos hactenus fatigabant. Eccleſię autem, ut ſuper ijs & aliis uobis beneplacitum maieſtatis referemus plenè, uerbotenus mittimus ad uos V. de Saxo forti fidelem noſtrum, cui ea, quę uobis ex parte noſtri culminis dixerit, tanquam ab ore noſtro prolata, curetis indubitanter credere, & efficaciter adimplere.

Fri-

Fridericus, quod moneantur clerici, ut diuina cele brent tempore interdicti. Cap. XXIII.

INter cętera, quę ſolicitudinis noſtræ cura quotidiana, & diligenti meditatione reuoluit, illud occurrit noſtræ cõſiderationis pręcipuũ, qualiter uenerãdus Orthodoxæ fidei noſtrę cultus, debito à uobis & noſtris fidelibus affectu, & deuota ueneratione colatur, ut quo præ cæteris mundi principibus, diuina dextra, noſtrum erigit altius ſolium, eo per officioſę gratitudinis debitum, noſtra & noſtrorum ubique deuotio ſibi ſoluat munera gratiarum. Ex eo quidem poteſt regnantium felicitas augeri potiſſimè, & ſubditorum ſtatus ſeruari pacificus, ſi regi regum grato deuotionis xenio placeamus, nec ex ſcãdali alicuius ſubreptione dãnabili cultus debet poſtponi, uel intermitti dominicus, quia quo amplius humana ſcandala quandoque laſciuiunt, eo tempeſtatum ſedator eſſet deuotius exorandus. Quare fidelitati tuę mãdamus, quatenus omnibus prælatis & clericis, de iuriſdictione tua, in aliquo loco idoneo conuocatis, præſentibus fratribus Prædicatorib. & Minorib. per aliquẽ uirũ ſapientem, literatum & facundum, facias eis diligenter exponi, quod nos tanquam princeps catholicus, et catholicæ fidei

dei amplexator, ardēti deſiderio adfectamus,quod prelati Eccleſiarū,clerici,religioſi,& ſeculares,diuina officia publicè in eccleſijs præſentibus,locorum indigenis,ad illius gloriā & laudem celebrēt, qui ſacroſanctam Eccleſiam fundauit incommutabiliter ſupra petram.Ex noſtræ autem pręſentis exhortationis oraculo,aliquibus celebrandi neceſſitas non infertur,Sciant tamen celebrare nolentes,quod qui ſui officij debitum exequi negligunt,temporalia bona,per duos Auguſtos progenitores noſtros,pia eccleſijs largitate donata , faciemus,quanquam inuiti,ad noſtrum dominium reuocari.

Reſcribit papæ,quod nō remittit captiuū ſibi repetitum per ipſum,ſed ob ſui reuerentiam, mitigat ſibi captiuitatem. *Cap.* XXIIII.

SVb ſimplicis humilitatis officio, & integræ deuotionis adfectu , tanquam noui muneris,grande myſterium,& utinā ſpei uberioris promiſsiuum,Sāctitatis ueſtrę recepi literas,paternę dulcedinis increpationes audiui,& iuſsiōis dominicę monita,reuerentius intellexi, factus repentè ſtupidus,& referendo quodammodo uerecundus,quod aduerſus Deum, & ſanctā Romanam eccleſiam,quā Chriſtianæ fidei matrem & dominā recognoſco,iniuriarū atro-

atrocium lator intitulor, & offenſarum enormium irrogator appellor: de quibus, ſi pectoris clauſtrum diſcutio, conſcientię me nulla nota redarguit, nec probabilis ſtimulus ueritatis impugnat. Nam licet bonarum ſit mentium, ibi culpas agnoſcere, ubi noxæ non premant: ſi de nullis offenſis pœnitētiæ dona non obtuli, ſi de nullis iniurijs humiliati ſpiritus tributa non ſolui, neſcio cur iniuriator æſtimor, uel cur damnator exceſſuum immanitate cōpingor, niſi eo forſan, quod contra uos & prędeceſſores ueſtros: offenſionis & culpę prauitate reſpergor, quod uoluntati ueſtrę, de hæreditatis priuatione non parui, & recōciliationis optatę gratiam, quam multinariè, multiſq; modis expetij, hucuſq; non potui promereri. Nunc uerò præceptis ſalutaribus monitus, & obiurgationibus ueſtris, quæ circa duritiam filiorum clementiam patris inſinuant perſuaſus, gaudeo ſatis, quod excitare me literis, quod corripere monitis, paterna dignatur affectio, ex quibus ſpei fertilis indicia colligo, & fiduciæ facilis argumenta cōpono: ut cum non ſemper oſculandus à patre ſit filius, ſed dura interdum caſtigatione puniendus, iam me uelut ingratum, de cuius ſe aſſerit ſalute ſolicitum, à gratiæ communione non abdicat, & à ſuauitatis maternæ gremio

m non

non excludit.Sed datur exterius,pater piiſſime,ſiniſtræ ſuſpiciõis occaſio,ut inuitus & querulus,de ſyncera quodammodo patris adfectione diffidá, & de matris tenera pietate deſperé,dum ſicut iam uulgaris notio prędicat,uel publicat,transfuſo uerbo tenus ordine ſucceſsionis in exterum,aduerſus me panditis hoſtium, & illum in regno mihi ex concepto contra me fortè indignatiõis animo,aduerſariũ erexiſtis. De quo, præter alia emolumẽta quáplurima, quæ per me poterant Eccleſiæ prouenire, de conditionibus omnibus minor, quàm de me protinus ueritatem, ſi dicere liceat, utilitas expe&atur.Sicq;,dum uerba patris quẽ domeſtica quaſi cura, de filij conuerſione titillat,acuratè cõſidero, ſperare con moueor:dum extrinſeca, cõmemoro, deſperare compellor. In cuius deſperationis exceſſum,& uehemẽtis doloris incendiũ, ea maximè ratione cõmoueor,quod uenerabilis uir, dominus S. TT.Sancti Martini presbyter & Card. Apoſtolicæ ſedis legatus,in Marchia,per ſuas literas, temerariũ prędonẽ me publicat,& perſecutorẽ Eccleſiæ, ac ſathanæ filiũ licẽtia labijs relaxata diuulgat,qui per hæc,utiná mihi ſoli,ſi ſibi aliqua ratione non placeo,lęſionis offendicula tẽderet,ſed ad uniuerſale gẽtis diſpẽdium non minus,proh dolor, occaſione ſuſpirat,

ſpirat,dum fideles Chriſticolas, quorũ feſtina ſubſidia Terræ ſanctæ negociũ,à uobis olim procuráte nunc Domino longis deſiderijs expectabat,nouo nuper bellandi genere armat in filios,& ad Chriſtiani regni ſpolia cruce ſignat.Conſideret ergo, ſi placet ueſtrę pietatis integritas,qualiter ſi ſecũdum carnem uiuitur, prædo de pręda debeat intendere precibus, & tot grauib. laceſsitus iniurijs, ſuperioris obſecundare præceptis. Hac itaq; uarietate perplexus, eligo ſanius me totũ beneplacitis ueſtris exponere,ſi totus admittar, & ueſtris reuerenter obtemperare mãdatis, ſi tamen innocentię meæ cauſam lenitas non exaſperet mandatoris.Non ſic enim propriæ uoluntatis arbitrio ſubleuor, nec ſenſualitatis incentiuo diſſoluor, quin plenè diſcernens inter dexteram & ſiniſtram, apertè uideam,&euidenter agnoſcã,quid perſonarum uelit acceptio, quid rationis iudicio debeatur,propter quod uniuerſa,quę ſcribitis,debita meditatione cõpenſans,mandatorũ ueſtrorũ precumq; primitias,pro liberatione prouidi uiri R. Veroneñ. electi, ad cuius uitæ laudabilis,& famę pręconia, tam clara ſufficiũt teſtimonia laudatoris, reuerenter accipio, & eo libentius ad effectum debitæ proſecutiõis adducã quo de maioris adfectionis ubertate proueniunt,

& fructus maioris gratiæ, ac euidẽtioris emolumenta compendij ſcribendi, tam ſanctis initijs deberentur. De cuius captionis euentu, dum Deum & Eccleſiam exinde grauiter offẽdiſſe me dicitis, minus dignè, ſi dici liceat, ſæuitiæ mihi fucus adſcribitur, & prohibitionis ſupernæ pertinax refragator, accuſor. Quanquam enim rex illę pacificus, qui miniſtris Eccleſię legata pacis hominibus eroganda commiſit, Chriſtos, ore ſuo prophetico tangi prohibeat, & in eis malignitatis moleſtiam exerceri, ſi tamen ipſis interdum non euangelizantibus uerba pacis, ſed procurantibus machinamenta diſsidij, quicquid inferri contingat iniuriæ, non minus id paſsis imputari deberet ad uitium, quam facientibus ad delictũ. Cum igitur ad partes Marchiæ, dudum in amicorum ſubſidiũ, qui ob zelum deuotionis & fidei, quã erga Diuum Auguſtum felicis memoriæ, Dominum patrem noſtrum tenaciter habitæ, in me quaſi nouæ dilectionis fragrantia redolebant, quandam quantitatem militum, in fauoris ſuffragium deſtinaſſem, diſsidenti bus inter ſe partibus, prout moris eſt, potius uel erroris, prout inter eos malicię radicauit antiquitas. idem electus, non pacificus inuentus, ſed belliger: non altaris Leuita, ſed equo leuiter eleuatus: non Dei mi niſter

niſter,ſed excidij miniſtrator, inter agmina militum caſualiter incidit & ad priuatam honeſtamque cuſtodiam, ipſum bellicus euentus adduxit. De cuius liberatione feſtina, ſi ad præſens dominationis ueſtrę uoto non pareo, moleſtè quæſo pater pijſſime, non geratis, cum abſque amicorum meorum quorundam Marchionū, Comitum, & aliorum magnatum Italiæ conſilio, quorum in hoc præcipuè intereſſe uerſatur, id nunc fieri honeſtè poſſe nō uideā: ſed quàm citò ad inſtantiam nunciorum meorum ſuper hoc, eorundem nobilium mihi conſcientiæ patefieret, tam in ijs quā in alijs, quæ Sanctitati ueſtræ, grata ſint animo & affectui blandiantur, per euidentiam operum, quæ utinam paternæ charitatis affectio placida relatione cognoſcat, ſigna promptiſsimæ deuotionis, oſtendā. Interim captiuitatem ipſius, ob reuerentiam ſedis Apoſtolicæ & noſtram, non ea quę captiuis ex hoſtium conculcatione debetur, ſed quæ humiliationi conueniat, & æqui polleat libertati, honeſtæ cuſtodiæ faciam ſociari: ut quę ad prę ſens in totum oſtendi non potuit, mea ſaltem in parte deuotio cognoſcatur.

Conſtitutiones editæ per Imperatorem, contra hæreticos. *Cap.* XXV.

FRidericus etc. dilectis Principib. etc. Cõmiſsi nobis cura regiminis cœlit⁹, & Imperiale, cui dante Dño præſidemus, faſtigiũ dignitatis, materialẽ, quo diuiſim à ſacerdotio fungimur. gladiũ aduerſus hoſtes fidei in exterminiũ hęreticę prauitatis exigũt exercendum, ut uipereos perfidiæ filios contra Deum & Eccleſiã inſultantes, tanquam materni uteri corroſores, in iudicio & iuſticia pſequamur, maleficos uiuere nõ paſſuri: per quorũ ſententiã ſeducentem mũdus inficitur, & gregi fidelium per oues morbitas grauior infligitur corruptela. Statuimus itaq; ſancientes ut hæretici quocunq; nomine cenſeantur, ubicunque per Imperiũ damnati fuerint ab Eccleſia & ſeculari iudici aſsignati, animaduerſio ne debita puniãtur. Si uerò de prædictis poſtquã fuerint deprehẽſi territi metu mortis, redire uoluerint ad fidei unitatẽ, iuxta canonicas ſanctiones, ad agendam pœnitentiam in perpetuũ carcerem detrudantur. Præterea, quicũq; hæretici reperti fuerint in ciuitatibus, oppidis, ſeu locis Imperij, per inquiſitores aliquos, ab Apoſtolica ſede datos, & alios catholicę fidei zelatores, ij, qui iuriſdictionẽ ibidẽ habuerint ad inquiſitorũ, & aliorum catholicorũ uirorum inſinua-

inſinuationẽ eos capere teneátur,& eos ca
ptos arctius cuſtodire, donec per cẽſuram
Eccleſiaſticá dánatos,dánabili morte peri-
mant,qui fidei ſacramenta, & gloriá æter-
næ uitæ damnabant.Simili quoque pœna
plecti cenſemus omnes, quos ad fouendũ
Hæreticorũ errores callidus hoſtis ſuſci-
tat aduocatos, uel parat illicitos defenſo-
res,maximè cum idẽ facinus, quos inqui-
nat,æquat, niſi monitione pręmiſſa deſtite
rint, & eorũ uitæ duxerint conſulendum.
Eos pręterea,qui cõuicti in uno loco de hę
reſi ad alia loca ſe transferunt, ut cautius
poſsint effundere uirus hæreticæ prauita
tis,debitá cenſemus ſubire uindictam: ut
ſuper hoc,per uiros ab eodẽ errore conuer
ſos ad fidẽ,nec nõ per alios, qui eos de hæ
reſi conuicerũt,quod in hoc caſu concedi-
mus licitè faciendum,euidens teſtimoniũ
habeatur.Itẽ mortis ſentẽtię ducimus adij
ciendos, ſi quos hæreticorũ ad iudicium
tractos,in extremo uitæ periculo,hæreſim
adiurâtes,poſtmodũ de falſo iuramẽto cõ
ſtiterit,cõuinci, & de fide mentita eos con
tigerit eiuſdẽ morbi ſpontaneá incurrere
recidiuá, ut ſibi damnabilius iniquitas ſit
mentita,& pœnam debitá mendaciũ non
euadat. Omne inſuper proclamationis &
appellationis beneficiũ ab hærecicis rece-
ptatoribus,& fautoribus eorundem pẽni-

tus amouemus, uolentes, ut de finibus Imperij, in quibus ſemper debet exiſtere fida fides, hæreticę labis genimina modis omnibus deleantur. Cæterùm, quia quantò maiora diuinæ nutu miſerationis accepimus, & altiorem locum prę filijs hominū obtinemus, tātò deuotiora debemus obſequia gratitudinis conferenti, ſi quando in noſtri nominis contemptores, noſtri culminis excādeſcat authoritas, ſi reos læſę maieſtatis in perſonis eorum, & liberorum ſuorum exhęredatione dānamus, multo fortius, iuſtiuſq; contra Dei blaſphematores nominis, & catholicę fidei detractores prouocamur: eorundem hęreticorum receptatorum, fautorum, & aduocatorum ſuorum, ac eorundem hęredes & poſteros, uſque ad ſecundam progeniem, cunctis beneficijs temporibus publicis officijs & honoribus, Imperiali authoritate priuantes, ut in paterni memoria criminis continuo mœrore tabeſcant. Verè ſcientes, quòd Deus zelotes eſt, & peccata patrum in filios potenter ulciſcens, nec quidē à noſtræ miſericordię finibus duximus excludendum, ut ſi qui paternę hęreſis non ſequaces, latētem patrum perfidiam reuelarint, quocunq; reatus illorum animaduerſione plectantur, prędictę punitioni non ſubiaceat innocentia filiorum. Adhæc notum

fieri

fieri nolumus, fratres Prædicatores & Minores, pro fidei negocio in partibus Imperij noſtri contra hæreticos deputatos. Cæteros quoq;, qui ad hæreticos iudicandos acceſſerint, niſi aliqui eorũ ab Imperio fuerint proſcripti, eundo, morãdo & redeũdo ſub noſtri Imperij ſpeciali defenſione receptos, quos apud oẽs ſub ope ac recõmẽdatione fideliũ Imperij eſſe uolumus inoffenſos. Vniuerſitati ueſtræ mandantes, quatenus quocunq; & apud quemcunq; ueſtrũ peruenerint, benignè recipiatis eoſdem, & perſonas eorum ab in curſu hæreticorum eis inſidiantium conſeruantes indemnes, omne conſiliũ, ducatum, & auxilium impendatis, pro acceptis coram Deo negotijs exequendis. Hęreticos uerò, quos uobis oſtenderint ipſi in iuriſdictione ueſtra ſinguli capientes, diligenti cuſtodia detinete, ut poſt Eccleſiaſticę damnationis iudicium pœnam ſubeant, quam merentur: ſcituri, quod in ipſius executione negocij, gratũ Deo, & laudabile nobis exequium conferetis, ſi ad expellendam de partibus noſtri Imperij nouam & inſolitam hæreticæ prauitatis infamiam, opem & operam unà cum eiſdem fratribus pręſtiteritis efficacem: & ſi quis exinde foret negligẽs uel remiſſus, ac inutilis coram Deo, & in conſpectu noſtro poterit meritò culpabilis

apparere. Datum Paduæ. etc.

Item alia de eodem. *Cap.* XXVI.

FRidericus etc. Inconſutilem tunicam Dei noſtri diſſuere conantur hæretici, & uocabuli uitio ſæuientes, quod ſignificationem denunciationis, denunciat, in ipſius indiuiſibilis fidei unitate nitũtur inducere ſectionẽ, & oues à Petri cuſtodia, cui paſcendæ à paſtore bono ſunt creditę, ſegregare. Hi ſunt lupi rapaces intrinſecus, eo uſq; manſuetudinẽ ouiũ prætẽdentes, quouſq; ouile poſsint ſubintrare Dominicũ, quod poſt ipſorum interitum deſiderant demoliri: hi ſunt angeli peſsimi, hi prauitatum ſunt filij à patre nequitiæ, & fraudis authore, ad ſimplices animas deſtinati. Hi colubri, qui colũbas decipiunt: hi ſerpentes, qui latẽter uidentur inſerpere, & ſub mellis dulcedine, uirus euomere, ac uitę cibum ſe ſimulant miniſtrare, à cauda feriunt, & mortis periculum, uelut quoddam duriſsimum uenenum immiſcẽt. Horum ſectæ, ueteribus, ut non in publicum prodeãt, non ſunt uocatæ nominibus, uel quod eſt fortè nephandius non contentę, ut uelut ab Arrio Arriani, uel à Neſtore Neſtoriani, aut à ſimilibus ſimiles nuncupentur. Sed in exemplum martyrum, qui pro fide catholica martyrium ſubierunt, Patarenos ſe nominant, uelut expoſitos paſſioni.

ſioni. Huiuſmodi uerò miſeri Patareni, à quibus abeſt ſancta credulitas diuinitatis æternę, ſub uno contextu nequitiæ, inſimul tres offendunt, Deũ uidelicet, proximos, & ſeipſos. Deũ, dum Dei fidẽ & conſiliũ non cognoſcunt: decipiunt proximos, dum ipſis ſpecie ſpiritualis alimonię, hęreticę prauitatis oblectamenta miniſtrãt, crudelius etiã ſæuiũt in ſeipſos, dum poſt animarũ diſpendiũ, corpora denique ſeueræ mortis illecebris, quam per agnitionẽ ueram, & uerę fidei firmitatẽ poſſent euadere uitę prodigi, & necis improuidi ſectatores inuoluunt, & qđ eſt ipſo dicto durisſimũ, ſuperſtites etiam non terrentur exemplo. Cõtra tales, Deo, ſibi, & hominibus ſic infeſtos, continere non poſſumus motus noſtros, quin debitæ ultionis in eos gladium exeramus, tanto ipſos inſtantius perſequentes, quanto in euidentiorem decluſionem fidei Chriſtianę, propter Romanã eccleſiam, quæ caput eſt omnium eccleſiarum, iudicatur ſuperſtitionis ſuę ſcelera latius exercere, dinoſcuntur adeo, quod ab Italiæ finibus, præſertim à partibus Lombardiæ: in quibus pro certo perpendimus, ipſorum nequitiam latius abundare, iámque uſq; ád regnũ noſtrũ Siciliæ, ſuæ perfidię riuulos deriuarunt. Quod acerbiſsimũ reputantes, ſtatuimus in primis, ut crimen

men hæreſis,& damnatæ ſectæ cuiuslibet, quocunq; cenſeantur nomine ſectatoris, prout ueteribus legibus eſt indictum, inter publica crimina numerétur, immò crimine læſæ maieſtatis noſtrę, debet ab omnibus horribilius iudicari, quod in diuinæ maieſtatis iniuriam noſcitur attentatum: quamuis in iudicij poteſtate, alter alterum non excellat. Nam ſicuti perduellionis crimen perſonas adimit damnatorum, & bona damnat, poſt obitum memoriam defunctorum: ſic in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia uolumus obſeruari, & ut ipſorum nequitia, in qua Dominum non ſequuntur, ſed in tenebris ambulabant, detegatur, nemine etiam deferente, inueſtigari uolumus diligenter huiuſmodi ſcelerum patratores, & per Officiales noſtros, ſicut & alios malefactores inquiri, ac uinculis detineri inquiſitione uocatos: & ſi leuis ſuperſtitionis argumento tegantur, à uiris Eccleſiaſticis & prælatis examinari iubemus. Per quos ſi inuenti fuerint à fide catholica ſaltem in articulo deuiare ac per ipſos paſtorali more commoniti, tenebroſi diaboli relictis inſidijs, noluerint agnoſcere Deum lucis, ſed in erroris concepta inſtantia perſeuerent, præſentis noſtræ legis edicto damnatos mortem pati Patarenos, alioſque hæreticos

quocun-

quocunque nomine cenſeantur, decernimus, quod adfectant ut uiui in conſpectu hominum comburantur, flámarum commiſsi iudicio, ut animarum incédia patiantur: nec dolemus, quod in hoc ſatisfacimus ipſorum uoluntati, ex quo pœnam ſolummodo, nec fructum alium conſequuntur erroris, apud nos pro talibus nemo interuenire præſumat. Quod ſiqui fecerint, in ipſum noſtrę indignationis aculeos, nõ immeritò conuertemus. Datum etc.

Item alia ſuper eodem. Cap. XXVII.

FRidericus etc. Patarenorum complices & receptatores, ſeu quocunq; modo fautores, qui ut alios à pœna poſsint eximere, de ſe uelut improuidi non formidant, publicatis omnibus bonis eorum relegandos in perpetuum eſſe cenſemus, & ipſorum filij ad honores aliquos nullatenus admittantur: ſi tamen aliquis fautorũ huiuſmodi detexerit aliquẽ Patarenum, cuius perfidia manifeſtè ꝓbatur & liquet, in fidei præmium quam agnouit, famę priſtinæ de Imperiali clementia, reſtitutionis beneficium in integrum conſequatur. Incipiunt Capitula conſtitutionis contra Patarenos, Speroniſtas, Leoniſtas, Arrianiſtas, Circumciſos, Paſſaginos, Ioſeppinos, Carracenſ. Albanenſ. Franciſcos, Bannaroles, Conſtitutio contra Patarenos.

roles,

roles, Comiſtas, Valdenſ. Burgaros, Cōmi mellos, Barrinos, & Ortoleuos, & cum illis de Aqua nigra, & omnes hęreticos utriuſque ſexus, quocūq; nomine cēſeātur, perpetua dānamus infamia, diffidamus atq; bannimus: cenſentes, ut bona taliū confiſcentur, nec ad eos ulterius reuertātur: ita, quòd filij ad eorum ſucceſsiones peruenire non poſsint. cum longè ſit grauius æternam quàm temporalē offendere maieſtatem. Qui autem inuenti fuerint ſola ſuſpicione notabiles, niſi ad mandatū Eccleſiæ, iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ, propriam innocentiam, propria purgatione monſtrarint, tanquam infames, & bāniti ab omnibus habeantur: ita, quod ſic banniti per annum permanſerint, ex tunc eos ſicut hæreticos cōdemnamus. Statuimus etiam hoc edicto, in perpetuū ualituro, ut poteſtates & conſules, ſeu rectores, quibuſcunq; fungantur officijs, quod pro defenſione fidei præſtēt publicè iuramentum, quod de terris ſuæ iurisdictioni ſubiectis, uniuerſos hæreticos ab Eccſeſia denotatos, bona fide, pro uiribus exterminare ſtudeāt: ita quodammodo quandocunque quis fuerit in perpetuam poteſtatem, uel temporalem aſſumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare: alioquin neque pro poteſtatibus

bus, neque pro conſulibus habeantur,
eorumque ſententias ex tunc decernimus
inutiles & inanes. Si uerò dominus tem-
poralis requiſitus & monitus ab Eccleſia,
terram ſuam purgare neglexerit ab hęreti-
ca prauitate, poſt annum à tempore mo-
nitionis elapſum, terram ſuam exponimus
à catholicis occupandam, qui eam exter-
minatis hęreticis, abſque ulla contradictio
ne poſsideant, & in fidei puritate conſer-
uẽt, ſaluo iure domini temporalis, dũmo-
do ſuper ijs nullũ præſtet obſtaculum, ne-
que aliquod impedimentum opponat, ea-
dem nihilominus lege ſeruata contra eos
qui non habent dominos principales. Cre-
dentes præterea receptatores, defenſores,
& fautores hæreticorum bannimus: ſtatu-
entes, ut ſi quis poſtquam quilibet talium
fuerit fidelium communione notatus, ſa-
tisfacere contempſerit infra annum, ex
tunc ipſo iure ſit factus infamis, & ad pu-
blica officia ſeu conſilia, uel ad tractatus
aliquos eligẽdos, nec ad teſtimonium ad-
mittatur: ſit etiam inteſtabilis, ut nec teſta
menti liberam habeat facultatem, nec ad
hæreditatis alicuius ſucceſsionẽ accedat.
Nullus ei pręterea ſuper quocũq; negocio
ſed ipſe alijs reſpõdere cogatur: quòd ſi iu
dex extiterit, eius ſententia nullã obtineat
roboris firmitatẽ, nec cauſæ aliquę ad eius
noti-

notitiam perferantur: ſi fuerit aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur: ſi tabellio, eius inſtrumenta confecta per manũ illius, nullius penitùs ſint momenti. Adijcimus inſuper, quod hæreticus per hæreticum cõuinci poſsit, & quod domus Patarenorũ, receptatorum, defenſorum & fautorum, ſiue ubi docuerint, ſiue ubi alijs manus impoſuerint, deſtruantur, nullo tempore reparandæ. Datum etc.

Fridericus,

Fridericus, uniuerſis mundi principibus, de ſiniſtris rumoribus Terræ ſanctæ.
Cap. XXVIII.

HISTORIA RERVM DE QVI- *bus in ſequenti epiſtola tractatur, ita ſe habet.*

Poſt inducias à Friderico cum Sarracenis factas, Templarijs omnia contra ipſos dynaſtijs & odijs pluribus diſtractos, ex inſtinctu pontificis molientibus, ac populum præfectis Imperialibus deſtitutum, minis perſuaſionibusq; contra fœdera ad bellum ineundum cogentibus: Meledinus Soldanus Aegypti, Choraſmios, quos nonnulli Groſſonios appellant, gentem ſuperſtitioſam ac Sarracenicam, ſedibus patrijs eiectam à Tartaris, tunc per Aſiam atque Europam duce Cãguiſta debacchantibus, ex Babylonia in Syriam uocauit: qui tranſito Euphrate, per Arabiam primò deſertam, deinde per montana felicis Arabiæ, in Petream peruenientes, Gazam, Aſcalonam, aliasq́ue ciuitates à Templarijs reſtauratas atque munitas magna Chriſtianorum clade expugnarunt. deinde exercitu ipſorum, cui patriarcha & magiſtri templi hoſpitalisq́ue præibant, iuxta Tyberiadem fermè ad internecionem deleto, Hieroſolymam regni caput petierunt: eamq́ue incruento Marte ſubito occupatam, diripuerunt: ciues nulla conditionis, aut ſexus ratione habita fœdiſſimè trucidarunt: ac ſacroſanctum Chriſti ſepulchrum ad ea uſque tempora omnibus gẽtibus intactum, omni nefaria fœditate, uaſtitate, indignitateq́ue polluerunt. Hæc Fridericus mundi principibus ſignificat: ſed obſcurius S. S. S.

ET ſi tam iuſta, quàm uehemens cauſa doloris, & motus fuerit in nobis, cũ ad pręſentiam noſtram frater S. à uenerabili patre patriarcha Antiocheno, dilecto amico noſtro, præſentium baiulus literarũ acceſſit, ipſum tamen infeſtè uidere nequi

uimus, qui mittentem adfectione quadã diligimus ſingulari. Verùm etiam tunc temporis cordis noſtri neruum pertigerat rumor infeſtus,& ſubitæ nuncius tempeſtatis, qui Goheſminorum peſtem ab originalibus ſedibus Tartarea peſte depulſam,uelut molem ingentem, per abrupta montium decliuium fulminis ictibus deuolutam,in ſanctam ciuitatem irruiſſe cru deliter nunciauit,quæ fortè deſolationis ſuæ tẽpore habitatore continuo,ſolito de cẽſore,cateruatim undiq; cõcurrentib.populis colebatur,dederatq;cõcurſui famoſi tam loci longis retro temporibus à Chriſticolis maximè deſiderata ſecuritas,& ſiniſtris auſpicijs dieb.illis obtenta quarundam occaſione treugarũ, quas Soldanus Damaſci, & Nahaſar & Soldanus Tracti: qui prius hoſtes & aduerſarij fuerant, con cordiam inuicem facientes,ipſam cũ Chriſtianis ea conditione fecerunt, quod tota regni Hieroſolymitani terra,cuius partem Chriſtiani poſſederant trans Iordanem, retentis ſibi uillis & montanis aliquibus, à Chriſtianis reſtituta, Soldanus eiſdem in expugnatione Soldani Babyloniæ deberet aſſiſtere toto poſſe.Qua cõfœderatiõe, tanquã in ſui perniciẽ inita, Soldanus accinctus,prędictã gentem Barbaricã Goheſ minorũ,per deſerta uagantẽ, & uelut fera

in ſaltibus ante uenabula fugienté, ad ſuæ defenſionis auxilium conuocauit: qui ſibi reputantes oblatū præſidiū potius quàm petitum, ad deſignata loca ſubitò, non minus taciti, quàm celeres peruenerunt, ut inuiſos hoſtes adueniſſe maturius noſtrorū uigilantia nouerit, quàm uenturos. Sicque factum eſt, ut Chriſtianorum exercitu, cū Soldanis prædictis, in finibus Soldani Babyloniæ, apud Gazam commorante, patriarcha Hieroſolymitanus, de partibus cismarinis, ad partes illas athleta nouus acceſſit. Quo ſuperueniente perfidæ gentis metu de ciuitate Hieroſolymitana, unà cum magiſtris domorum, & hoſpitaliū Militiæ templi, & uniuerſis habitatoribus ciuitatis eiuſdem, tanquā de humano præſidio deſperatis, noctis ſilencio ſalubriter procedentibus uerſus Ioppem, emenſo iā ferè medietatis itineris ſpacio, ad cuiuſdā uanæ, ſeu potius callidę procuratæ uocis auditum, quę Goheſminorum natione deuicta, ſecurum peregrinis & ciuibus reditum promittebat, homines regionis & incolatus affectione ſeducti, confeſtim ad uictimam potius, quàm ad patriam redierunt. Nondum eiſdem infra ſepta domorū reſpirantibus à labore, priuſquam ferè ſarcinulas ſuas, & itineris impedimēta deponerēt: ecce, qđ multitudo gentis hoſtilis,

 quam

quam dinumerare nemo poterat, uniuerſam faciem terrę occupans, ſic improuiſò, ſic ſubitò continuatis pugnatorum agminibus circundedit ciuitatem, ut nec in defenſione præſidium, nec in fuga cõſilium, obſeſsis fidei noſtræ, pugilibus laxaretur: Ambigentibus autem eis, cuiuſmodi genus mortis eligerent ex prędictis, tãdem, & ſi nulla uia ſecurior, ſaltem uiſa eſt uia dulcior, ut per fugæ remedium, aliquos à perſequentium oculis, cauernę montis imminentis abſconderent, & noctis circuitu aliqui manus occidentium feras euaderẽt: uel ut ſaltem unum ex omnibus cladis & periculi nuncium reſeruarent. Non defuit tamen inter tot aduenarum hoſtium milia, ductor & cognitor uiarum indigena: qui ſufficientes inſidiantium turmas, uelut per ſyluarum anguſta uenatores, per ineuitabilia loca diſpoſuit: in quorum manus, quantò celerius fugerent, tantò rapidius caderent fugiẽtes. Sed fefellit, ò proh dolor, euentus rei miſerandæ conſilium, quia tanquam in rete paratum auibus, ſic omnes ſeptem milia ferè hominum, in gladium inciderunt: & teſtantibus ſanguinis occiſorum per ualles montium, ſicut profluentis aquæ, decurſibus, nulla prorſus extitit pugna, ſed cædes. Infantes autem & uirgines, in urbem beatam uenientes, ne-

quiter

quiter reduxerunt. Senes, infirmos & debi
les, & moniales, ad fugæ laborem inhabi-
les, in urbe relictos, in ipſorũ, ſquin potius
in ipſius dei noſtri cõſpectu ſepulchro Do
mini uiolato, quod fuerat fidei Chriſtianę
uiſibile nutrimentũ, miſerabiliter occide-
runt. Poſt hęc, ad reconciliationẽ tanti diſ
ſidij, & totius reipublicæ, ac fidei Chriſtia
nę uindictã armauit, ut dicitur, uniuerſali-
ter omnes Oriẽtalis plagę Chriſticolas, ut
ſic magis prouiſa eſſet & tuta religio Sol-
danorũ, Damaſci & Tracti cõſortio: quod
tamen iuſto timore nõ caret. De quorũ e-
uentu uelit altiſſimus Deus, pro cuius cau
ſa certatur, quòd pręcurrẽtis famæ pernici
es, ſubſequentis rei proſperitate uincatur,
anima tamen noſtra, propter præteritorũ
caſuum, & futurorum euentuum, mecum
in amaritudine poſita, boni nuncij uerbũ
de terra longinqua ſitienter expectat: eoq;
magis anxiamur in ſpiritu, quò iuſtiori do
lore torquemur in mẽte, uelut qui ſcimus,
hæc potius contigiſſe culpa, quàm facto.
Dudũ etenim uiro ſpectabili comite Cor-
nubiæ, dilecto ſororio noſtro cum hono-
rabili comitiua nobilium trãſalpina, in ul-
tramarinis partibus uices agente noſtras,
de conſilio magiſtrorum hoſpitalis, & ſan-
ctæ Marię Theutonicorum, & totius Chri
ſtianorum exercitus pro parte noſtra, qui

iura dilecti filij noſtri Cunradi, in Romanorum regem electi, ſemper Auguſti, & regni Hieroſolymitani hæredis, eiuſdem regis & regni moderamine fungebatur, cum Soldano Babyloniæ ſuprà dicto, treugas fideliter & prudenter inijt. Quas magiſter domus Militiæ templi, cum cæteris terræ nobilibus indigenis, & ciuibus Anconenſ. ad ſpeciale noſtræ celſitudinis odium (non ad commune bonum habendo reſpectum) acceptare nullatenus uoluerunt: quin potius, more diſparium aurigarum, in diuerſis hinc inde partibus de trahendo uehiculum, tandem prout euĕtus rerum edocuit, in præcipitium deuium uectores & ſarcinam deduxerunt. Hæc uos latere non credimus, fuiſſe præcipuam, immò ſolam originem morbi præſentis, & cauſam, quæ Soldanum Babyloniæ continuis etiam iniurijs poſtmodum laceſſitum, ad quærenda remota ſuffragia, & ad deſperanda coegit. Hæc quandoque Ciſmarinorum nobiliũ animos à deuotione ſeducent, qui diuinitùs inſpirati, ad reliquiarum illius terræ ſalutem, uotis ardentibus aſpirabant: qui quanquá res & perſonas exponerent pro prædictis, propterea tamẽ ab ipſis iniuriari ſibi indignũ æſtimant, & reputant indecorum, dum ipſorum conuentiones & treugæ deluſoriæ repu-

reputantur. Propter quod, cum iſtud quàm primum ad ſolicitudinem noſtram, gerentem curam negocii tranſmarini, peruenit, peruigili ſemper, & continua meditatione penſauimus, qualiter cum terræ primatibus, licet nobis & noſtræ fidei inimicis, ſi non perfectæ, palliatæ cuiuſdam amicitiæ fœdera contraheremus: & potiſſimè cum Soldano Babyloniæ, qui terræ Syriæ penè maior dominus, & huiuſmodi locorum habilitate uicinior habebatur. Ad hoc nos nullius familiaritatis intrinſeca prouocauit affectio, ſed cauta prouiſio, ne deſperare prædictos neceſſariò cogeremus: & ne particularia metuendo diſſidia, ſuas conflare potentias cogerentur in unum, priuſquam temporis opportunitate captata, uel pacatis Italiæ partibus, inter nos & Eccleſiam unione ſecuta (quã teſte Supremo iudice, ſemper ambiuimus) unanimibus uotis, & uotiuis præſidijs uacare poſſemus. Quanquam humani hoſtis generis, & eius diſcriminis auidus, ſubtiliter hactenus id impediuit. Igitur ueſtra circunſpectio nõ miretur, ſi Romanũ principẽ, & Hieroſolymitanũ ad iracundiam uehementẽ, tã ſiniſtri caſus infeſta relatio, quadã indignitate cõmouit. Vobis aũt & cæteris terræ principib. eccleſiaſticis & mũdanis, in Ciſmarinis delicijs exiſtẽtib.

Barbarorum nequitia, fides noſtra deprimitur: crudelitatibus hoſtium fidelium reliquiæ trucidantur: peruerſorum iniurijs, pulchritudo templi Dominici deturpatur: illic pro fide noſtra ſeruanda confligitur, & à uincentibus palma uictoriæ, & à cadentibus corona martyrij, hilariter expectatur: à nobis bella geri placuit, nullos habitura triumphos. Ideoque quum talibus eſſemus iuſta turbatione commoti, per prædictum fratrem S. nuncium eiuſdem patriarchæ, quem tam ciſmarini, quàm tranſmarini diſcriminum radix, & cauſſa non latent, & quem uelut præclarum membrum Eccleſiæ, nulla labes ſuſpicionis aſpergit, certam & acceptabilem formam pacis accipere credebamus: quam ſaluis noſtris, & ſacri Imperij noſtri iuribus (quæ minorare ſacrilegium credimus) tolerare poſſemus: quam etiam licet uulneratum uniuerſalis negocij commodum, uix ammodo tempeſtiuum accipiat, utile tamen & neceſſarium forſitan reportabit.

Re-

Regi Vngariæ de aduentu Tartarorum. & conqueritur ei de papa, propter cuius impedimentum nõ poteſt eis obuiare. Cap. XXIX.

HOnor Imperij, qui propter turbationes temporum, ualdè fuerat in Italia diminutus, per quem noſtra, & exaltatio principum procuratur, diu nos, de conſilio tuo & aliorum principum, ad ſui reformationem, tenuit in eiſdem partibus occupatos, ut quibuslibet delicijs & regijs opportunitatibus prætermiſsis, perſonæ noſtræ ac noſtrorum fidelium continuatis laboribus, perquàm plures annos æſtiuis temporibus, & hyemalibus minimè parceremus: regnum hæreditarium, noſtræ matris auguſtæ obuentiones, & commoda undecunque perueniunt, præter mores regnantium cæterorum, qui bona hæreditaria commodis ſpecialibus & priuatis attribuunt, pro republica & augmento Imperij, tã in rebus, quàm in diuitijs, & perſonis inceſſabiliter exponentes: ita, quòd autore Domino, cuius præuia dextera feliciter in omnib. triumphamus, ad id, labores noſtri, tranſacti temporis peruenerunt, ut deuictis ferè in totũ hoſtib. & Imperio noſtro ſubactis, ualdè modici temporis reſtat labor: in quo ſperamus, ad perfectionẽ uotorum cõmunium, & proſperũ totius operis Italiæ complementũ, trium-

Tartari gens Schytica, quos pleriq; Mangalos uocant, quarto ante Lugdunenſe cõciliũ anno, duce Canguiſta, ad orbis uaſtitatẽ atque ruinã exijt, trifariã diuiſo exercitu. Colchos, Iberos, Armeniosque una manus: Perſiam Aſiãque altera diripuit: Sarmatiã. Vngariãque tertia colluuies ſpoliauit. Cæterùm qui Pãnonas aggreſſi fuerãt, ſucceſſu parũ proſpero, rege amiſſo, anno 1243. eas repetiere terras, quas olim bello ſuas fecerãt. in quibus poſtea Tartarorũ ditiomã ſit. Naucler. generatione 41.

phaliter pro noſtro & communi honore principum, penitus peruenire. Quia uerò pridie auditis rumoribus, nationes Barbariæ Tartarorum, quòd regnum Vngariæ ſubitis aggreſſibus inuaſiſſent, cogitauimus proximo ardente pariete, rebus noſtris conſultius ſuccurrendum: ad hęc prõpta expoſita uoluntate, uelut qui cum proprio ſuadente negocio, tum totius Chriſtianitatis ſubſidio, & tuitiõe catholicę fidei requirẽte: ad quam tuendam, ex commiſſa nobis Imperialis officij diſpenſatione, tenemur & debemus inimicis fidei Chriſtianæ totis uiribus obuiare. Sed ſumma neceſſitas, neceſſarię cauſa dilatiõis induxit, ut rẽ tã arduam Imperij, nos principaliter & ſpecialiter contingentẽ, bellicis tot armorum laboribus, in effuſionem Germanici ſanguinis acquiſitam, & ad finem proximum Germanis enſibus iam deductam, nõ deberemus obmittere propter breuiſſimam moram tẽporis imperfectã: ut quod eſſet deterius & facilè contingeret, Italicis gentibus in abſentia dominorum ſuorum utentibus more ſuo, tãtus labor, & effuſæ diuitiæ pro receſſu noſtro in irritũ reciderẽt, & recidiua negocij, grauiora nobis & Imperio iterata pericula remanerẽt. Aliud etiã urgẽs & euidens impedimentum occurrit, quòd creſcẽte inter nos & Romanũ pon-

pontifice, ab olim orto diſſidio, experientia præteriti tẽporis ſuggerit uenturum tremorem, ut iuſtus timor, qui cadere ualeat in cõſtãtem, rectè moueat mẽtem noſtrã: ne nobis uenientibus ad confuſionem hoſtium Barbarorum, familiaris & domeſticus hoſtis, uelut quõdam nobis partes ultramarinas adeuntibus, pro ſeruitio Ieſu Chriſti, animatis quibuſdam rebellib. noſtris marinis prædonibus, qui libenter occaſionem abſentiæ noſtræ captarant, inuaderet regnum noſtrum. cum familiaris peſtis ſit leuior ad nocendum. Propter quod de te, ac de cæteris principibus non abſq; admiratione publica, totius loquitur lingua mundi, quòd audito & cognito infauſto aduentu infidelium Tartarorum, qui ad exterminium Eccclefiæ & Imperij, & totius cladem Chriſtianitatis aſpirant, prę uiſa deliberatione principũ, ad ſedem Apoſtolicam nuncios miſimus ſpeciales, ſupplicaturos ſummo põtifici, ut tot impedimẽta, quę uerbis & opere nobis oppoſuit & opponere non deſiſtit, inſpecta neceſſitate Occidentalis prouincię reuocaret: & nos ad publicę fidei, & Chriſtianorũ defẽſionẽ uenire permitteret, etiã inoffenſos, ut morã noſtrã, quã iuſtè cauſaris, tu uel alij principes arguere nõ poſſetis. Sed ſi pro diuturnis guerris, ac humiliatione rebel-

lium,

lium,exhauſtis theſauris noſtris & uirib. tot annorum laboribus fatigati, tam propter ea tueri,quàm ab inimici hominis inſidijs præcauere,ac inſtanti diſſenſioni finem imponere compellamur,atrio noſtro in tranquillitatis ſecuritate diſpoſito, reparatis opibus ac uirium copijs, ad interitum communium hoſtium potentius acceſſuri. Quapropter omnibus prætermiſſis,felices greſſus noſtros direximus uerſus urbē,ita quòd Roman.partibus uicinamur,intēdētes eſſe cōtenti ueterib. & hæreditarijs Imperij iurib. quæ diu Auguſti prędeceſſores noſtri generis & honoris,tā Imperij quàm regnorū ꝓpria poſſederūt, quibus tā diu neglectis per te & alios principes,notari meritò poteramus. Ad pacē uerò quam ſemper affectauimus, inſtantē operam adhibemus,quæ per nos fuiſſet olim & ſæpius procurata,niſi frequens noſtra petitio, aures & animum pertinacis hominis induraret,& inde nutriret diſcordiam,unde concordiam poſtularet.Speramus autem per præſentem greſſum noſtrū mundo acquirere bonum pacis, & ſtatu Italiæ pacificè reformato, ac regno noſtro in Dei ſecuritate dimiſſo,tam onuſti diuitijs, quàm gētium multitudine cōſtipati, cum expectata benedictione ſacroſanctæ matris Eccleſię ueniemus,ita quod Domi

no

no exercituũ nos iuuante, quo duce, quo præuio, miniſtrata nobis à cœlo uictoria, qua de cunctis inimicis noſtris conſueuimus triumphare, Tartarorũ multitudinẽ deuincemus. Tuam igitur induſtriam exhortamur, quatenus interim, cum toto tuarũ conatu uirium, dilecto filio noſtro Cõrado, in Romanorum regem electo, potenter aſſurgas, ad reprimendos impetus aduerſariorum communium, & ingreſſus: ut eis non liceat campum liberum inuenire, donec nos cũ potẽtia maxima, ad eorum confuſionem ultimam ueniemus.

De eodem. *Cap.* XXX.

PErfectæ ſolicitudinis zelus, quo ſicut pater Imperij, ſtatum eiuſdem diligere cogimur, & tueri propenſius nos inducit, non tam manifeſta pericula, quàm ſuſpecta uereri: nec prouiſionem differre cautelæ, quouſq; certitudinem rei, per oculatæ fidei teſtimoniũ adſequamur. Sed quantò maiora timentur eſſe diſpendia, tantò prõptior & perfectior debet eſſe cautela. Infeſtam igitur nobis, & infauſtam omnibus famã, de Tartarica tempeſtate, finib. Imperij iam uicina per uos, quos ex uicinitate loci primos inuenit, ad uos certius et ordinatius deducendam: uobis idcirco deſcribimus, ne ſuper tanto diſcrimine taciti ui-

ti uideamur,aduertimus enim iſta iam du dum,ſed quanquam audita decredere ueremur,neccredere delectaret, ipſa tamen longè modernis remota temporibus puta bamus,tū propter itineris remoti diſtantiam,tum propter quamplurium fortium principum & populorum occurſum, qui frementium Tartarorum armis & furijs occurrebant.Sed ecce,deletis in totū terrę principibus,quos obices inuenerūt, & ad iuga perpetuæ ſeruitutis, pauciſſimis admodum ex inferioribus reſeruatis, iā uerſus fines Romani Imperij propinquare dicuntur:& ad religionis & fidei noſtræ matrem, ſacroſanctam Romanam eccleſiam prophanandam:& urbem regiam,Imperij noſtri caput,iure dominij, uel iniuria noſtra potius poſſidendam à Tartaris ,prout firmiter creditur,aſpiratur. Verùm quantumlibet haberemus,ut diximus, ex reſiſtentia remota fiduciam, ne præoccupari tam ſubitò crederemus,in totum tamē ſolicitudo noſtra non exijt prouidentię futuræ conſilium, quin multis retrò actis tēporibus penſaremus,qualiter nos contra huiuſmodi infauſti ca:9,ſi dieb. noſtris ita cōtingeret,pararemur incurſum. Sicq; nos, quantumuis inuitos,oportuit eiſdem præferre præſentia,& manifeſta præponere diſpēdia præſumptiuis:propter hoc etenim
Roma-

Romanum pontificem multis obſequijs, multisq; blanditii nobis efficere nitebamur unanimē: ſed, quod dolentes referimus, & reminiſcimur lachrymoſi, ueneno ſi ſerpētis antiqui perfidia, in tantū cauſæ noſtræ præualuit, quòd in totius ferè mū di perniciē, ſubiectorū noſtrorū fidē, in perfidiá tranſtulit: & nobis maternæ dulcedi nis, proh dolor, ubera nouercauit. Propter quod etiá, in totū ferè uitæ noſtræ deliciis abdicatis, quas regni noſtri Siciliæ nobis amœnitas offerebat, per aſpera maris & montium Germaniam repetētes: & ad cō gregādas ibidē dominii noſtri uires, & cō ſolidādas in unū, poſt domitam & oppreſ ſam H. primogeniti noſtri dementiam, qui ſibi contra nos ſedem aſſumpſerat, aquilo nis circa fertilis Italiæ partes dreximus greſſus noſtros, uires noſtras eduximus: & noſtrorū, ut pacatis undiq; dominii noſtri partibus, & rebellibus omnibus, ad mandata noſtra ſubactis, tantò uelocius, tantoque ſecurius ad exterminium tempeſtatis Tartaricę, Imperialis dextera conſurgeret, quātò potētius & quietius imperaret. Occurrit ueruntamen doloroſa de præteritæ rei geſtæ memoria, quod transfretantibus nobis dudū in Terræ ſanctę ſubſidium, & Sarracenorum excidium, qui non minus fidē noſtram quàm Tartariæ perſequuntur:

tur:iſte chariſſimus pater noſter Mediolanenſ.ac ſuorum complicium mētibus iniquitate diſlutis, regnum noſtrum Siciliæ uiolenter inuaſit:&, quod horribilius eſt auditu,nobis ibidē agentib.omnib. Chriſti fidelib.ne nobis in Chriſti crucifixi negocio ferrent,uel præberent auxilium,interdixit.non eſt enim leuitatis hic timor, qui poteſt cadere in conſtantem,uelut prę teriti tēporis ad futurum,& ex tot ſimilib. offenſis aſſumptus. Vellemus etenim tam glorioſa præteritorum memoratione foueri,quòd illam gerimus de patre fiduciā, illam de ſubditis cōſtantiam haberemus, quòd in ſpe paterni cōſilij,& fide firmiſſima ſubiectorū,cuncta poſt terga poſſemus ſecurè relinquere,& ad exterminium Tartarorum,poſtpoſitis omnibus,feſtinare.
Ecce ueriſimiliter opinamur, quòd fama diſſenſionis huiuſmodi,non modicā Tartaris præſtat audaciam, ut in ſeipſum diuiſum fidei noſtræ regnum, facilius deſoletur.Audito ueruntamen per uenerabilem Varmacenſ. epiſcopum, legatum ad nos regis Vngariæ, tam magna de Tartarorum uenientium tempeſtate, uijs & iugis montium maturatis, uerſus Romam direximus greſſus noſtros: ubi deuotione nec minus potentia noſtra de uicino conſpecta:ſi apud ſummum pontificem,

cem, quæ ſunt patris, inuenerit filius, & apud Apoſtolicam ſedem pro tanta fidei neceſsitate conſilium: non dubitabit nullatenus, nec retardabit Romanus Auguſtus, catholicus Imperator, ac rebellium inclytus Dominator, pro tanta fidei neceſsitate corpus exponere, & totius potentię ſuę uires offerre. Vos deniq; patres conſcripti, quibus eſt peſtis ipſius fama clarior, quia cauſa uicinior nobis proſequentibus Imperij noſtri cauſſam, quia dum patria & auita regna recepimus, non aliena per iniuriam uſupamus: uias omnes inueniatis & modos, qualiter unà nobiſcum & cum alijs terræ principibus, quos adhæc per literas noſtras & nuncios excitamus pro tantæ neceſsitatis articulo, ad deſtructionē communium hoſtium occurrere ualeatis: præſertim cum diuina potentia, non tam tueri uelit Romanum imperium, quàm augeri. Ecce enim, quod rex Vngariæ regnum noſtræ ditioni ſubiecit, dūmodo defenſionis noſtræ clypeo protegatur.

Vniuerſis prælatis, ut compeſcant papam à ſuis illicitis moribus. Cap. XXXI.

IN exordio naſcentis mundi, prouida & ineffabilis Dei prouidentia, cui conſilia non communicant aliena, in firmamento cœli duo ſtatuit luminaria, maius & mi-

 nus,

nus:maius,ut præeſſet diei.minus, ut præeſſet nocti. Quæ duo ſic ad propria officia in regiõe Zodiaca offerũtur,ut & ſi ſe multotiens ex obliquo reſpiciant,unum tamẽ alterum non offendit:immò,quod eſt ſuperius,inferiori ſuam communicat claritatẽ. A' ſimili,eadem æterna prouiſio,in firmamento terræ, duo uoluit ineſſe regimina, ſacerdotium ſcilicet & Imperium, unum ad cautelam,reliquũ ad tutelam:ut homo, qui erat in duobus componẽtibus diutius diſſolutus,duobus retinaculis frenaretur, & ſic fieret pax orbi terræ omnibus exceſſibus limitatis. Sed ſedẽs in cathedra peruerſi dogmatis,phariſæus unctus oleo nequitiæ,præ participib.ſuis, noſtri tẽporis, Romanus põtifex,quod de cœleſtis ordinis æmulatione deſcendit, euacuare nititur. Et credit fortè cum ſuperioribus conuenire,quæ natura,non uolũtate ducũtur: noſtræ maieſtatis iubar, intendit ducere in eclipſim,dum ueritate in fabulam commutata,plenæ mendacijs ad diuerſas mundi partes, papales mittuntur epiſtolæ, de complexione, non de ratione, accuſantes noſtræ fidei puritatẽ.Scripſit enim ſolo nomine pãpa,nos beſtiam aſcendẽtem de mari,plenam nominibus blaſphemiæ, pardique uarietatibus circumſcriptam. Et nos ipſum beluã illã aſſerimus, de qua legitur:

Exibat

Exibat alius equus rufus de mari, & qui ſedebat ſuper eum,ſumebat pacem de terra,ut uiuentes inuicem ſe interficiāt. Nam à ſuæ promotionis tempore,iſte pater non miſericordiarum,ſed diſcordiarum, deſolationis,&non cōſolationis,ſolicitus procurator, totum mundum ad ſcandala excitauit.Et,ut uerba ſua recto ſenſu interpretemur,ipſe draco magnus,qui ſeduxit uniuerſum orbem, Antichriſtus eſt,cuius nos dixit eſſe præambulū: & alter Balaam conductus precio, ut malediceret nobis,princeps per principes tenebrarum, qui abuſi ſunt Prophetijs.Hic eſt angelus proſiliens de abyſſo,habens phyalas plenas amaritudine,ut mari & terrę noceat.Inſeruit enim falſus Chriſti uicari⁹, fabuliſs ſuis,nos Chriſtianæ fidei religionem rectè non colere, ac dixiſſe tribus ſeductoribus mundū eſſe deceptum: quod abſit de noſtris labijs proceſsiſſe, cum manifeſtè confiteamur unicum Dei filium, coæternum & coæqualē patri,ac ſancto ſpiritui, Dominū noſtrum Ieſum Chriſtum,ab initio & ante ſecula genitum: proceſſu tēporis miſſum in terris, in ſubſidium generationis humanæ, non de potentia ordinata,ſed de potentia ordinante:qui eſt de glorioſa uirgine matre natus,paſſus poſtmodum,& mortuus ſecundum carnem, & alteram naturam, quam

Cum anno 1242 Fridericus Cunradū filiū, Imperatorem Fraco furti feciſſet, dixiſſe ibi apud pōtificē Gregorium per land grauiū Thuringiæ, delatus eſt:Tres in regiminib. ſuis mundū ſeduxiſſe Moyſē Iudęos, Chriſtū Chriſtianos, Mahometem Gentes. Quare Gre-

gorius incitatus eum excõmunicauit. Sed hãc delationem Heinrici, Thuringi magis falſam quàm uerã fuiſſe, eius in Romanorum regem poſtea facta electio ſalis probatur. Chronica Thuringiæ.

pſit in utero matris: uirtute Deitatis, à morte poſt triduum ſurrexiſſe. Mahometi uerò corpus in aere pendere didicimus, obſeſſum dæmonibus, animam inferni cruciatibus deditam, cuius opera tenebroſa fuerunt, & contra legem excelſi. Moſen uerò, amicum Dei & familiarem, uera docente pagina, fuiſſe tenemus: in monte Synai cum ipſo tenentem colloquia, cui Dominus rubum accendit: per quem ſigna & mirabilia fecit in Ægypto & Hebraico populo, lex tradita: declarat ipſum poſtmodum uocatum, ad gloriam cum electis. In ijs & alijs accuſator noſter, & æmulus ponens aduerſus filium, matris Eccleſiæ ſcandalum, contra nos mendaces & uenenoſas notas, mundo inſcripſit. Sed ſi rectitudo ſenſus Apoſtolici non fuiſſet intrinſecus impedita, nec prępoſuiſſet impetum rationi, qui dominatur in ipſo, talia non ſcripſiſſet, nec ad ſuggeſtionem illorum qui tenẽt lucem tenebras, & dicunt malum bonum, qui ſuſpicantur mel eſſe fel, per locum ab opinione, qui eſt debilis & infirmus, cum uerum eſſe falſum, cum non eſſe conuertatur. Opinio uerò, ſic indifferens ad utrumque, uno gradu diſtans à fide, in huiuſmodi papalis conſcientiæ hoſtium infringi minimè debuiſſet. Super quibus omnibus uehementer cogimur admirari, & noſtræ

mentis

mẽtis quietẽ multa uexat turbatio, quòd uos qui eſtis Eccleſiæ fundamenta, columnæ, rectitudinis aſſeſſoris, Petri urbis ſenatores, & orbis cardines, non flexiſtis motum iudicis fulminãtis, quemadmodum ſuperiores planetæ faciunt, qui ad retardandam magni corporis uelocitatem, contrarijs motibus, opponuntur. Reuera Imperalis felicitas papali ſemper impugnatur, inuidia. Vnde Simonides interrogatus, cur inuidos non haberet: reſpondit, Quia nihil feliciter geſsi. Et quia proſpera nobis, Deo benedicto, cuncta ſuccedunt, præſertim cum Lombardos rebelles noſtros, ad mortem proſequimur, quos ipſe prædeſtinauit ad uitã. Hæc eſt cauſa, quare pontifex ipſe Apoſtolicus ingemiſcit, & nunc de conſilio ueſtro, felicitati noſtræ inſtituerit obuiare uerùm de poteſtate ligandi & ſoluendi, fortè ipſe Dominus gloriatur & pungit. Sed ubi uirtus deficit poteſtatis, ibi ſubſeruit abuſus: hoc in eo intelligitur, qui regię poteſtatis magnꝯ princeps, eximius Prophetarum, reſtitutionẽ poſcebat ſpiritus principalis, quia polluerat officij dignitatem. Sed ſecũdum quod indiſſolubilia non ſoluuntur, ita & illigabilia non ligantur: quod ex eo manifeſtè probatur, quia Sacra ſcripta inſtruunt, mortificant animas quæ non moriuntur,

& uiuificant quæ non uiuunt. Poteſt ergo, quę non ſunt digna potentiæ quantum & quando. Nam cum Deus omnia poſsit, eſt aliud quod non poteſt. Sanè, ſi uerus eſſet pontifex, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus haberetur, non iurgiorum uictimæ, ſed hoſtiarum pacificarum, pacificus immolator: & poneret incenſum odoris, non doloris: nec pontificium in maleficium commutaret. Si uerus eſſet pontifex, uerbum prædicationis non traheret in fructum diſſenſionis. Nec ex hoc accuſabimur hoſtis Eccleſię matris noſtrę, quæ ſancta eſt in genere ſuo, quam cum reuerentia colimus, & amplectimur cum honore, diuinis ſacramentis ornatam: perſonas tamen ſingulares, & corruptioni ſubiectas, à medio recedentes, penitus reprobamus: & quia iniurię non ſunt tranſitorię, quę noſtrę maieſtati iugiter inferũtur, & animum ſuper ijs non lenire poſſumus, nec debemus utique, noſtram potentiam relaxare cogimur ad uindictam. Vos uerò qui eſtis uiri ad ſaniora conſilia conſtituti, ſenſus & rationis excellentiam obtinentes, rugiẽtem aduerſarium noſtrum, à proceſſu, cuius deteſtabile fuit initium, penitus reuocetis, rerum conſequẽtias, ex cauſis precedentibus attendentes: alioquin utraque terra ſentiet, qualiter in perſecutorem,

torem,ac conſequentes principes, & fautores procedat Auguſtus, & qualiter ferro Cęſareas inferat ultiones.

Fridericus,fidelibus ſuis,de ſeruitijs collatis Eccleſiæ per eum,& de creatione noui pontificis.
Cap, XXXII.

QVod ad publicæ noticię fores, quæ poſt firmatam, utinam melioribus auſpicijs,pacem inter nos & Eccleſiá contigerunt, inſinuatio noſtra ſerò perduxit, cauſa fuit tractatus de conſummatione pacis cõtinuus, & firma fiducia de ſummi cõſtantia ſacerdotis. Sed nec minus hęc calami noſtri tardauit officiũ,dum ſanctius credebamus ſub hilaritatis ſpe, tua uota ſuſpendere, quàm conceptá de pace lætitiá, amaritudinis nuncijs occupare. Quia tamen ulterius obumbrare non poſſumus, quòd tacẽtibus omnibus, ipſarum rerum euidentia loquitur,&diſsimulare diutius, fama prꝗambula nõ permittit. Ecce quod ueritatis ſtylo deſcribimus,quòd teſte teſtium omnium primo, ſi tempus & cauſſa permitterent, ualde libentius taceremus. Parcat igitur nobis communis auditus, & tuus ſi cauſſæ noſtræ iuſticiam præſcribi ſpacio temporis non ſinamus, præſertim cum eò ſe non porrigat noſtræ uoluntatis intentio, uel ſcripturæ, quod derogare

cuiuſquam famæ uel iuri, per detractionis obloquium intendamus. ſed præſentibus literis, innocentiam noſtram purgare ſufficiat, ut in nullo prorſus inficiat alienam. Quantum autem & qualiter ad præſentis guerræ diſcrimen, tanquam ouis ad occiſionem, & agnus ad uictimam tracti ſumus inuiti, deuotionem tuam, noſtræ mãſuetudinis literæ, ſæpius docuerunt. Sed & præteritum animi noſtri propoſitum, ſubſequens uoluntatis iudicium declarabit. Dum ſublato de medio quondam G. ſummo pontifice, qui uelut paternæ dilectionis ignarus, in filium uitricans, tanti diſcriminis origo fuit & cauſſa: & tamẽ præteritarum irarum obliti, ne dum ſumus filiali compaſsione uiduitatem Eccleſię perſecuti: uerùm etiam ad reſtituendum ſibi noui ſponſi ſolatium, opem & operam dedimus efficacem, ſtuporem ſenſibus omnium inducentes: ita, quod deſiderium noſtrum in * erectionẽ noui pugilis, admodum mirabantur. Angebat nos tamen uniuerſalis mali compaſsio, & firma fiducia, de ſubſtituendo paſtore pacifico delectabat. Quapropter ſicut te latere non credimus, noſtros reſerauimus carceres, quos, in ueſtrum exterminium temerè nauigantium, copia repleuerat prælatorum: exercitus ſoluimus, quibus urbem, urbiũ caput,

*alij creatio nem.

præ

præ foribus cinxeramus:fratres per diuerſa loca diſperſos,in unũ reduci, parata uiarum ſecuritate,curauimus, ut Eccleſiæ de paſtore liberius,nobis & mũdo facilius de paſtore prouiderent.Quorum uotis in iſtũ ſummum pontificem,inſpiratione diuina ſicut noſtra tenere debet opinio, concordatis, gauiſi ſumus gaudio magno ualde: probabiliter æſtimantes orthodoxam, & uniuerſalem Eccleſiam, radio noui luminis illuſtratam: Romanum imperium noua iuſticię lege,generatione lętatum,quòd de ſe filium genuit, quem & patrem orbis & fidei fore, meritò gloriatur.Igitur offerẽtibus nobis, cùm perſonæ meritis,tùm innocentiæ noſtræ iuſticia,prorſus indubitabilem ſpem de pace, curſim ad ipſam proceſsimus, offerentes eandem ad honorem Dei & Eccleſiæ,priuſquam pręſtolaremur oblatam. Demum qualiter non ſolum noſtra, ſed omnium ſit expectatio,proh dolor, perſonarum ac temporum iniquitate fruſtrata, ne narrationis unius longæ contextu,tam aures tuæ,quàm oculi etiam faſtidirent.Eiuſdem cauſſæ proceſſum & ſeriem alteri paginæ duximus committendam, ut uelut mutato ferculo, perfecta lectura præſentium noua,nouorum perceptio, ueſtrum delectet auditum.

Fridericus, de promotione papæ, ſcribit ſibi, ſignificans ſe pariturum mandatis ipſius, per nuncios & legatos. Cap. XXXIII.

AVdita ſummis expetita cōſilijs, & ardentibus deſiderijs expectata, noui ſubſtitutione pōtificis, in quē uenerab. fratrum & Card. uoluntate concordi, & unica generalis uoti poſtulatione, Deo authore, promoti fuiſtis, tantò maior acceſsit ex ueſtra promotione iucunditas, quantò ſubtractū duce filij nomen, quod uiduitas matris abſtulerat, in data nobis noui ſubrogatione pōtificis, non immeritò gaudere poſſumus reſtitutum, ut paterno nomini piæ prouiſiōis omen adueniat, per quod expectáti filio, & nouercalē quodammodo dudum iniuriā iam perpeſſo, dicat rectè mater Eccleſia: Fili, ecce pater tuus, in cuius affectiōe filius reſpirabit: & ad patrē filius e conuerſò reſpōdeat: Pater, ecce filius, quē materna ubera lactauerunt, in cuius obſequijs pia paternitas requieſcat. Datū eſt. n. uobis è cœlo Innocentij prædeſtinata ſorte uocabulū, quod per uos nocentiā contrahi cōſultius innuat, & piè ſuadeat innocentiam conſeruari. Aduenistis quoq; nobis è nobilib. Imperij filius, uetus amicus, nouū creatus in patrem, per quē confidat Imperiū uota pacis, & ſuæ iuſticiæ inuiolata ſeruari. Quapropter ad reuerendū patrē Innocen-

Innocentiũ, Apoſtolicæ ſedis antiſtitẽ, per fratrem G. uenerabilẽ magiſtrum domus ſanctę Mariæ Theutonicorũ, in Hieruſalẽ, Anſaldũ de Amari, ſacri Imperij, ac regnorum Hieruſalẽ, Siciliæ ammiratum, magiſtros Petrũ de Vineis, & Thadęũ de Sueſſa, magnos Curię noſtræ iudices, & magiſtrũ R. Porcaſtrellũ decanum, capellanũ, fideles noſtros: quos de latere noſtro, ad ueſtram pręſentiã deſtinamus, noſtræ Serenitatis nuncios & legatos, conceptæ ſpiritũ deuotionis exponimus, & in eorum affatibus tam deuotè quàm hilariter nos ueſtro conſpectui præſentamus. Idem uerò nuncij noſtri, tanquam intimè conſcij uoluntatis noſtræ & deuotionis, ad patrẽ ueraces erunt interpretes, tam nos quàm potentiã noſtram, Imperiũ ac regna noſtra, & quicquid in bonis noſtris cõſiſtit, ueſtris beneplacitis, ad honorem Eccleſiæ ac fauorem omnimodum Eccleſię libertatis, quãtum cum Deo ſaluis iure & honore Imperij, & noſtrorum regnorũ, poſſumus, obnixius offerentes, illam ad nos, ut reuerẽdi patris beneuolẽtiam relaturi, per quam erga debitam patris reuerentiam, ad omnem honorificentiam filialem, totis affectibus, ac expertis effectibus, plus quàm aliquis alius deuotus filius effundamur.

Regi

Regi Franciæ uarias calliditates papæ exponit, rogans ut per regnum ſuum faciat diuulgari, ut nullus accedat ad Concilium papale. Cap. XXXIIII.

*aliàs Infallibilis.

INeffabilis ueritatis teſtem, ſupremæ iuſticiæ iudicem obteſtamur, quòd cùm apud uos & alios principes, illum autorē tranſgreſsionis arguimus, cuius uerenda tegere filialis reuerentiæ debito coarctamur, rubore multo perfundimur: nec ad hęc aliter diſpendij noſtri cura ſollicitat, uel timor aſtringit, niſi quòd totius reip. Chriſtianę, ſed omnium maximè ſecularium dignitatum ueremur ex noſtra taciturnitate iacturam, & proximam ex dilatione ruinam. Nam ut exempli perniciem taceamus, quę ſępe labitur à mundi primatibus, & uiris pręcipua dignitate conſpicuis, ad priuatos: ecce quod Chriſtianorum debet & poteſt corda compūgere, poteſt & debet ad lachrymas oculos commouere, quòd iſte noſter ſummus pontifex, Eccleſię generalis archipater, & Catholicę fidei procurator, Mediolanenſium hęreticorum perfidiam fouere non deſinit: imò ſic in ipſorum fauore continuò amplius atque perfectius obſtinatur, ut nec ipſum ab hoc zelus diuinæ calamitatis amoueat: nec priuata correctio ſe paret: nec infamia ſeculi generalis abducat. ſic eſt in obſtinationis huius ſtoliditate firmatus, ut

ut reſipiſcentiam tranſgreſsionis, ad uitium, & perſeuerantiam, reputet ad uirtutem. Qualiter enim ad multam inſtantiam Lombardorum contra nos in conſulto calore, proceſſerit, ſatis uos publica fama per docuit: qualiter etiam cùm contra nos, religionis debito, & pontificatus grauitate depoſitis, hoſtiliter arma capiens, ſe ducé & principem noſtrorum rebellium ſtabiliuit, nos uniuerſale Concilium, & ſpecialiter nunciorum ueſtrorum præſentiam petierimus, ſerenitaté regiam credimus non latere. Demum noticiam ueſtram non latuit, qualiter ex quorundam ex fratribus eius inſtantia, qui pro reparatione tanti diſcriminis, pacis conſilia cogitabant, præter omnium requirétium ſpem noſtra magnificentia condeſcendit: ut Lombardis prorſus excluſis, permitteremus eundem, ab inſuetis ſacerdotum infeſtationib. pro temporalis treugæ ſubſidio reſpirare, utpote qui pro ſedatione ſcandali generalis, & Terræ ſanctæ ſubſidio procurando, reperiri modos & uias metiebamur ad ſalutem, & pacem. Sed Romanę ſedis antiſtes, utpote pacis æmulus, &non magis in perfidia fidem, quàm perfidiam in fide ſeruás: Lombardos eoſdem, quibus cõfœderatus fuerat, à treugarum ipſarum fœdere non eſt paſſus excludi: totius orbis diſsidio, Medio-

Mediolanenſium hæreticorũ, ac ipſorum ſequacium ſuffragia proponendo. Cui, cùm in participatione tanti ſceleris aſſentiri nollemus, ut læſæ maieſtatis noſtræ reos, ſub prædictarum treugarum inuolucro pateremur inuolui, uel ipſos ullo modo papæ præſidio communiri. Tandem, poſtquam uidit eoſdem rebelles noſtros propria uirtute deficere, nec ipſis poſſe remedium temporalis quietis offerre, ad artes illas poſtmodum ſe cõuertit, ſatagens nos per N. epiſcopum ad noſtram præſentiam accedẽtem, inducere: ut cum pro reformatione pacis inter nos & Eccleſiam, ueſtros & quàmplurimorum regum nuncios, ac nonnullos de Occidentalibus partibus principes & prælatos, ad ſynodum intenderet euocare: Lombardos prædictos, Excellentiæ noſtræ bannitos, in treugas cum ipſo, uſque ad proximum feſtum reſurrectionis Dominicæ, contrahendas comprehendere deberemus: cauſam fingens, ut ex particularibus treugis, largior occaſio ad uniuerſales præberetur. Audite mirabilem calliditatis aſtutiam, cõſyderate ſigna prorſus à qualibet ueritate remota. dum pacem habere uobiſcũ ſe ſimulat, ut Lombardos, ad tempus pro treugarum ſuffragio reſpirantes, contra nos ſecurius in rebellione cõfirmet: utq; cõtra nos,

ad diſcordiam, medio tempore uenientiũ ad uocationẽ ſuam ſubſidia prælatorum licentius præparet, ſpẽ nobis concordię pollicetur. Et ut euidẽter ad oculum uideatis, quòd pro diſcordia potius Conciliũ indicat, quàm pro pace, formá conuocationis attẽdite. In qua nihil omnino de futurę pacis tractatu deſcribitur: dum negatũ nobis ante Cõciliũ, poſt rebelles noſtros per nos aggreſſos hoſtiliter, nititur aduocare. Conſyderate perſonas, dum ſpretis magnificentiæ noſtrę nuncijs, per quos ſibi tractatum pacis huius frequẽter obtuliſtis: nunc manifeſtos excellẽtiæ noſtrę rebelles N. & N. cum quibus in necem noſtrã, data ſibi pecunia, prout eſt publica uoce notoriũ, coniurauit, uocat expreſsis nominib: ad ſynodum ſuprà dictam. Verùm quantumcunque ſint clara calliditatis indicia, quibus iſte Romanus pontifex, noſtram circumuenire credidit puritatem tamen ob reuerentiam ſummi regis, ſic epiſcopo nominato duximus reſpondendum: Quod nos cum ſacroſancta Romona eccceleſia, matre noſtra, diſcordiam aliquam non haberemus: ſed ab eius Romani põtificis impetu iuſticiam Imperij defendimus, & iniuriam propulſamus. Nihilominus tñ pacẽ cum ipſo ſemper habere optamus. Propter qđ, quo generale mũdi diſpẽdiũ euitemus, & tracta-

tractatus pacis,à remotis partibus nõ quę ratur. Per eundem epiſcopum & alios bonos uiros,iuſticię noſtræ conſcios,& communis concordiæ zelatores, ad pręſentem tractatum pacis, ut mala de medio citius auferantur,obtulimus nos paratos: treugas etiam, nobis uelut ad guerræ pręſidia munitis,infeſtas inire conceſſimus cũ eodem,ſperantes per eam uelut ſalutiferam ſcalam poſſe ad alta palatia pacis aſcendi. Lombardos etiam,ex nexu treugarum huius Excellentiæ noſtræ rebelles, ſicut ſemper excluſimus,ſic & in perpetuum excludemus:nec inter nos & eum durante pręſenti diſcordia,uocari Concilium per eundem,uelut per publicum Imperij hoſtem permittemus. Pręſertim cum nobis,Imperio,& terrę principibus indecentiſſimum iudicemus,cauſam noſtrorum ſecularium poteſtatum,Eccleſię foro ſubijcere, uel iudicio ſynodali. Sed omnibus ad ipſum Cõcilium conuocatis,per terram noſtrę ditioni ſubiectam, ſecuritatem quamlibet denegamus. Quapropter Serenitatem regiam precibus exoramus, quatenus ad pręlatos omnes regni ueſtri,uulgata prográmata diuulgetis, ut nullus ſub ſecuritatis noſtrę, fiducia ad ſynodũ ipſam accedat. Nos enim,quantumcunque fidelibus regni uęſtri,ob amorem pręcipuum, quem

erga

erga uos gerimus, libentiſſimè deferamus: præſumptuoſam tamen temeritatem eorum, qui prohibitionis noſtræ temerarij uiolatores, ad inimici noſtri uocationem accedent, nos nõ decederet ulterius ęquanimiter tolerare.

Scribit rex Franciæ uniuerſis Cardinalibus, quòd cum Romana eccleſia multo tempore paſtore uacauerit, talem pontificem eligant, qui meritò Chriſti uicarius dici poßit. *Cap.* XXXV.

PHilippus Dei gratia rex Francorum, uniuerſis eccleſiæ Romanæ Cardinalibus, dilectis amicis ſuis, ſalutem & plenitudinem ſummi boni. Cùm papalis ſit dignitas orbis caput, orbis regimen, orbisque maieſtas, admirari compellimur, turbari compellimur, dolere cõpellimur & triſtari: quandoquidem uos, quos mundi cardines reputamus, quos totius firmamẽtum fidei reputamus, poſtquam beatiſſimus pater Gregorius uitam deſerens, de uita carnis uitam petijt ſanctiorem, in concordia uidemini tam diſcordes: quod tẽpore uigiliarum dormitis, & uigilabitis forſitan cum fuerit dormiendum. O' Petri ſedes quanto tempore uacauiſti? cuius ſucceſſor exoluens naturale debitum, Mauſoleo recludi minimè conſueuit, niſi ſucceſſore prçuio cõcorditer ſubſtituto. Ecce quidẽ nobilis urbs Romana, ſine capite uiuit,

Hæc epiſtola licet, magis cõtra Imperatorẽ ſcripta uideatur, quã pro eo: tamen cùm inueniretur inter alias, & inſignia quædã cõtra Romanæ curiæ Cardinales cõtineret, minimè eã omittendã duximus.

quæ caput extitit aliarum. Quare ? Certè propter diſcordiam Romanorum. Sed quid eos ad diſcordiam prouocauit? Auri cupiditas & ambitio dignitatum. Non enim quid expediat, conſiderant, ſed quod uolunt. Speciale commodum generali pręponunt, & minus debitè utilitatem præferunt honeſtati. Quomodo igitur regent alios, qui ſeipſos regere non nouerunt, qui inimicis proſunt, & amicos lædunt, & ſibi nihil peragunt ad profectum? Conſueuerat quidem olim Romana curia honeſtate fulgere, ſcientia, moribus & uirtute, nec fortunæ minis aliquatenus expergiſci: quia ſibi firmius in uirtute, quàm in caſu præſidium collocauit. Nunc uerò eos efferа conterunt, quos proſpera extulerunt. Et dici poteſt non CVRIA ſed cura, marcam deſiderans plus quàm Marcum: dum ſalmonem legens, deſpicit Salomonem. An Cęſaris tyrãnidem pertimeſcunt? Sed hominem timere non debet, cui Dominus eſt adiutor. Sũt.n.quidã principes tẽporales, quib.qđ libet licet qđ licet poſsũt, quod poſsũt audẽt, quod audẽt faciũt: alumnis moleſtũ uideri non debet, ſi fortitudinis clypeũ non contemnunt. eſt enim fortitudo conſiderata periculorum ſuſceptio, perpeſſioque laborum. Et quia eſt de fortitudine ſatis dictum,

ctum, nunc de prudentia ſubiungatur, quæ adeò utilis, immò neceſſaria eſt prælatis, quòd ſine illa, ſuæ dignitatis gloriam non merentur. Veruntamen præterire non libet, quòd prudentia eſt ad malum, quando qui honorem deſiderant, onus uitant: præeſſe deſyderant, præfectum negligunt ſubditorum, ſolicitudinem fugiunt & laborem, intendunt ſomno & libidini, & ludis & epulis delectantur. Tales utique paſtores, non paſtores, ſed lupi impijſſimi dici poſſunt: quorum perfidia, ſancta mater Eccleſia conculcatur, fides conteritur, ſpes ſubtrahitur, & charitas radicitùs extirpatur. Vos igitur qui columnæ remanſiſtis eccleſiaſticæ firmitatis, animaduerſione reſpicite diligenti, ſi alicuius gratia, odio uel timore poſtponenda facitis, uel poſtponitis facienda, nec pro tuenda eccleſiaſtica libertate, de Francorum ſubſidio dubitetis, quia regnum, perſonas & pecunias ueſtrę committimus poteſtati. Non enim timemus alicuius principis, ſiue odium dici oporteat, ſiue fraudem quem neſcimus, quo nomine appellemus, cũ rex eſſe poſtulet, & ſacerdos. Cæterùm cum ius, regnum in eandem perſonam cum ſacerdotio non concedat: relinquitur ut oſtendat quo iure percipiat ſacerdotij dignitatem. In uacua nõ uenit.

Dum uobis ineſt authoritas eligendi,uſucapere non potuit,quia tantum temporis nondum fluxit.Emptio ueſtra ceſſat, cum res ſacra ſit ab omni uenditione penitus aliena.Reſtat igitur ut quod ſuum fieri nequit occupet uiolenter.Cōſiderate itaque diligenter uos,ad quorum manus reſpicit totus mundus,quid ueſtræ prudentiæ ſit agendum,firmitatem diligite , ueritatem ſeruate,Deum timete,reſiſtentes uiriliter prauitati,cui nimis colla ſubmittitis, & ultra.ſed dicere nolumus , ne fortè uideamur arrŏganter ponere os cœlum.Quod ſi dignitas non facit hominem reuerendum ſi contagione ſordeſcit improborum,ſi nequitia prælati decidit in contemptũ,quid reſtat,niſi quod indigna eſt confuſio dignitatis?Ea propter loco Petri talem pontificem eligere procuretis, qui meritò Chriſti uicarius dici poſſit:paſtor bonus, & firmitatis Eccleſiæ conſeruator: cuius ſupereminens claritas,& doctrina Sole lucidior, populum alluminent Chriſtianum.
Nec magna ſit oratio inter uos, aut longũ conſilium,de prædicto: ſed ſpiritus Sancti gratia excitatus,exurgat leo dormiens de cubili,rugitu cuius mundi princeps contremiſcant.

De *admiranda pontificis* Romani *iniquitate contra Fridericum.* *Cap.* XXXVI.

AEmula regum & principum orbis terræ, ac conſortium impatiens, dudum in ſuperbiam ſeculorum liberaliter adducta Romana ſedes, propter illius, qui princeps eſſe dicitur ſacerdotum, in ſuum aduerſus nos præconceptum odium, ad uniuerſale ſcandalum ſic exarſit, adeò aduerſo eccleſiaſticæ religionis ordine, præter mandata legis, quorum lator & pater eſſe debuerat, quæ peruertit, dum ſe hoſtilibus rebus immiſcens, dubios bellorum euentus, cædes hominum, obſidiones urbium & uniuerſitatum procurat: & undique pericula populorum ſponſam Chriſti eccleſiam, matrem noſtram, cuius authoritate libitum pro licito ſequitur, è ſanctuario Dei ſuarum uindictam inimicitiarum exercens, reddit (proh dolor) mundo notabilem: ut ſub tam inconſtanti & uolubili rerum actore, qui præſidet, & nomine Eccleſiæ diuerſa uariat & confingit, experientia facti ſingulos edocente, non immeritò ab Eccleſia, pro eius præſide, ac patre, mendacij meticuloſa ſuſpicio cordib. hominum inſeratur. Quapropter deuotionem tuam contingentia non patimur ignorare. Nuper enim per quoſdam de maio

ribus fratribus ſuis,& religioſos alios uiros aſpirãtes ad quietum Eccleſiæ ſtatum, & pijs zelantes deſiderijs bonum pacis, adhibita eſt cura propenſior intuendi modum,& habẽdi tractatum. Per quem inter nos:pontificem & phariſæum iſtum,contra noſtri honorem nominis praua conſilia colligentem, ad certum tempus treugarum compoſitio fieret. infra quod per te,quem habemus in omni dilectione præcipuum,& alios principes orbis terræ, ad integræ pacis reformationem opportunitas commodior haberetur.Cumq; nos ijſdem uiris inuentoribus huius uiæ, prçter ſpem & creditũ,pro Eccleſię reuerẽtia con deſcendere dignaremur.Gregorius dictus papa petebat Lombardos rebelles noſtros & noſtri bannitos Imperii treugis ipſis debere muniri. Quib. excluſis treugas ipſas non poterat acceptare,ut euidentiorẽ daret omnibus intellectum,quod negocium rebellium Lombardorum fouit, & fouet in noſtrum odium manifeſtum. Illud gerens & reputans uelut ſuum,quanquã hactenus aliàs palliarat,quod non in fauorẽ ipſorum,ſed ob tranſgreſſiones noſtras alias,quas fingebat,cõtra nos ad excõmunicationis ſententiã proceſsiſſet. Quod intolerabile uiſũ eſt nobis, ut rebellib. noſtris diutino guerrarum diſcrimine fatigatis,&
in

in maiori parte depreſſis, treugas concede re deberemus. Ad quorum perſecutionem & uindictã, accincti, uexilla neceſſaria, & præpotentia caſtra noſtra, triũphaliter duximus educenda. Et licet nobis in cõfinio caſtrametatis Cãpaniç, ſuggereretur inſtã ter ad ingreſſum illius prouinciæ data plena fiducia de obtentu, ſuper quo doloris gladius ad iniuriatoris noſtri animam per tranſiret: nos tamẽ ad præſens ob honorẽ Dei, & reuerentiã beatorum Apoſtolorũ Petri & Pauli: quibus, utpote qui ſacrum Imperij diadema de ara b. Petri ſuſcepimus, eſſe uolumus nõ ingrati: ab ingreſſu & receptione ipſius terrç deſtitimus: expectãtes interim, ſi noſtrũ iniuriatorẽ omiſſa uexatio reuocet ab offenſis. Præterea nõ patimur te latere qualiter homo iſte dictus papa, in obſidione Ferrariæ ciuitatis Imperij, & Salinguerræ fidelis noſtri, Bononienſibus, Venetis, & alijs conuicinis noſtris rebellibus conuocatis, legatum ſuum cum Mediolanenſib. fecerit conuenire, ducẽ ibidem exercitus & rectorẽ: qui adeò cũ ſuis complicib. eundẽ Salinguerrã & Ferrariam, in exhæredatioem Imperij coarctauit, quòd à ſuis proditus, receptis tamen promiſsionibus & pactis, de indẽnitate perſonæ ſuæ, ac rerum ſuarum, & de ſalubri mora ſua in eadem ciuitate,

nec non per eundem legatum ducem Venetiarum, poteſtates, rectores, capitaneos exercitus, & generaliter per totum exercitum iuramento firmatis, nomine Eccleſiæ, iuramentum impendit: ac ſępe dictam ciuitatem aſſignauit Eccleſiæ ſpecialiter poſſidendam: commiſſa fide ſua fidei legati Eccleſiæ, quòd præſtita & iurata ſibi ſecuritas plenariè ſeruaretur. Sed poſt deditionem ciuitatis & ſuam, legatus idem eadem celebritate qua præſtiterat iuramenta, cum prædictis omnibus deierando, demolitis domibus & bonis eiuſdem Salingueriæ, ipſum ſimul duxere fide mentita Venetias captiuatũ. Ecce qualis inuenitur in legato fides? qualis de patre legati mentiendi prodat authoritas? ut fidem reputent, fidei iuramenta non ſeruare. O' quàm peſtiferum ab Eccleſiæ rectoribus emanat exemplum? quàm euidens omiſſa ueritate deceptio? ut regibus & principibus orbis, quibus propter impatientiam inuident, ſint præcipuè præcauendi, ne de facili ſe præbeant in manus eorundem, qui ſemper intercipere conantur incautos, & piũ reputant innocentiam condemnare. Nos autem, qui omnes & ſingulos eorum, tum ex uicinitate, tum ab experto, intus & in cute iam nouimus, taliter te per imaginẽ rerum ab eorum fallacijs cautũ uolumus obſer-

obſeruari, ut uobis intẽdamus præcauere: ſperantes in eo, qui reges, & regna conſtituit, quod iuſtè iniuriam propulſantes, uiolentiam nobis illatam, noſtrarum uiriũ conamine propellemus: & in gladio iuſticiæ, quem authore Domino baiulamus, ſacerdotum gladios, quibus abiecta ſtola, lũbos ſuos inhoneſtè præcingunt, iuſtius retundemus. Dignum inſuper duximus ad tuam noticiam perferendum, quod idẽ papa ſicuti eſt ſuis motibus præceps, & inconſtans in omnibus uijs ſuis, ſtrenuis uiris de Francia, cruce ſignatis, & pro uoti executione ad iter accinctis, prohibuit cenſura Eccleſiaſtica, ne tranſeant in præſenti: non attendens neceſſitatem Chriſtiani exercitus, in ultramarinis partibus commorantis: cui in emergentis caſus articulo, ne dum de cruce ſignatis, ſed de nouiter conſignandis deberet in auxilium ſubuenire. Vnde ab operibus eius, quæ ſuo teſtimonio profitetur autorem potes agnoſcere, quod duplicitas uiarum ſuarum ſcãdalum generet, & totius uniuerſitatis incommodum ſubminiſtret.

Sacerdotium conqueritur de fratribus Prædicatoribus Minoribus, eorumq; faſtum reprimi petit. Cap. XXXVII.

LAchrymabili querimonia cogimur explicare normam enormem in noſtrum

ſtrum contemptũ, & generale ſcandalum introductã: per quã augeri robur fidei dũ creditur, oritur error, & diſſenſionis materia propagatur. Nam fratres Prædicatores & Minores: qui poſt ſuarum religionũ exordia, cõtra nos odio & rancore cõcepto, uitam & conuerſationem noſtram reprobam prędicando multifariam deprauarũt, nos & iura noſtra minorauerũt in tantum, quòd ſimus iam ad nihilum redacti, & qui olim ratione officij dominabamur regib. principes ligabamus, increpationes faciebamus in populis, nũc ſimus in opprobriũ & deriſum: & celeberrima laus noſtra uerſa eſt in fabulã omni carni. Tacemus autẽ qualiter prædicti fratres, in alienã meſſem paulatim manum immittentes, clerũ ſingulis dignitatib. ſupplantarunt: & ſibi pœnitentias, & baptiſmata infirmantiũ, unctiones & cœmiteria uſurpãtes, in ſe omnẽ uim & authoritatẽ clericalis miniſterij aſtrinxerũt. Nũc aũt ut iura noſtra potẽtius eneruarent, & à nobis deuotionẽ præciderent ſingulorũ, duas nouas fraternitates creauerũt: ad quas ſic generaliter mares & fœminas receperunt, quod uix unus & una remanſit cuius nomen in altera non ſit ſcriptum. Vnde conuenientibus ſingulis in Eccleſijs eorundẽ, noſtros parochianos maximè dieb. ſolennibus, habere nõ poſſu

mus

mus ad diuina:imò,quod deterius eſt, nefas credunt,ſi ab alijs quã ab ipſis audiant uerbũ Dei.Propter quod factum eſt,ut debitis decimis & oblationibus priuati uiuere nõ poſſimus,niſi nos ad aliquod opus, uel ad artes mechanicas,ſiue ad quæſtus illicitos conuertamus.In nullo deinceps differt à laicis ordo noſter,& ab eorundẽ conditione diſcrepare natura in aliquo nõ uidetur:imò noſtra deterior eſt in multis,q̃a nec laici cum ſalute,nec clerici eſſe poſſumus cum honore. Quid ergo aliud ſupereſt,niſi ut Eccleſias noſtras cõditas ad Dei & ſanctorũ ſuorũ honorem,funditus diruamus:& in quibus nihil aliud cultus & ornatus remanſit,quàm tintinnabulũ & uetus imago fuligine ſuperinducta?Proh dolor,plura loca,quæ olim pro deuotione fidelium multis ſignis & miraculis coruſcabãt,priuatarũ perſonarũ ſuppellectilib.iacẽt plena,ſacrataq; altaria multo hactenus ornatu compoſita,uix uno nudo lintearmine,uel perforata ſindone ueſtiuntur:pauimẽta etiã multo ſtudio dudũ lota, & herbarũ,odorũ,& florũ ſuauitate cõpluta,nũc puluericata ſordeſcũt.Ipſi uerò p̃dicatores & minores,imò noſtri p̃lati potius & maiores,qui à domicilijs & tugurijs inceperũt, domos regias & palatia ſubnixa altis colũnis,& officinis diſtincta uarijs erexerunt:

quo-

quorum impenſę deberent in uſus pauperum erogari. Et qui prius in naſcentis eorū religionis exordio, depoſito faſtu, calcare mundi gloriá uidebantur, nunc faſtum reſumere, & amplecti uidentur gloriam quá calcarunt: & ſub paſſiui literatura, actiui retinendo naturam, ſibi legem uſurpant generis deponentis. Hi dum nihil habent omnia poſſident, & carentes diuitijs cūctis fiunt diuitibus ditiores: nosq; qui aliquid habere dicimur, mendicamus. Supplicamus itaque, maieſtatis ueſtræ pedibus obuoluti, quatenus ſuper huiꝰ morbi degraſſantis magnitudine prouidentes, medicinæ celeris remedio ſuccurratis: ne inter nos & fratres iam dictos, torrente odij ſuccreſcente, fides inde patiatur naufragium, unde ſuſcipere creditur incrementum.

Epiſtola Caroli primi regis Siciliæ, ordinata per Clementem papam IIII. ad Petrum regem Arragoniæ. Cap. XXXVIII.

SI ſanæ mentis conſideratione libraq; tuum appendiſſes cōſilium, profectò tuas rapidas manus more uiolenti prædonis ad regnū noſtra Siciliæ nō extēdiſſes, quod cum multis bellorum anguſtijs, & ſanguinis effuſione lotis ſtolis, in proprio noſtro ſanguine ab occupatione eripuimus, matre iubente & ſuadente Eccleſia: nulla

nulla honoris aut lucri affectione protra-
ctus,aliquatenus cõuertiſſes. At ueriſſimè
uidemus,quòd tuum eſt infatuatum con-
ſilium.Quia tuam rapacem dexteram au-
ſus fuiſti extendere,ut capta præda, captis
que ſpolijs exultares,non conſideraſti im
probiſſime hominum , matris Eccleſię in-
ſuperabilem excellentiam,quæ cunctis na
tionibus habet imperare, & cui totus or-
bis terrarum,& omnes obediunt natiões.
Hęc eſt quam terra,pontus ętheraq; colũt,
adorant,prædicant,& tenẽtur omnes qui
ſub Sole ſunt,reddere tributaria debita, &
præſtare obſequia capitib. inclinatis . Nõ
conſideraſti noſtrę Celſitudinis potentiá,
quę altitudinem collium ducit ad plana,
montium cacumina ducit ad infima,ſuper
borum elata cornua deſtruit , confundit,
praua in directa conuertit,& aſpera in uias
planas ducit. Quod,ne exempla à longè
petantur,conſidera ad quid Máfredi, prin
cipis Tarentini,filij Friderici,olim Roma
norum Imperatoris, deuenerit ingenioſa
potentia,dum in campo Beneuentano cõ
tra noſtrum exercitum bellaret .Vbi eſt e-
ius inſuperabilis dignitas? Vbi iocorum
& ſolatiorum amœna iucunditas? Vbi di-
uitiarum affluentium fœcunditas?Omnia
hæc cum ſuo regno, ducatu , & toto eius
dominio,una & media dies ſubijt & eie-
cit,

cit,dum in campo belligero contra noſtrá potentiam appareret. Animaduerte inſane, ad quid Conradini, quondam affinis tui, deuenit elata potentia, & quomodo innumerabilis eius exercitus,noſtra in acie concluſus. Et quamuis prędo comprehenſus in pręlijs,& recto iudicio mortis patibulum forſan meruiſſet, attamen crudeliſſimi ſpiculatoris gladio, paſſus fuerit ſuppliciu m diræ mortis. Omnia hęc debuerũt te terrere inſipiẽs. Sed dicis in corde tuo,nõ eſt Deus,corruptus es, & abominabilis factus es in gentib.dũ in talibus matrẽ offendis Eccleſiá,hoſtẽ te præparas cæteris Chriſtianis. Sputũ miſiſti in cœlum,ipſum in faciẽ tuam cadit. Omnis qui ſe ultra ſtaturam ſuam erigit, ſuperbo ſpiritu ad alta attendit,ſui ruiná attinget. Fatuũm namq; & ſtultũ eſſe cognoſcitur, aliquem contra maiorem,cui par eſſe non poteſt,contẽdere,& debilem inermẽ aſſurgere contra fortem.Nam ſua temeritas triſtem ſibi parit euentum.& ſemper eius uota ſuccesſibus carent. Quare tibi præcipiẽdo mandamus ut confeſtim lectis apicib. noſtris, de regno noſtro Siciliæ, cum tua gente ſic improperioſa diſcedas, & nunquá reuerſurus ab eo totaliter te abſentes. Alioqui noſtra uictricia contra te & gentẽ tuam (Deo dante) cuius res agitur, tam per mare

mare quam per terram ſic magnificè, ſic potenter arma dirigent, quòd de te & gente tua, & de proditoribus regni noſtri Siciliæ exterminium faciemus, quod ue erit illis, qui ad uaſa non poterunt habere recurſum, & qui ſe non poterint à potentia noſtri mirifici exercitus abſentare. Datum Miſenæ 15. Calend.

Reſponſio domini Petri regis Arragonum ſuprà præmiſſis. Caput XXXIX.

DE tua magna arrogantia ſuperba emanauit epiſtola, quæ in ſingulis ſuis partibus terribilis coruſcationis uiſa eſt ignes euomere, fulguris ſagittas emittere, & atroces minas ſermonibus eructare. Cuius quidem epiſtolæ intellecto & conſiderato tenore, de nullius ſtateræ iuſticiæ, eius manabant loquelæ, ſed omni humilitate uacuæ, procelloſas ampullas & minarum grandines ſpargebant. Sed conſiderare debebas, quòd neque leporinam imitamur naturam, quòd pertimeſcamus uerborum tuorum minas, frondibus arborum leuiores. Neque meticuloſarum ranarum mores perſequimur, quæ quouis ſono puſillo territæ fugiunt, ſe in ſecuras ſuorum ſtagnorum late-

latebras recipientes. Scito enim & non niſi experimento cognoſcere poteris, ſi noſtros pedes conuertimus in fugam, & ſi latebroſa receptacula repetemus. Hac autē occaſionis ſtrage terra madeſcet, hac uerò ſanguinis effuſione mare tingetur. Nam ipſius procella liquida tincta liquoris cruore perempta, corpora ad peregrina littora tranſportabit: tunc ſcies in quo Arragones offendentur, cum ſine ſtrage utriuſq; partis bella non poterint procedere. Sed ſperamus in Domino in quò totum noſtrum cogitatū, & anchoram noſtræ ſpei iactabimus, quod ſic manus noſtras docebit ad prælium, & digitos noſtros fortificabit, ad bellum, quod ingemiſcet & dolebit Gallica natio, de bellico exterminio gentis ſuę triſtis erit prouincia. & ſic Rachel lugebit de interfectione filiorum ſuorum, dum nō uidebit eos ſua ſublata uenerari. Inſons Appulus & Calaber ingemiſcent, & Latinus & Græcus in organum miſeræ lamentationis prorumpent. Tunc dicetur à ſingulis, Beatæ ſunt ſteriles, quæ non conceperunt, & beatæ ſunt mammæ quæ nullū filium lactauerunt. Inflatus etiam tenor epiſtolę tuæ pręfatæ, oſtendit regis Manfredi, quondam ſoceri noſtri, nobilem potentiam in acie concluſam: ac regis Conradini, affinis noſtri, floridam adoleſcētiam

ſpicu-

ſpiculatoris gladio ac iniuſto iudicio peremptam, non ſine elatione tui ſpiritus te iactare. Sed conſiderare debes ò impie, quod unde credis tibi acquirere gloriam, inde tibi infamiæ nomen aſſurgit, & periculum reſeruatur. Sanguis enim ipſorum uociferatur ſuper terram, & iuſtæ lachrymæ, miſerandæ matris regis Conradini aſcendentes ad æthera cœli, iam pulſauerunt tribunal, & effuſæ in cōſpectū iuſti iudicis & Regis æterni iam meruerunt exauditionem attingere. Sed tu uerum regem iuuenem, adoleſcentem, agnum ſine macula, iura ſui regni recuperare uolentem, tua falſa & feroci ſententia turpiter occidiſti. Credis tā facinoroſum ſcelus ſine pœna tranſire, & peccatū tranſire ſic enorme? ò nefas, quantum tuus furor à rectitudinis tramite deuiauit. O ſcelus nefandum, quis unquā princeps captum principem trucidauit? Nonne ille magnificus Alexāder, captum Porum regem Indorum in bello non occidit, ſed potius conſeruauit? Et ne exempla à longè petantur: nonne tu, & magnificus rex Francorū, frater tuus, capti à Saracenorum Soldano, implorantes miſericordiam, fuiſtis conſecuti miſericordiam? Tu uerò Nerone Neronior, & Saracenis crudelior, innocētem agnum in tuo incluſum carcere, mortis

ſubiecisti iudicio. Propter quod deſtruet te Deus, quia tá nefaria præſumpſiſti, peruertendo regum & ducum clementiam, in ueritatis contrarium, & parcendi genus in ſeueram ultionis atrocitaté impiè peruertendo. Viri enim ſanguinum & doloſi ſuos dies dimidiare non poterunt: nec regna diu ſtabunt quæ clementia non confirmat. Conſidera, conſidera proterue, quantas afflictiones miſeris regnicolis intuliſti. Quia, non ſolum non eras contentus, ipſos uidebitis actionibus & oneribus grauare: ſed uarias uias & occaſiones, tinctas colore mendacij inuenire conatus es: per quas ipſos pro rebus reos faceres, & tanquam à Barbaris aurum ſubtiliter extorqueres: & quos puræ fidei tenebat integritas, ipſos mendaciorum infamia denigrabas, ut eos ſubſtantijs ſpoliares, & indifferenter, omnes proditorum infamia maculabas, ut eorum ſubſtantiam tu inſatiabilis uſurarius uſurpares: & demum ipſis inſontibus, diræ ſupplicium mortis infligebas. Vnum tamen Deo nefandum cunctiſque nationibus odioſum, abhorrenda Gallica natione non abſque Dei iudicio fuit commiſſum, quod tua praua gens Gallica lectum miſerorum regnicolarum, non ſine magna & grauis eorum iniuria uiolabat. Et

cum

eum pro iudicandis eorum iniurijs, & puniendis huiuſmodi ſceleris patratoribus attentabant recurrere, aditus negabantur eiſdem. Tu uerò tanquam ſurdus & obaudiens, non intelligere neces calamitoſorum clamantiam ſimulabas, & ſic audacia ſceleris indultis creſcebat, pullulabat undique licentia tam nefandi ſceleris patratorum. Hæc & alia innumerabilia ſcelera, de ſummo cardine Deus ultionũ aſpiciens, tuum, ut ueraciter credimus, dominium diſsipabit, tuamque ſuperbam potentiam deponet de ſede, noſtramque humilitatẽ dignabitur exaltare. Nam De⁹ ut iuſtas iras ultore plectit gladio, neque uirgam ſuper ſortem iuſtorum diu ſtare permittit, ne extendant iuſti ad impios manus ſuas. Cur ergo impie, tanquam tuba exaltas uocem tuam? nonne deſinis ab ira, nonne deſinis? ſed ſemper in tua ſuperbia malignaris? iam enim nomen regis non habes cum regnum amiſeris: hoc tibi accidit nutu diuini flaminis corda Siculorum tangentis, nec cognoſcis improbe caſum tuũ. Iam tua cadit ſuperbia. Nam Deus reſiſtit ſuperbis, frangens ſuperborum elata cornua, reſpiciens humilitatẽ humiliũ, iuſtã namq; cauſſam fouemus, namq; hęreditaria iura regni Siciliȩ ducatus Apuliȩ, & Capuȩ principat⁹, ſe

renifsimæ dominæ uxoris noſtræ, filiæ regis Manfredi, amitæ regis Conradi proſequimur. Ad cuius proſecutionem, nobis iam Deus uias proſperas præparabit, per quas te, Deo, cunctisq; nationibus odioſum euellamus & penitùs contundamus, & non poteris cõtra nos tuo exercitu proſperare. Nos enim contra te ſic hoſtiliter, ſic potenter cum noſtris uictricibus inſignijs ueniemus, quod te & prolem tuam de facie terræ delebimus, & Leoné qui pullos Aquilę interficiens deplumabat, ſic noſtri draconis interficiemus morſibus toxicatis, quod de eo non erit amplius mentio ſuper terram. Tunc ſcies & ſenties quid Arragonũ dextera poſsit, & quid tibi profuerit regum interitus & effuſio ſanguinis innocentum, ſceleſte.

Datæ Palernæ, Cal. etc.

FINIS LIBRI *primi.*

CAPI-

CAPITA LIBRI SECVNDI EPISTOLARUM *Petri de Vineis.*

DE *bellico conflictu* Mediolanenſi, *& captione currus ac* Poteſtatis *eorundem. Cap.* . I.
Regi *Franciæ, & alijs regibus et nobilibus, ſuper obſidione ciuitatis* Viterbienſis. *Cap.* II.
Petrus de Vineis *principibus* Alamaniæ, *ſuper captione currus* Mediolanēſis *miſsi ad urbem. Cap.* III.
Ezelino, ſuper deditione ciuitatis Fauentiæ. *Cap.* IIII.
Principibus & uniuerſis fidelibus ſuis, quomodo fuit debellatus ante Parmam. *Cap.* V.
Petrus de Vineis, *cuidam amico ſuo ſignificat de continentia exercitus* Imperatoris. *Cap.* VI.
Petrus de Vineis, *ſuper deditione* Imperatori *cuiuſdā ciuitatis. Cap.* VII.
Senatori & populo Romano, *inferendo eis graues iniurias. Cap.* VIII.
Cuidam Comiti, ut paret ſe ad procedēdum cum ipſo contra inimicos. Cap. IX.
Regibus et principibus, de proditoribus ſuis, & Perusinorum *conflictu. Cap.* X.
Militibus ſuis, ut de ſtipendijs non miſsis non murmurent, promittendo eis prouidere magnificè. Caput XI.
Ezelino, de Saracenis redeuntibus ad mandata. Caput XII.

Piſanis ut procedant uiriliter contra Lucanos. Caput XIII.
Tyburtinis, confortans eos ut firmi ſint in fide, promittendo eis multa bona. Cap. XIIII.
Comitibus & nobilibus Marchiæ, ut parent ſe ad procedendum armata manu contra rebelles. Caput XV.
Mediolanenſibus, ut ceſſent ab hoſtili impugnatione. Caput XVI.
Cuidam principi, de promiſsione expenſarum, narrando facta. Cap. XVII.
Regi Caphedino, qui Mahometum adorat. Caput XVIII.
Reſponſiua ad præcedentem. Cap. XIX.
Alfonſo primogenito regis Caſtellæ, dilecto nepoti ſuo, de captione prædictorum. Cap. XX.
Fulginatibus, animans eos in fide, mandans eis ut contra rebelles procedant cum Capitaneo. Cap. XXI.
Cuidam nobili, ut reducat ad fidem uillam regimini ſuo cōmiſſam, quæ à fide deuiauerat. Cap. XXII.
Capitaneo ſuo in Thuſcia, ut ſtudioſè procedat. ſuper eiſdem. Cap. XXIII.
Cuidam Capitaneo ſuo, quòd habito triumpho de latronib. reuocabit eum ad ſe. Cap. XXIIII.
Ezelino, ſcribens ei quòd proſperè uiuit, & fatigatus laboribus requieſcit in regno. Cap. XXV.
Cremonenſibus confortans eos in fide, & aſſerit ſe citò iturum ad partes illas, in exterminium rebellium. Cap. XXVI.
Eiſdem, narrans ſuos euentus. Cap. XXVII.
Cuidam

Cuidam nobili, ut perſeueret in operibus quæ incepit. Cap. XXVIII.
Capitaneo regni, ut præcipiat portare * fodrum, ad exercitum. Cap. XXIX.
Ezelino de captione cuiuſdam ciuitatis. Cap. XXX.
Iuſticiario regni, ſuper exactione pecuniæ. Caput XXXI.
Communi ciuitatis, ut ſubueniant ei in aliquo, ad ſolutionem debitorum. Cap. XXXII.
Capitaneo Marchiæ, confortans eum, dicens, quòd intendit eum reuocare, quàm citò habebit uictoriam in commiſſo ſibi officio. Cap. XXXIII.
Bononienſib. quòd non eleuent ſe in ſuperbiam, propter uictoriam habitam de filio ſuo, & quòd incontinenti liberent. Cap. XXXIIII.
Fridericus ſignificans domino papæ & Cardinalibus uictoriam habitam de Mediolanenſibus. Caput XXXV.
Magiſtris portulanis, de armatura facienda cõtra Ianuenſes & Piratas. Cap. XXXVI.
Capuanis de captione Vercellarum, & celeri deditione Parmæ. Cap. XXXVII.
Magiſtro iuſticiario & hominibus Terræ laborum, de exercitu ſuo, & exigenda collecta. Caput XXXVIII.
Magiſtro iuſticiario, ſuper exactione collectæ, narrando qualiter ſcribit ſuper hoc fidelibus ſuis. Caput XXXIX.
Fidelibus ſuis, de uictoria habita per filios ſuos in Lombardia & Thuſcia. Cap. XL.

*Fodrum dictio Germanica, idem denotat quod pabulum.

Officialibus ſuis, quomodo expugnatus fuit ante Parmam, & ut non credant ſigillo priori & bullæ. Cap. XLI.
Fidelibus ſuis, de uictoria habita contra Parmenſes, poſt expugnationem ſuam. Cap. XLII.
Fidelibus ſuis, ſuper deditione ſancti Germani. Caput XLIII.
Fidelibus ſuis, de uictoria habita contra uolentes iuuare Parmenſes, & de exactione pecuniæ. Caput XLIIII.
Manfredus ſignificat quibuſdam Baronib. uictoriam habitam contra legatum & exercitum papalem. Cap. XLV.
Manfredus eidem, & ſuper eiſdem, & ſignificat de morte Iohannis proditoris regis. Cap. XLVI.
Fridericus cuidam nobili ſignificat, ſe iturum in Italiā ad confuſionem rebellium, propter quod mandat eum equis & armis paratum eſſe. Cap. XLVII.
Significat cuidā nobili fideli ſuo, proſperos rumores de exercitu ſuo. Cap. XLVIII.
Capitaneo regni Siciliæ, quomodo intendebat ire Lugdunum ad præſentiam domini papæ. Cap. XLIX.
Fidelibus ſuis, de bello habito inter ipſum & Medialanenſes. Cap. L.
Regi Sardiniæ, narrans ei triumphum ſuum. Cap. LI.
Significat cuidem nobili de regno ſuos proceſſus proſperos & felices. Cap. LII.
Comes Simon obſeſſus in caſtro Viterbij, conſiliarijs comitis Caſertani pro ſubſidio ſuo. Cap. LIII.
Item comiti Caſertano, ſuper eiſdem. Cap. LIIII.

Tineoſus

Tineoſus miles Viterbiẽſis Imperatori, ſuper eiſdem, & quod celeriter ueniat. Cap. LV.
Vniuerſi de caſtro Viterbij, Domino Imperatori, ſuper eiſdem. Cap. LVI.
Capitaneus mandat exercitum congregari, iuxta mandatum Imperatoris ſibi factum. Cap LVII.
Vicarius reſpondet Imperatori, de prædicta congregatione exercitus, & petit pecuniam pro ſtipendiarijs, qui equos & arma obligauerunt, propter defectum ſtipendiorum. Cap. LVIII.
Item ſuper eodem, uel quaſi. Cap. LIX.

EPISTOLARVM PETRI DE VINEIS, Liber ſecundus.

DE BELLO ET CONFLICTV *Mediolanenſi & captione currus ac Poteſtatis eorundem.*

Cap. I.

EXultet iam Romani Imperij culmen, & pro tanti uictoria principis, mundus gaudeat uniuerſus. Erubeſcat illicita Lombardorum ſocietas, confundatur rebellis inſania, & pro tantæ ſtragis exitio, inimici populi contremiſcant. Pro omnibus tamen infelix Mediolanenſis ingemiſcat, & doleat, & amarè prorumpat in lachrymas, de tantis occiſorum cateruis militum & ciuium captiuorum, & à modò mundi obedire uel ſubeſſe domino, aſſueſcat. Verùm qualiter hoſtilis ſanguinis flumina, Cæſareos tinxerunt gladios, qualiter inimicos cunctos Imperatoris potẽtia expugnauerit, audiatis. Poſtquam mirabilis machina montis clari mœnia cum trabuccis & inſtructionibus alijs tormentauit: & poſtquam irreparabile Brixienſis regionis incendium multos terruit: Mediolanenſibus, Placentinis, & eorum fautoribus, qui ad Brixianorum auxiliũ uenerãt: Cæſar

Cæſar procedebat ferociter cum ſuo exercitu obuiare. Cum uerò ad pontis Lolij ue- *alia exēplaria habent Verij. niret prædia: idem Imperator magnanimus caſtrametatus eſt iuxta prædia inimici, ita quòd utriuſq; partis poſitionem exercitus, quædam aqua minima diuidebat: ubi multiplicatis uiribus Cæſareę maieſtatis, ad miſcenda prębia erat auidus Imperator. Sed cum rebelles inimicos uoluit aggredi, hoſtis puſillanimis, pugnę formidans diſcrimina, in ſtagnis circũiacentib. ſe concluſit, cuius obſtante munimine, penitùs ordine belli nõ poterat inſiliri. Tandem prudentia principis uſa cõſilio ſaniori, ibi dimiſsis hoſtib. in Cremonæ pontibus, cum ueloci curſu Lolium pertrãſiuit. Sic quod per huiuſmodi fluminis marginem, ultra decem milia ſui exercitus ſecum trahens, in ponte Brixiæ ſigna direxit uictricia, ut hoſtium regreſſum præueniens eos inuaderet tranſeuntes, ſtatimque per ſeptem acies diuiſo exercitu, inimicos, qui iam tranſiuerant, Lolium in prædijs Pergami pugna, quam parauerat acriter inſiliuit. Et ita Imperatoris militia ſe præparauit ad prælium expeditè, tanquam leones, quos fames extimulat, ad ſtabula curſitantes armentorum: nec ulterius mora protracta, die uigeſimoſeptimo menſis Nouembris anno 1237. unde-

undecima Indictione utriuſque partis cunei præcurſores per Curtis nouę campos alternis curſibus impetuosè feriētes, hinc inde conſortibus manibus, inuicem clangore tubarum milites animantes, bellum terribile inceperunt: & ſubſequentibus turmis undique commixtis, alterutrum cum hincinde foret diu dureq; certatum, tandem Mediolanenſis militia Cæſaris uiribus fortiter interrupta, & uſque ad ſuorum caſtrorum hoſpitia impulſa uiriliter, incepit quaſi curſu ruinę multiplici iam labare (nam multifariæ cędis pernicie Imperialis exercitus ignobile uulgus flagellando perurgens campum ſanguineum pręcipiti populo tumulabat) Sed quis poſſet illius diei narrare pericula? quis ualeret hoſtium aceruos cadauerum ſcribere? quis captiuorum multitudinem numerare? Tandem enim Deus iuſtus iudex iura reſpexit Imperij, & ad tanti caſus interitum, ſubitò deiecit ſuperbiam rebellium Lombardorum, quod ipſo die triſte Mediolanū cum ſuis fautoribus florem militię populique, Carocium cum Poteſtate uiliſsimè amiſerunt, & hoſtibus, quotquot uoluit, quiſq; de noſtris occidit, & quot uoluit, captiuauit. Tandem relictis armis tentorijs & curribus, ferri mortem irreparabilem populus fugiebat: ita quod maior eorū pars in

in fluminibus ſe ſubmerſit. Tunc Cęſar prę omnibus ſuis militibus, ſuę uirtutis potentiam eſt expertus. Ipſe enim inimicorum cuneos, manu propria feriebat. Tũc Theutonici ſuos gladios rubricarunt: tunc felices fidelesque regni milites collaterales principis mirabiliter pugnauerunt. Tunc miranda Papię militia ſe de Mediolanenſibus militibus uindicauit, & fidelis Cremona cum ſuis ciuitatibus, ſecures ſanguine ſaturauit, & ſuas euacuauerunt pharetras Saraceni. Nunquam enim in aliquo bello ſic fuerunt cadauera cumulata, & niſi nox feſtinè ueniſſet, quę hoſtium ſubtraxit reliquias, nullus eorum de manibus Cęſaris euaſiſſet. Sed mira res quod in tam belli conflictu terribili, Imperialis exercitus extitit ſine damno. Sic itaque deuictis hoſtibus & fugatis cum triumpho Cremonam uenit inclytus Imperator: inde reformatum Carocium Mediolanenſe cum Poteſtate filio ducis Venetiarum, alijſq; captiuis Cremonã accelerans, conſequenti die ad mandatum Cęſaris, ſui uexilli pertica uſque ad terrę faciem turpiter inclinata, Poteſtate ad dedecus ligato ſuperius, & multitudinem gẽtium magnis applauſib. prętereunte, ab elephante qui caſtellum ligneum, & tubicinas cum uexillis Imperij gerebat in dorſo, per Cremonã ad laudem

&

& gloriam principis trahebatur. Verè de throno Dei ſentētia prodijt inferens iudicium ultionis: nam nec occiſis ſufficiūt ſepulturæ, nec Cremonæ palatia multitudinem capiunt captiuorum. Quapropter Imperialis uictorię feſtum, ſolenni gaudio fideles celebrandes populi, de tanti trophæi preconijs ingenti læticia gaudeatis.

Regi Franciæ, & alijs regibus & nobilibus, ſuper obſidione ciuitatis Viterbij. Cap. II.

SVbminiſtrante nobis nouorum emergentium uarietate materiam, tam noua quàm uetera ſcribere cogimur, ut ad nos plena noticia noſtrorum euentuum, ex certa ſcientia perferatur. Obſidentibus nobis ſiquidem Viterbienſem ciuitatem, & ad expugnationem eiuſdem, pro infinita multitudine machinis præparatis, ex aduerſo prouiſa eſt ſummæ ſubtilitatis & induſtriæ uia, quæ propoſitum noſtrum à cœptis auerteret: & iuſtum animi noſtri motum, quem tam inopinatæ perfidiæ contra nos, & Imperiū noſtrum perpetratæ commouerat præter omnem ſpem noſtram & eorum meritum, ne ad uindictam nobilis ira procederet, deliniret, ac inter omnes Eccleſiæ Romanæ Cardinales pręcipuus amicus noſter ad talia mitteretur,

Otho

Otho uidelicet, ſancti Nicolai in carcere Tulliani diaconus, Cardinalis, qui ſuæ fidei puritate diffidentiam noſtram, ex præteritis non iniuſtè conceptam, ab intimo noſtri cordis euellens, & interceſsionis amicæ dulcedine noſtræ mẽtis duriciem emoliret. Cui nullo modo ex fide poſſemus promiſſa decredere, nec ex affectione preces quantumcunq; grauiſsimas obaudire. Supplicauit itaque iſte charus amicus noſter, homo bonus & purus, ex parte patris & fratrum, ut ab obſidione Viterbij recedentes, impugnationes ciuitatis eiuſdem, remotis inſultibus noſtris & dirutis machinis laxaremus: quam magiſter Raynerius de Vitrio, Cardinalis, ille, inquam, famoſus amicus noſter ſtipendiarijs undiq; & baliſtarijs congregatis, quib. (ut facilius hominum ſanguinem & uitam effunderem) obſeſſus interius defendebat: adhibitis adminiſterium defenſorum obſequioſis manipulis, fratribus Minoribus, & Prędicatoribus ſuis: qui manib. proprijs tanquam ex pharetris ſagittas mortiferas educentes, iaculatoribus remiſsionem quorumlibet peccatorum, quò ſecurius atque libentius noſtros occiderent, miniſtrabant. Nos autem Eccleſiæ matris noſtræ preces conſueta iam exauditione deuotè ſuſcepimus, quas tantus pater

decredere id eſt, diffidere.

pater & tam familiaris amicus noſter, ut diximus affectuoſiſsimè porrigebat miras & ineffabiles nobis pro parte ſummi pontificis & cardinaliũ omnium generaliter & ſpecialiter ex conſummatione pacis inter & Eccleſiã gratias promittens: expreſsim adijciens & ex ſtipulatione nobiſcum contracta ſolenniter repromittẽs, quòd Simonem comitẽ Theatinũ, & alios milites noſtros Theutonicos, necnon & Latinos, Viterbienſes omnes, quos in caſtro Viterbij, pro fide noſtra pugnãtes, religioſa perfidia tenebat incluſos, cũ omni ſalute corporũ & indemnitate rerum, nobis reſtituere, deberet: & quod Viterbienſib. prædictis in ciuitate morantib. & ad nos exire uolentib. ſeu etiã alijs ciuib. ciuitatis eiuſdẽ, quæ cæterorũ ſuorũ ciuiũ cõmunicare perfidię recuſantes, ad nos pridẽ exiuerãt, nulla prorſus in perſonis aut reb. iniuria, ſeu moleſtia inferretur. Nũc audite qualiter omnia ſuprà dicta, ſunt nobis ex fœdere promiſſo ſeruata. In primis tã comes, quàm Theutonici ſuprà dicti milites, & alij de regno Siciliȩ rebus ipſorũ omnib. uiolenta prędonũ Romanorũ & Viterbieñ. manu in prædã direptis uis potuerunt uiui de caſtri ſeptis iaculãtiũ & lapidãtiũ manibus ipſo Card. Othone prȩſente nec cõtra dicere uolẽte, deduci: quinetiã ipſe Cardinalis præfatus uulne-

uulneratorum ipſorum noſtrorum ſangui ne maculatus, proximum ſibi imminere propriæ uitę periculum formidabat. Viter bienſes uerò noſtri fideles bonis ſuis omnibus ſpoliati curribus ipſorum & domibus funditùs dirutis, & igne ſuccenſis, nõ ſunt ad nos contra fidem promiſſam, exire permiſsi: ſed carcerali, proh dolor, cuſtodię mancipati. Romani uerò poſtea, quibus ad defenſionem Viterbij, nobis & Imperio nefaria Viterbienſi proditione ſubtra-ƈti, uenientibus, tãquam ad liberationem ſepulchri Dominici nauigantibus, fuerat indulta remiſſio peccatorum, poſtquam nos ab obſidione Viterbij ſupplicantis Eccleſiæ precibus potius, quàm Romanorũ terrore deuiƈti deceſsimus, aliqua ex debi libus caſtris noſtrorum fidelium, quæ circa Viterbium tenebant, ad alicuius, ſeu ali quorum inſtantiam, quorum adhuc tacemus nomina, ſimulato quodam rigore iurium, poſt diſſolutum noſtrum exercitum nobis ab eo longè morantibus, combuſſe runt. Sed nec per hoc eſt nota Romanorũ puſillanimitatis abſterſa: nec Quiritum pudor in aliquo coloratus, quòd auſi fuerunt mappalia quędam noſtrorum fideliũ igne comburere, & ruſticos quoſdam im belles, pauperes, ſuppelleƈtilibus ſpoliare, nobis ab eis dietam ferè diſtantibus. Non

ſic fuerũt hoc anno magnanimi cum nos maiori militum, ſed minori peditum quãtitate urbem præ foribus cingebamus: niſi fortè ex indulta remiſſione peccaminũ, tanquam de paradyſo ſecuri, ſe uellent audaciores exponere, & mortis indubitatæ ſe offerre periculis promptiores. Hęc ſunt quæ nobis nouiter & enormiter contigerunt, horum tamen omnium nullum apud uos diffamamus authorem: enormitatem commiſſi facinoris nobis ad præſens perferre ſufficiat, quam etiam per magiſtrum Othonem cardinalem præfatum, cuius eſt præter omnem culpam ſuam, temerè uiolata promiſſio, tá domino papę quàm fratribus ſuis duximus humiliter & ſuppliciter denotandum: probabiliter expectantes, quòd ſi ſibi cõmiſſa per ſuos offenſa diſpliceat, offenſores correctiõis debitę iudicio premat, & nos repromiſſo per eum beneficio gratiæ placabit offenſos.

Petrus de Vineis principibus Almanniæ, ſuper captione currus Mediolanenſis, miſſi ad urbem. Cap. III.

QVia ueſtræ nitor conſcientiæ poſtulat, & affectus integerrimę fidei repræſentat, ut de proſperis auſpiciis Romani principis, domini Friderici, poſſitis rela

tione

tione ueridica nouellari ea quæ ſub eius notis aquilis hisdiebus in Italia effulſere, euidenti oſtendimus ueritate. Verùm cùm Imperialis maieſtas ſui diadematis iura ꝑquireret, & Imperij ſui uectigalia uendicaret, Lombardorum, pręcipuè Mediolanéſ. nefanda temeritas & audacia deteſtáda, unà cum ſuis cōfœderatoribus auſi ſunt uertere faciē contra Solem: filij Belial ſecretaſibi proditionis cōfingūt, diſcipulos ſibi cōgerunt, non tamē congregata conſeruant. Egrediētes ut mures ridiculi de cauernis, moliūtur inſidias ponere in leonē, inebriati ſunt ſanguine, ab ubertate domus uenerūt ebrij: nō tamen adipe ſunt pinguiū ſaturati. Et dū caſtrametati ſunt iuxta Lolium perditionis filij, ut ratiōis ſegetē perderēt, Zizanię quę à uulgo loliū dicitur, ſemina ſeminarūt. O' quāta erat multitudo militū quāta numeroſitas & uniuerſitas bellatorū? ibi ſuperbia pulſauit tympanum, uoluptas tuba cōcinit, reſonat cythara, plaudit lyra: & ſic uoluptatis ager cū pudendi decoris inſignib. pullulauit. Sed dū gloriatur in currib. & in equis, pars electi principis ex aduerſo incepit in nomine domini gloriari. Sed qa facilè eſt Deo cœli, multos in paucos concludere, princeps fortitudinis d. Frid. diuiſis à ſe, quos habebat in expeditiōe, cōmunitatib. Lōbardię, qa ipſe Salo

mon pacificus, hæres pacis, quod ſuum erat pacificè exigebat, & cum nõ ſit uir ſanguinum, non parauerat eos ſanguine calicis exhaurire: ſed quia Leuiathan filij execrantur contumaciter uerbum Dei, noluerunt acquieſcere, ſed inualeſcebant eorum uoces, & uociferando dicebant, Perſequamur eos, qa ſpolia partiemur. Sicq; dominus, cui de cœlo uictoriæ miniſtrantur, aſſumpſit ſecum ſcutum belli, & gladium, & itineris ſui comitem angelum Domini exercituũ habens ſecum, loricam induit, ſicut gigas: & prælium inijt ſecum habens regni milites, & paucos Theutonicos, & quoſdam Lombardos, quos in expeditione ducis militiæ contigerat remanſiſſe: ac dum uiri fortes & cum forti Principe intrarẽt bellum, exclamauerũt tubis, & audita eſt uox tonitrui, & ſtuporis, Euge euge ad Mediolanum impiger aduola Friderice. Quo audito, Mediolanẽſis proteruitas ſtatim fuit perterrita: compagniæ proijciunt ſymbola, ſumunt arma: & dum à trementi cuiuslibet dextera retineri uix poterat gladius, quilibet mutus in ſuo pectore tacitos uertit quæſtus: Heu heu animæ noſtræ: qd ſic torques nos acriter atrox, & immiſericorditer immiſericors Friderice? Et clamor ad ſydera, uæ uæ tibi miſera Lõbardia. Quid plura? mactatur ſenex, puer diri-

Cõpagnia. i. ſocietas, militia.

diripitur, iuuenis ut uitulus immolatur, campi madeſcunt ſanguine,ac interfectorum exuberant ubertate.quàm malè ſigna iacent,quàm bene ſternitur hoſtis? Certè Friderici gladius cædem ſitiens haurit ſanguinem,uorat carnem:& dum incautè rebellis extollitur,eius cautè cõtumacia profligatur,& ſic princeps audaciæ ſęuiens in Lombardos ſubuertit rotas curruum , & inebriatus eſt gladius ſanguine occiſorũ. Quia dum rebellis turba deprimitur,alios mors deglutit per gladium, & innumeros catenæ acerbitas ſtringit & religat iuxta collum. Currus equidem Mediolanenſis,currus gloriæ,miſerabiliter capitur, & unà cum filio ducis Venetiarum,Mediolanenſis Poteſtas turpiter captiuatur. qui cũ eſſet ſtipatus multo milite,fluctuare uiſus eſt,poſtmodum nuda crate, quem habuit princeps uictoriæ ad laudis titulum,quando illum ad almæ urbis populum deſtinauit. Nunc uerò rebelles nequiſſimi, olim gaudentes,quomodo mutauerunt eorum gloriam in ſimilitudinem uituli manducantis fœnum & paleam:& qui nutriebantur in croceis ima perluſtrant carcerum, & amplectentes ſtercora,expectant ſentẽtiam damnatorum. Nunc autem Mediolanenſes rebelles,ſuper omnes gentes Liguriæ nota perfuſi infamiæ,& ruboris ſtig

mate perpetuo inſigniti, groſſas quidem ceruices pedibus applicant,& ſe ſuosque dentes muros diruunt,foſſas replēt: & ad conſequēdam miſericordiam,& ad pietatis inuentionem omnimodam elaborant. Sed quia nullus ſemel ore receptus patitur ſanguis mãſueſcere fauces,Imperator magnanimus eorum ſtragem magis geſtiēs, quàm ſalutē, ſolum pudorem reputat bello non uincere : quin potius uiam ruinæ contradicentibus aperire,& ut nullus reſiſtendi ſumat audaciam,truculenter reproborum ſatagit ad uindictā. Quocirca uos qui eſtis fide præditi,præclari mēte,natione nobiles.uirtutibus locupletes, ita cum omnium reuerentia tam uictorioſi principis celebretis magnificentiam,formideris potentiam,magnificetis honorem:ut per exhibitionem bonorū operum,grata mereamini conſequi beneficia præmiorum.

Ezelino,ſuper deditione ciuitatis Fauentiæ.
Caput IIII.

LIcet præ ſuis diffiſa meritis,ex conſcientia grauium quas in nos commiſerat offenſarum,diſtulerat hactenus mandatis noſtris fauiſſe Fauentia, noſtræ tamen obſidionis uirib.auſa eſt aliquandiu reſtitiſſe propter hyemis intemperiem,quæ ſuam diffidentiā cōfouebat,nūc aūt uerni tē

poris

poris adueniẽti tẽperie, quo ciuitatis eiuſdẽ muris & machinis dirutis, & foſsis noſtris ſubterraneis intima penetrantibus ciuitatis, ut bellum tam interius, quàm exterius gereretur, & ciues ipſos oporteret corpora pro muris exponere, qui aggreſſorum noſtrorum inſultibus expetebantur, quo minus gladijs bellatorum, & à uictorioſo exercitu noſtro nullatenus confiderent ſe tueri. Quapropter ad implorandam noſtræ manſuetudinis gratiam, uelut qui uicinum etiam incumbens extermi nium formidabant, tota ſe uniuerſitas illa conuertit: ut quibus expugnatio proxima mortis periculũ minabatur, uitę minus in dulgẽtia noſtra tribueret, & miſericordia q̃ ſuperexaltata iudicio poſcebatur, ut manifeſtis eorũ exceſſib. locũ ueniæ repararet. Ad clamores igitur & imploratiões populi noſtri, quẽ quidẽ uocata rebellio ſi factis ęquitas reſpõderet, ad exauditionẽ indignè reciperet, inuictũ à uictorijs omniũ animum clementia noſtra uicit, & cum uictis miſericorditer agere nos induxit, die tali uenientibus ad pedes noſtræ clementiæ Fauentinis, & ad noſtrum beneplacitum & mandatum in noſtra miſericordia bona ſubiicientibus, & perſonas, fidelitatis debitæ præſtitis iuramentis, & illicitis quibuslibet quæ fecerant

abiuratis,eos ad dominium noſtrũ & gratiam benignè recepimus,omnibus eorum offenſis noſtram miſericordiam præponẽtes.cum glorioſæ uindictæ genus penſemus ignoſcere noxijs, dũ potuerimus uindicaſſe,ac felicibus uictoriæ noſtræ titulis aſcribamus ſaluti reſtituere ſubditos,& uiuendi beneficio condemnatos : ut nil ſuauius uel iuſtius atq; benignius reſumpto iugo Imperij de cætero ualeant experiri.nec eſt enim amicum cædis ,nec ad effuſionem ſanguinis ſacrum aſpirat Imperium : ſed cuius illuſtrat diuina potentia ſolium,miſericordia & ueritas ambiunt, pax & iuſticia complectuntur , in ubertate manſuetudinis noſtræ,& patulis amplexibus pietatis immenſæ procedimus, conuerſionem fidelium acceptantes,& ad rebellium pertinaciam edomandam conſtanter & pertinaciter inſiſtentes : ut qui potentiæ noſtræ manus ſequi uoluerint, &in pertinacia perdurarint,per murorũ altitudinem,&uallorum profunditatem,ad inſtantiam noſtram euadere nõ confidát. Nec diffidant qui facilè conuertuntur apud auguſtæ ſedis gloriam,miſericorditer gratiam inuenire . Tu uerò,quem intimè zelus fidei noſtræ,facit laboris & oneris non expertem,quæ pro noſtrorum rebellium confuſione,& iuſticiæ ac recuperande

randæ pacis augmento nobiſcum pondus diei & æſtus, in multis ſumptibus & periculis perſonæ comportas conuerſionem, Fauentiæ ad uniuerſale gaudium intimamus, qui per indefeſſas uires & uirtutis tuę conſtantiam nobis uictoriæ titulũ uindicaſti.

Principibus & uniuerſis fidelibus ſuis, quomodo fuit debellatus ante Parmam. Cap. V.

NE fama præambula ſub incerto diſcurrens animum ueſtrum contrario euentu, relatione contraria ualeat pertubare, facti ueritatem per ordinem præſentium ſerie duximus declarandam. Cum enim poſt captum & deſtructum põtem per Mantuanos & Ferrarienſes infideles noſtros, per noſtros apud Pergamum, cum multo labore ac ſtudio fabricatum, ijdem Mantuani & Ferrarienſes infideles noſtri, per alueum Padi cum multitudine nauium diſcurrentes, Parmenſibus proditoribus noſtris, quos, impedito eis per prędictum pontem nauali ſubſidio, iam ferè adiectione non modica rerum neceſſariarum indigentia cohartarat: uictualia & alia neceſſaria copioſius, miniſtrarent: Conſiderato, quod niſi reparato & benè munito ponte, uiam per Padum omnibus modis nauibus clauderemus, ne in obſidiõe Parmę moram inutiliter traheremus, pon

tem in quadam ſtrictura Padi, captis prius ſuper Padum per Rauennates & Mutinē-ſes fideles noſtros, circiter centum hoſtiū noſtrorum nauibus, unà cū omnib. armis, uictualibus, & omnibus contentis in eis, non ſine magnis laboribus & expenſis fecimus fabricari. Ponte quoq; ipſo, foſſatis, & propugnaculis, ac ſtrenuis defenſionib. omnibusque neceſſarijs ſic munito, quòd nullo poterat hoſtium ingenio, uel uirib. occupari: Parmenſes uidētes, per completum pontem optimeq; munitum, per quē ſubtrahebatur eis naualis ſubſidij copia (in qua diffidebant) maximè ſpe omni adempta, quadam die tāquam de uita deſperati, in animorum rabiem incidentes, elegerunt uel per pugnā ſuccūbere, uel fauente eis proſperiori fortuna de noſtris manibus liberari. Ad inſtantiā quorundā Parmēſiū, qui nobiſcum Victorię in ſpecie fideliū proditoriè morabātur. De Parma. n. die tali N. tam milites, quàm populares cōmuniter exeūtes Victoriā, per inſultū circa horā tertiā, locū ipſum fuerunt aggreſſi, & antequam nobis ac fidelibus noſtris huiuſmodi proditionis ignaris, daretur ad arma ſpaciū redeundi, totum locū ipſum, globi ignei undiq; occuparunt, quibuſdā rebus & uectigalib. noſtris datis in manib. hoſtium in direptionem & prędam. In perſona uerò

noſtra

noſtra per gratiá redẽptoris noſtri, cũ multis fidelib. noſtris ſalui euaſimus, quibuſdã pauperib. & leuibus perſonis, quas fugæ præſidium ſaluare non potuit, in captione deductis, & per manus hoſtiũ trucidatis.

Petrus de Vineis, cuidam amico ſuo ſignificat de continentia exercitus Imperatoris. Cap. VI.

SCimus, & experti ſumus, quod barbara terra uos teneat: quæ nedum ardua, ſed & deſperata negocia nobis inculcat. Sed nobilium uirtus in aſpera neceſsitate perficitur, & fortitudo nauis in pelagi fluctibus approbatur. Vnum eſſe nos conueniet, nec emolliri delitijs, nec euentuũ uarietate turbari. Citò tamen omnia quę de nobis ſunt, finem habebunt. Citò ſummi principes noſtri, qui miſsilium iaculorum hactenus remota ſagittatione pugnabant, ac uinctis luctabantur brachijs, incõglutinatis pacis labijs, unientur. Diſſoluto nanq; conuentu Rete, Tybur, tenditur, ut Roma uicinius uideatur. Iam uerba pacis, non ſicut hactenus, infeſtis auribus audiũtur: concordię uiam, quam omnium huc uſq; uoluntas obſcœna præcluſerat, ſuper uenientium hoſtium neceſſitas iam requirit. In tractatu uerò, pacis uobis abſentia noſtra non oberit, quam ueſtrorũ præſentia plenè ſupplebit.

Rete oppidũ prope Romam, ubi cõuentus inter Fridericum & papã habitus Collenutius.

Petrus de Vineis, ſuper deditione cuiuſdam ciuitatis ſcribit Imperatori.

Cap. VII.

GAudium quod ſuper omne gaudiũ maximum reputaui, quod meritò dici poteſt gaudium gaudiorum, ex deditione ciuitatis, in qua repugnãdi ſola ſpes aduerſantibus remanſerat, cum illud nondum per ueſtros ut ſperabam primus acceperim: ſed per alios qui Maieſtatis ueſtræ literas recipere meruerunt. Cum quadam interiectione uerecundiæ, meis quodammodo uotis acceſſit, quia tantæ dulcedinis fore credidi primus acceptor, ut fierem fidelibus alijs iſtarum partium diſpẽſator, defeciſſem forſan eius eſurie, niſi eã ab alijs qui me in ipſius acceptione præuenerant percepiſſem. Et forſitan factum eſt, ut intemperantia gratulandi, quam habiturus eram de tantorum felicitate ſucceſſuum, ex parcitate huiuſmodi traheretur in modum, ne iucunditate tantæ gratulationis accenſus, paruitatem uirtutis meæ, quæ ad tanta minus fortè, tripudia ſuffeciſſet, magnitudinis ſuæ uiribus aſcriberet. Magiſterium quidem laudo, ſed propter hoc uerecundiam non depono, cum tãtò fierem in prima huius acceptione dulcedinis, & in aliorum erogatione felicior,

quantò

quantò beatius eſſe dare, quàm accipere, ipſo diuinioris oraculo proclametur. Non tamen eſt uerecundia iſta ſic efficax, ut uel gaudium meum in aliqua parte diminuatur, uel pudere me faciat, quo minꝰ ab omnib. de ſucceſſibus, materię tam iucundæ narrantibus, ueluti puer unus, qui ad noua quælibet diuertit auditum, à narrantium ore dependulus, audiam, & quoquo modo rei ſeriem citra terminum ſatietatis agnoſcam. Non pudet me de materia iſta cantantibus intereſſe iuuenculis, cum iam ſolatia iſta per omnium ora decurrant, per omnium geſta ſe perferant, & mihi iam non aliter quam per famam publicam innoteſcant. Vndecunque autem iſta uotis meis obueniũt, habeo ego quod uolui, habeo qđ credidi, habeo quod dilexi, & cum legitimus factus ſim tam deſiderate poſſeſſionis poſſeſſor, inciuile reputo, mouere de titulo quæſtionem. Sed de tanta uictoria factus auditor, ſecurè iam peto, ut cum cauſa quæ in regno hucuſq; ueſtræ Serenitatis impediuit aduentũ, diuina gratia proſperante iam ceſſet, ad recreanda corda ueſtrorum fidelium, iſtarum partium Serenitatis ueſtræ faciem, quam uniuerſa terra deſiderat, felicibus auſpicijs conuertatis.

Sena-

Senatoribus & populo Romano, inferendo graues minas. Cap. VIII.

PRęteritæ culpæ ueſtræ conuitium, quod ſub patientiæ hactenus regularitate deduximus, factionū ueſtrarum faciente proteruia, cum tolerantia pati ulterius non ualemus: ſed in hoc motus noſtros reſtringimus, & audacię refrenamus inſtinctum, ne poſſet ultio culpam excedere, & à quo trames iuris oritur, iniuſticiæ limites deuiarent. Quanquam enim Serenitati noſtræ, quam diuina potentia ſeruare non ceſſat, ſubiaceat omne qđ uolumus: noſtræ tamen uoluntatis Imperium de rationis fonte colligimus, & de uirtutū puteo temperamus. Dudum etenim ſi ſub teſta nucleus non celatur, dum uictrix aquila noſtri proceſſus præuia, in Romanis prędijs uictricia ſigna pandebat: dum caſtrorū ſtabilitate micantium, angulos ueſtrę perfidiæ tingebamus: dū noſtræ uictoriæ gladius qui uinci neſciuit, per uicinitatis inſtantiam nobis hactenus cuſpide minabatur: dum noſtræ potentiæ fremitu terror & ſtrepitus, ſic greſſus ueſtros præcluſerat ſic puſillanimitatis affatus oppreſſerat, ſicut in experientiæ libro legere potuiſtis, quod cordis cogitatio palpitabat intrinſecus, ne dum quod in modum audaciç imò inſipiétiæ (ut loquela ſit proprior) Cæſaream

am incitaretis uictoriam, ad ultionis meſtæ funera: ſicut improuidè nouiter attemptaſtis. non attendentes, quod, licet noſtra non ſit ubiq; corporalis præſentia, noſtræ tamen ad longinquos orbis terminos laxãtur habenæ, potati de calice Babylonis. Nam poſſe ueſtrum contra noſtram potentiam, non poſſe putari feciſtis: in partibus Tyburtinis oua rumpentes aſpidum, ex quibus iam prodijt regulus, telas araneas texuiſtis. Cùm itaq; omnis ſubita rerũ mutatio, non ſine quodam quaſi cõflictu proueniat animorum, iniquæ temeritatis euẽtibus, potentiæ noſtræ propoſito mutante iudicium, ueſtra diſſoluetur Babylon. Damaſcus deficiet, ſufflatorium conſumetur in igne. Sedes ab Aquilone poſita corruet, & lumbare ueſtrum circa lumbos appoſitum, computreſcere faciet noſtræ Serenitatis induſtria: quam diuinus intuitus non deſinit illuſtrare. Et quæ liuorem cuiuslibet tenebroſitatis obducit, cuique ſe ferè totus orbis inclinat, faciente diuina clementia, per locum à genere urbem ſibi ſentiet emolliri, ut à quo Romanum Imperium meruit nominari, uerè nobis Roma ſubiaceat, quibus terra ſeruit, mare fauet, & ad nutum omnia deſiderata ſuccedunt.

Cui-

Cuidam comiti, ut paret ſe ad procedendum cum ipſo contra inimicos. Cap. IX.

PLenam dant nobis præterita fiduciá de futuris, ut, ſicut te hactenus ex fide præcipuum, & induſtria ſpecialem ſemper inuenimus, ad beneplacita noſtra paratũ, ſic natiua tuæ deuotionis excreſcente cõſtantia, quæcunq; noſtrum & Imperij honorem reſpiciunt, fideliter & ſollicitè prõptis affectibus exequaris. Cùm igitur præſentium negociorum & temporum qualitas exigat, fideles quoslibet in noſtris ſeruitijs multò uirilius ſolito uires & animos exercere: deuotionem tuam requirimus, & hortamur, attentè mandantes, quatenus ſi unquam te dudum obſequioſum nobis & utilem præbuiſti, fructuoſiorem de cætero ex operæ te præſentes, ut fide tua per fructuum efficaciam ſuccreſcente, erga te munificentiæ noſtræ dexteram liberalius extendamus. Inter alias ſiquidé cogitationes noſtri propoſiti, ſtabili tenacitate firmauimus, ad partes in manu forti & brachio extenſo perſonaliter nos conferre: ut fidelium noſtrorum qui pro fidei noſtræ nomine, & felici ſtatu Imperij perſonarum pericula & rerum diſpendia non uitarunt, amplis præmiorum retributionibus compéſemus, & effrenem ſuperbiá noſtro-

noſtrorum rebellium, qui nūc de abſentia noſtra forſitan gloriantur, potentiæ noſtræ malleo conteramus. Nuper etiam ad roborandas in melius uires noſtras Caloiohannes illuſtris Imperator Græcorum, dilectus gener noſter, magnam nobis quantitatem Archeriorum & gentis alterius deſtinauit. Cum quibus & alijs Magnificentiæ noſtræ præſidijs, quę præparauimus inſtanter, ſic ad confuſionem noſtrorum rebellium proponimus uictoriosè procedere, quòd potentiæ uicinitate perterriti, uix adijciant ut reſurgant.

Regibus & principibus, de proditoribus ſuis & Peruſinorum conflictu. Cap. X.

NE fama præambula, quæ multorum uariata relatibus, dum uarias inuenit nouiter uoluntates interdum enormiter à ueritate diſcedit, auditum ueſtrū forſan offenderet, amicorum corda turbaret, animos & aures hoſtium demulceret: ecce quòd ipſam puram & nudam ueritatem eorum, quæ nobis nouiter contigerunt ueſtræ dilectioni, præſentibus ſeriatim & breuiter denotamus. Conſpirantib. itaq; in necem noſtram aliquibus Excellentiæ noſtræ fidelibus, quinimo domeſticis potius & alumnis, uidelicet Tybaldo Franciſco. Pādulfo de Faſanella, Guilhelmo de

ſancto Seuerino, & eorum complicibus: nobisque per aliquos ex coniuratoribus factionis ipſorum coniuratione nefaria reuelata, ex ipſorum manibus uitá noſtram innoxiam Dominus mirabiliter reſeruauit. Sed cum nos tantum ſcelus ſicut immeritum, ſic incredibile, primitùs haberemus, priuſquam ad ulteriorem ueritatis indaginem noſtra Serenitas perueniret, ſubitò Pandulfus de Faſanella, Iácobus de Morra excogitatæ malitiæ principes, quos læſa conſcientia ſtimulabat, unà cũ alijs ſocijs & principibus perpetrandi facinoris, in Curia noſtra præſentibus, ſe perfugæ ſubſidium abſentarunt. Tybaldus uerò & Guilhelmus prædicti, morantes in regno, & ibidem mortis noſtræ nuncium tãquam indubitabilem expectantes, ex inſperato contrarium audientes, metu terribili, uelut de cœlo fulminis ictu percuſsi, ad duo ex caſtris noſtris, Capuacium uidelicet & Scalam, ſub fidelium habitu, furtiuè ſubrepto, proditori confugerunt. Vbi priuſquam ſe poſſent rerum & hominum defenſione munire, fuerunt prompta fide regnicolarum præoccupati fidelium & collectis undique uiribus circumſepti. Nos etiam apud Groſſetum tunc temporis exiſtentes, poſtquam perſonæ noſtræ periculum

cautè

cautè præuidimus, in hæreditario regno noſtro Siciliæ, uelut in pupillam oculorum noſtrorum offendi nullatenus patientes, continuatis laboribus & diebus, in regnum cum omnium celeritate præuidimus procedendum. Poſt felicem autem ingreſſum in regnum noſtræ Maieſtatis, quàm plures fideles noſtri regnicolæ, qui ad proditorum noſtrorum falſæ ſuggeſtionis inſtantiam, per mentitæ mortis noſtræ ſpem friuolam, conſpirationis factionibus adhæſerunt, poſtquam rem incontrarium ſibi ceſsiſſe uidentibus, ueritatis lumen emicuit: proditores eoſdem tanquam ipſorum uolentes communicare uerſutijs, cuiuslibet ſpei fruſtratos imaginem reliquerunt. Et cum non niſi in duobus prædictis caſtris tantum Scalæ uidelicet & Capuacij ſe temerè prout ſcripſimus receptaſſent, unum ex caſtris ipſius Scalæ uidelicet Thomaſio de ſancto Seuerino & filio eius proditoribus noſtris, ibidem noſtri carceris cuſtodiæ mancipatis, fidelium noſtrorum regni prompta deuotio, per uirilem & inſtantem expugnationem ipſius, ad Maieſtatis noſtræ dominium reuocauit. Et ſic reliquo tantum ex caſtris ipſo Capuacio ſcilicet, adultionis eiuſdem proximè diffuſo, diffugio, quòd

circumcingi noſtrorum fidelium clara deuotione mandauimus, proditores prædicti, quibus nulla proſpicimus ſuffragatiua remedia, uelut ex duobus prædictis caſtris cum alia munire nequiuerunt, uno & fortiori perdito, manus noſtras effugere non ualebunt. Et ſic tã iuſto iudicio quàm ueloci, de proditoribus nominatis & eorũ ſequacibus ultione recepta, ſic in breui confidimus de perpetua regni noſtri ſecuritate diſponere, ut nobis & ſucceſſoribus noſtris in regno, uel extra regnum agentibus, nulla prorſus in poſterum dubitatio relinquatur. Non tamen propterea circa perſecutioné noſtrorum rebellium omiſſum fore credatis noſtrũ propoſitum, uel aliquatenus intermiſſum: quin per dilectos filios noſtros Henricum illuſtrem regem Sardiniæ, in Italiæ partibus generalem legatum, & Fridericum de Antiochia, Thuſciæ partibus præſidentem, quouſq; nos regni noſtri ſtatum, cum ſalubritate diſpoſitum, perſonaliter accedamus, deputauerimus Italiam gubernandam, ut ſic proditorum noſtrorum & rebellium reliquias in aduentu noſtro continuatæ potentiæ noſtræ malleo conteramus: quòd potentiam noſtram, quam ſicut pro certo comperimus, occultis & longis inſidijs procurarunt offendere, fructuoſam ſibi fore non

ſentiant:

ſentiant: quin potius de noſtra præſenti potentia doleant, quanquam in abſentia glorientur. utpote cum nihil ex ijs quæ nô uiter emerſerunt Magnificentiæ noſtrę decreuerit, & in nullo propterea ſit noſtrum ærarium diminutum. Sed tantò magis eſt adaucta noſtra potentia uiribus, tantò factæ ſunt diuitiæ largiores, quantò propter enormitatem excogitati facinoris, quæ poſt pacis guſtatę dulcedinem guerrarum excidia minabatur, circa nos & noſtrorum fidelium popularium maximè eſt accenſa denotio fidesque firmata. Ex adiectione quoque redditum, de quibus proditorũ noſtrorũ iniquitas eos propter offenſam ſpontè deſtituit, & quibus eoſdem liberalitas noſtra longè lateque ditauerat, obuentionum noſtrarum adauctus eſt cumulus. quanquam iſtud acciderit nobis renitentibus & inuitis. Ex quo poteſt manifeſtiſſimè comprehendi, quòd magna quærendorum & larga promiſsio, per publicum aduerſarium noſtrum facta, proditoribus antedictis ipſos ad dimittenda quæſita, licet innaniter, prouocauit. Cuius aduerſarij nomen & titulum libentiſsimè taceremus, niſi quòd uox publica detegit, & euidentia factorum accuſat: quam nos taciturnitate noſtra uellemus obtegere, ſeu uerborum in uolucris excuſare. Præfati

namque facinoris patratores, tam fugitiui uidelicet quàm obſeſsi, fratrum Minorum ſtipati cōſortio, crucis ab eis contra nos ſigno recepto, authoritate ſummi pontificis per Apoſtolicas literas prętendentes, negocium ſe gerere ſacro ſanctæ Romanę eccleſiæ matris prædicāt, & prædictæ mortis & exhæreditationis noſtræ ſummū pontificē aſſerūt authorē. Hoc ipſum captiui prętati, quos in expugnatiōe caſtri Scalę noſtrorū deuotio prompta fidelium, carceri mancipauit, in re ſpontanea & extrema confeſſione ſua, quam mentiri nefarium æſtimant morientes, coram omnibus, proh pudor, ſunt confeſsi. Barenſis etiam archiepiſcopus, cum poſt uenalem conſecrationem ſuam, cornutus, à Curia Romana rediret, priuſquam à noſtris fidelibus, in Thuſcia caperetur, futurū infallibiliter publicè prædicauit: quod nos infrà breue tempus per familiares noſtros atque domeſticos occidi morte turpiſsima deberemus. Hoc nos, teſte ſupremo iudice, cum uerecundia loquimur, uelut qui nunquam diebus noſtris, ſcelus huiuſmodi uidere credidimus, nec audire, quòd gens noſtra & pontifices noſtri tam crudeli morti tradere nos nequiter uoluiſſent. Abſit enim à nobis ſemper, huc uſque nouit altiſsimus, abominatio talis, quòd etiam poſt

uolun-

uoluntarium & iniquum papæ proceſſum, contra nos in Lugdunenſi Concilio celebratum, in necem ſuam, uel alicuius ex fratribus conſentire uellemus, quanquam nos fuerimus per nonnullos noſtræ fidei zelatores multotiens requiſiti: ſed ſola ſemper extitimus iniuriarum noſtrarum propulſatione contenti, nos iuſtè defendere, non ulciſci, ſufficienter reputantes: pugnat enim pro uobis euidentiſsimè Dominus, qui nedum, quòd animam noſtram de manibus inimicorum noſtrorum eripiat, quinimò nocentium uires & corpora tradidit in noſtras. Nuper enim Cardinale Raynerio, noſtri nominis & honoris ęmulo, inſtigante Iacobo de Morra, proditore noſtro, cũ Perusinis & alijs eis aſsiſtẽtibus rebellib. noſtris prope caſtrũ Spolli, ultima die proxima pręſentis menſis Martij, ad damnificationem noſtrorũ fidelium procedẽte, Marinus de Ebulo fidelis noſter, in ducatu Spoletano uicarius generalis, quorundã Theutonicorum, qui ſic inſtanter haberi poterant, munitus auxilijs, in uirtute noſtri nominis, & Excellentiæ noſtræ necnon felici fortuna, hoſtes noſtros uiriliter ac potenter aggrediens, fide potiùs quàm multitudine præditus armatorum, deuicit eoſdem: ita, quòd præter eos qui

fidelium noſtrorum gladijs ſunt perempti, ultra decem millia de rebellibus ipſis, per fideles noſtros captos, carcer noſter includit. Nec tamen his terminis, noſtram & ueſtram claudi læticiam, proſperæ fortunæ felicitas, & noſtræ iuſticiæ debitum permiſerunt. Octauo namque decimo die præſentis menſis Aprilis, ciuitas Capuacij, cuius uerſus terram munitio circum cingebatur, celeriter & uiriliter extitit expugnata per fideles noſtros regnicolas, ad infidelium necem: ob uindicandam non magis noſtram, quàm ipſorũ natiuæ regionis iniuriam, & gentis opprobrium rabie quadam furoris accenſos. Quod factum eſt, ut ſic proſperè, ſic undique noſtra potentia pertingat obſeſſos, quin potius carceratos detineat, ut ſola ſe ualeāt ſpontanea gladij morte ſubducere, uel excelſæ rupis ex parte maritimæ precipitio liberare. Quæ uobis ſignificamus ad gaudium, quos probabiliter credimus, imò ſcimus, nobis in noſtris aduerſitatibus, cõpati, & in proſperitatibus ſucceſſuũ congaudere.

Militibus ſuis, ut de ſtipēdijs non miſſis, ne murmurent. promittendo prouidere eis magnificè. Cap. XI.

Etſi ſtipendiorum defectus, quem patiuos hactenus in ſeruitijs noſtris oportuit, grauis nobis extiterit & infeſtus, graui-

grauitatem eius ſi diligenter aduertitis, cauſa duplex alleuiat. Prima quidem quòd nobis, & familiæ noſtræ neceſſariorum ſuffragijs, hactenus more ſolito, non porrectis, dum reddit malicia temporis nos ſubditis ſuper hoc quodammodo non impari neceſsitate conſimiles, paſsibilem uobis facere debuit egeſtatem. Secundò, quod dum laborum & neceſsitatum inſtantia, de qua uobis (Deo teſte) compatimur, debita conſideratione penſatur, ad ueſtrum cuiuslibet commoda, noſtræ liberalitatis dexteram, huiuſmodi gratitudo ſeruitij, quaſi nos per debitum obligauit. Æquanimiter igitur defectus præteritos, & ſi quem uobis forſan in antea imminere contigerit, ſuſtinere ſub certa muneris retributione uos uolumus: & cum negocijs noſtris iſtarum partium, quæ habemus præ manibus celeriter & ſalubriter ordinatis, ad partes ipſas feliciter & infallibiliter greſſus noſtros dirigere diſponamus: & ſic ueſtris neceſsitatibus, tam de ſtipēdijs, quàm de alijs beneficijs prouideri magnificè faciemus, quod uos in noſtris ſeruitijs perſtitiſſe meritò delectabit.

Ezelino de Saracenis redeuntibus ad mandata.
Cap. XII.

QValiter poſt obtentā nuper de proditorum noſtrorum inſanię nefanda uictoriam, fortuna celebris nouiter noſtris proceſsibus, quos diuina ſemper Clementia comitatur arriſerit, tuæ fidelitatis auditui præſenti ſtylo lætifico nunciamus. Licet enim ex diuerſis cauſsis & caſibus, quibus pectori noſtro continuè materia cogitationis infunditur, proditorum ipſorum deprimenda nequitia, quaſi cauſſa præcipua ſpecialiter hactenus meditationibus noſtris occurreret, & ſtatum noſtrum in regno Siciliæ neceſſariò retineret: refragabatur huic tamen alia ratio non minus euidens, Saracenorum uidelicet edomanda proteruitas, qui ſicut à nobis fidei diſparitate ſunt impares ſic deuotionis integritate diuerſi. Temerariè dudum Siciliæ montana conſcenderunt, & ibidem quantum poterant, licet parum potuerint noſtræ Maieſtatis Imperio repugnarunt. Sed ut aduerſa nobis quęlibet in directa dirigantur, & aſpera in uias planas, Saracenos præfatos tanquā timore noſtræ potentiæ perterritos, ne fortunę Cęſareę uolētes ulterius, quin potiùs non ualētes obſiſtere, nuperrimè noris deſcendiſſe ſolam benignitatis auguſtæ miſericordiam

cordiam implorantes. Ex quo te cæteróſque fideles noſtros ſpes pulchra cõfoueat, ut cum nihil nobis poſt terga remaneat, quod cauſam in poſterũ dubietatis adducat, & quęlibet ſint impedimenta ſublata, quæ noſtrum hucuq; propoſitum retardabát, ad noſtrorum rebelliũ reliquias finaliter conterendas, tãquam liberiores ad gratiam, potẽter exercere gladiũ intendamus.

Piſanis, ut procedant uiriliter contra Lucanos.

Cap. XIII.

FVrioſam ſuperbiam, & ſuperbã furiam Lucanorum, qua ſuccẽſi frementes, ſe contra Deum & Romanum imperium erexerunt ſuperfluum eſſet per ſingula literis recenſere, quã iam latius diuulgatam uos credimus non latere. ſed nos quoſdã exceſſus eorum uolumus ſub ſilẽtio præterire, ut Celſitudinis noſtræ zelare honorem, & abominari uerius iniquitatẽ ipſorũ, ad noſtram & Imperij uindicãdam iniuriam, & illorũ inſolentiã edomandã expurgatis uiriliter & potenter. Cũ enim ijdẽ Lucani ad occcupandã terrã Imperij nequiter inhiarẽt, plures eos monuimus in ſpiritu lenitatis, ne tantã nobis irrogare molirentur iniuriam & iacturam. Sed illi monitis noſtris blandis ſuperbè contemptis nequitatem quam conceperant parientes, prædictã terrã hoſtiliter inuaſerũt, in ea multa enormia com-

committentes. Vnde, ne tantam iniuriam noxię negligere uideremur, materialẽ gladium exercuimus in eoſdẽ ipſos, tanquam inimicos Imperij proſcribendo: mãdantes ipſos proſcriptos ab omnib. euitari, & ſperantes quòd percuſsi dolerẽt, & attriti noſtram miſericordiã implorarẽt. At illi malleũ uelut ſtipulã reputãtes, ad percutientẽ malleũ uoluere reuerti: ſed indomabili cor de timentes, exceſſus exceſsib. cumularũt, pro uerbis pœnitẽtiæ uerbis ſuperbię blaſphemãdo. Quia uerò illorũ ſuperbia ſemper aſcendit, donec eam exurgens iuſticia iudicio præueniat, & ſubuertat, ut contritione duplici conterantur Synceritatem ueſtram rogamus attentè, quatenus eoſdẽ Lucanos ſeueritate debita percellẽtes, eis in terra faciatis commertia noſtrorũ fidelium interdici, aliasque procedatis acriter cõtra ipſos ſicut meliꝰ uideritis expedire.

Tyburtinis, confortãs eos ut ſint firmi in fide, promittendo eis bona multa. Cap. XIIII.

QVanta ſit fidei ueſtrę ſynceritas, quã erga nos & Imperium prompta mẽtis alacritate prætẽditis, aliena cuiuſpiam uerborum argumẽta non quærimus: cum effectus operis, dicto præponderans, corã nobis experimenta dilucidet, & conſciẽtię noſtrę profeſsio teſtium quãtalibet depo-
ſitione

ſitiōe ſolénior interpellet. Scimus etenim, imò iam iudice facto probauimus, qualiter Tyburtinę deuotionis integritas paratam continuè ſe noſtris obſequijs reuerenter exhibuit, & in fidei noſtrę cōſtantia deuotionem puritatis oſtendit. Scimus etiã, quod fidei ueſtræ perfectio dãnoſis hoſtiũ impulſa conatibus, & continuam ſentiens ex uicinitate offenſam, uel potiùs ex offenſiōis uicinitate iacturã, in eo ſemper eſt in noſtris ſeruitijs probata feruentior, quò lęſionem pertulit hactenus grauiorẽ. Ad cōpaſsiōis itaq; noſtra pręcordia, imò ad recompenſationis examen libenter admitti mus uniuerſitatis ueſtræ grauamina, qui tam hilariter noſtra mãdata ſeruanda ſuſcipitis, tam deuotè pro debita noſtrorũ ſeruitiorum executione portatis. De quibus, & alijs ueſtræ fidelitatis obſequijs quanquã, ut diximus, noſtra Magnificentia certa foret, ex tenore tamen literarum ueſtrarũ, & relatibus etiam nunciorũ, quos nuper ad noſtram pręſentiã deſtinaſtis, pleniori nobis exinde facta fide: ſic ſuper hoc ſuo loco & tempore, prout honori noſtro cōuenit, & fidei ueſtrę requirit integritas, beneuolè curabimus prouidere, quo in fidei noſtrę conſtantia meritò gaudeatis perſtitiſſe. Cęterùm ut ueſtrę deuotionis auditus, quos noſtrę felicitatis auidos fore confidimus,

ex

ex noſtrorum proſperitate ſucceſſuum recreentur. adijcimus: quod in negocijs, prout per alias literas nobis ſubſcripſimus, ſalubriter ordinatis, in Thuſciam feliciter & uictoriosè peruenimus, ubi diuina fauēte Clementia, plenè gaudentes in corpore beneficio ſoſpitatis proſperè regnamus & uiuimus, ac ſingula nobis ad uota ſuccedūt: ibiq; moram modicā trahere diſponimus, partes ipſas in proximo felicibus auſpicijs ꝓceſſuri. Vos igitur ad ſeruitia noſtra, more ſolito, uigiles exiſtētes, ſic ad omnia quę honorem noſtrum reſpiciūt, tenaciter uigiletis, quòd ſperantes in noſtrę liberalitatis & promiſsionis munificentia, ad proſecutionem ſeruitiorum noſtrorum liberaliter intēdatis: ut fidei ueſtrę conſtantiā extollere dignis laudib. & labores ueſtros amplis recompenſare præmijs meritò ualeamus.

Comitibus, & nobilibus Marchiæ, ut parent ſe ad procedendū armata manu contra rebelles. Cap. XV.

QVod cauſæ noſtrę iuſticiā diſpēſatio ſuprema reſpiciat, poteſtis euidentium argumentorū experimēto colligere: dū quàm plures ex hoſtib. noſtris qui diutius omnimodo nō abſq; materialis gladij uibratione decertāt, multi ex ijs, ut culpas proprias pœnaliter deleāt in laquei noſtri capturas miſeras miſerabiliter incidūt. Et nonnulli, quos ęmulorū interdū ſuggeſtio perni-

pernicioſa ſubuertit, pleniùs æſtimantes miſericordiam quęrere, quàm expectare iudicium, ad ſinum noſtræ potētiæ ſpōtanei reuertūtur. Scitis etenim qualiter hactenus aliqui Marchiani ad falſas ſuggeſtiōes Capitaneorū & aliorū pſeudoprophetarum euangelizantiū uerbū guerrę à fidei noſtrę geſtib. imprudēter errauerūt: & tā diu paſſi ſunt, ſe huius erroris obumbratiōe deduci quouſq; ſuperſtitiōes & uitia ſeductorū, quę diutius latere nō poterāt, euidēter cognoſcere potuerūt. Nuper autē fortunę noſtrę proprietas (quę ſolet nobis placidiùs arridere, dū prouocat, & per ſequētia ſigna placere gratatur, etiā cum ingratitudinis uitio qd' ꝑmiſit.) quātūlibet uiſa ſit hactenus tergū nobis aliqñ uertere, faciē tñ hilarē iucūdamq; monſtrauit, dū maior pars Marchię ſcilicet & pręcipua ciuitas uelut anteſignaria. Proſiliēs & exurgēs ſuggeſtorū detectis fraudib. & uia cognita ueritatis, ad fidei noſtræ cultū nouiter redierunt. Et ut erroris ꝓteriti uitiū uirtutis placita cōuerſiōe redimerēt, ad fidelitatis ſemitā redire uolētes, uigili & tumultuoſo cōflictu facto cū hoſtibus in ſignū reprobatæ pfidię fidei ſuę conſtantiā experiri multos de meliorib. ciuitatib. & alijs rebellib. & cū eis generalē iudicē Marchiæ, aliosq; famoſos uiros noſtri carceris excidijs aggregarūt. Ex quo fiducia nobis certa ꝓmittitur, ꝗ tota prouincia

ſubſequenter ad fidem noſtri culminis reducetur. Si tamen partes illas, ut credimus potenter & magnificè requirámus. Nolentes igitur oblatam quaſi nobis ad oculum de hoſtium conculcatione uictoriam negligere: uos, quos laborum noſtrorum & onerũ expertes eſſe non ſinimus, ad ipſius uictoriæ participium inuitamus: fidelitati ueſtrę mandantes quatenus ex ſapore rumorum huiuſmodi, nõ cauſam lęticiæ, ſed robur & animos aſſumentes, omnes & ſinguli ad requiſitionem, uos armis & equis, prout magnificẽtiùs unumquemq; decuerit, pręparetis. Vt in æſtate futura, cum felici exercitu noſtro, ad obtinendum de hoſtium depreſsione triumphũ, ſic potenter procedere ualeatis, quòd ad retributionẽ munificã, quam propter hęc & alia ueſtrę deuotionis obſequia, quę ſtabili mẽte concepimus, ad remunerandũ ea per efficaciã ueſtrorum operum, libentius inducamur. Securos enim uos eſſe uolumus, quòd, ſicut ueſtrorum quemlibet in noſtris ſeruitijs uires & animos proprios exercere uidebimus, ſic in quemlibet liberalitatis noſtrę dextram proportionaliter extendemus.

Mediola-

Mediolanenſibus, ut ceſſent ab hoſtili impugnatione. *Caput* XVI.

PRudenter præcidenda ſunt mala, ut ſalubriter bona ſuccedant, offendiculo quoque ſublato de medio, lenis occurret & felicior aditus ad optata. Sanè cum dominus papa zelator ſalutis ad ea nos miſerit, quæ ſunt honoris Dei, Eccleſiæ, Imperij, & ſtatus proſperi, Lombardiæ, ne guerrarum turbatio, quæ ſolet in talibus afferre periculum, noſtro proceſſui circa præmiſſa quid abſit, difficultatis aliquid opponat, bona fide cōſulimus, & affectione pura rogamus: & quia expedire uidemus, diſtrictè uobis præcipimus, quatenus poſt receptionem præſentium, ab incurſu ceſſetis hoſtili, & ſecuritatem præſtetis, non ſolum tranſeuntibus, uerumetiam adiacentium hominibus regionum. Nos autem ſimilia, circa ueſtros aduerſarios procuramus. ſic etenim præciſis hinc inde turbationum zizanijs, in ſpe fertili diuinæ Clementiæ, ſuper ſeminari poterit ſemen optatæ quietis.

Cuidam Principi, de promiſſione expenſarum, narrando facta. *Cap.* XVII.

POſtquam præter ſpem & uota quàm pluriũ, ad ſuaues applauſus regni no-

ſtri Siciliæ, diuina gratia cooperante, peruenimus: ſubiuncta ſunt auſpicijs noſtris undique noua felicia, quibus habet calamus exarare, quod placeat, & tuis referre ſuauiter auribus quod delectet. Quantum libet enim contra noſtræ Maieſtatis aduētum, dum malitia temporis longè, ſic nobis abſentibus, largiorem exceſſibus licentiam tribuebat: ciuitates & loca regni, pro parte non modica, rebellionis error aſſiduus infeciſſet: uiſa tamen potentia noſtra, tantum ſic ſubitò quàm plures ex eis noſtrarum uirium fragor edomuit, & nonnullos ab eis errorum fugata caligine ſpontanea conuerſione reduximus ad fidei noſtræ cultum: ita quod nihil iam pro ceſſib. noſtris obijcitur, & nihil, uel quaſi modicum reſtat à fidei noſtræ conformitate deforme. Et ſic euulſis iam plenè radicib. quæ factionis inchoatæ materiam roborabant, cuncta nobis grata proueniunt, & cuncta noſtris auſpicijs ad uota ſuccedunt. Ne poſſit tamen tuū, & aliorum noſtrorum animos fidelium credulitas indirecta ſubuertere, quòd dum delicioſa regni noſtri ſuauitate deducimur, prætermittere curas Italicas intendamus (ad quorū proſecutionem plenariam, tantò libentius & liberius uacare diſponimus, quantò fæcūdius exinde titulus noſter extollitur

&

& facultas nobis ad hęc proſequēda de cętero liberior ſuffragatur) ſcire te uolumus quod fiſcalib. inclyti regni noſtri, per diuerſas partes ſtudioſe diſcuſſis, pecunię in maiori parte quā poſſumus quantitatē cōgerimus, ut de ipſa tibi pro ſalubri expeditione negociorum ipſarum partium, tā celeriter quàm uiriliter ſuccurramus.

Regi Caphedino qui Mahometem adorat. *Caput.* XVIII.

SVblimati in regibus & principib. terræ in noſtrę Maieſtatis excellētia gloriantur: ſed pręcipuè in cōuertendo aduerſarios Ieſu Chriſti. Redde igitur terrā Hieroſolymitanā cultui Chriſtiano. Alioquin uirtus noſtri culminis iraſcetur. &c.

Reſponſiua ad præcedentem. *Cap.* XIX.

SI hilarem datorē Deus diligit, me diligit: & ſi beatius eſt dare quàm recipere, beatus ero, prohibe igitur Chriſtianos tuos ne ſæuiant in Saracenos meos: alioquin inuenies me tibi minantem.

Alfonſo primogenito regis Franciæ, dilecto nepoti ſuo, de captione proditorum. *Cap.* XX.

DEteſtabile & ſegregatū à qualibet humanitate ꝓpoſitū Tibaldi, Frāciſci, Guilhel. de S. Seuerino, Andreę de Cigala

pandulphi de Faſanellis, Iacobi de Morea, & aliorum ſuorum complicum, proditorum noſtrorum, ad te per noſtræ Celſitudinis apices perueniſſe iam ſcimus. Nec nos delectaret eorum ſeriem in præſenti deſcribere, uel exarare malitiam, quã nullo fuiſſe cõceptam tempore gauderemus: niſi quod idcirco libenter ipſorum enormes ſcire deſideramus exceſſus, ut quatenus motus noſtros in eos auguſta clementia temperat, eatenus ab omnibus noſtra modeſtia clarior cenſeatur. Hos etenim, qui nos tam iniquo propoſito trucidarũt, ſi (ſicut cuiuslibet hominis homicidas) occidimus, iniuſtè non agimus hos, quos uelúti filios dulcedine paterna nutriuimus, ſi tanquam perfidos patricidas, inter ferales anguſtias comprehenſos in uicinũ mare proijcimus, ut omnium elementorum uſu carere uiuẽtes incipiant interficimus, non peccamus. In hos, qui parentes ſuſpẽdijs, filios expoſuere martyrijs, in hos deníque qui ſuæ generoſitatis immemores, & noſtrorum beneficiorum ingrati, ac debitæ fidelitatis obliti: nobilis regni noſtri Siciliæ non filij, ſed priuigni, Deum & hominem ſic incredibiliter offenderunt, qđ nec infamia culpę conueniens, nec delicto pœna ſufficiens uideretur. Ad horum ergo perniciem, indignationis noſtræ peruenit

acule-

aculeus,diuina clementia (quæ ſicipſorũ infatuauit apertè conſilium,quòd prædi-ctos Tibaldum, Franciſcum & Guilhel-mum de ſancto Seuerino,& eorum com-plices,inferioris generis & ætatis,ſceleris nefandiſsimi patratores,& contra nos di-uinæ potentiæ contemptores, conuenien tia præcogitare conſilia,& ſufficientia prę parare ſubſidia non permiſit)Qui cum po-tuiſſent monitiões quaslibet regni noſtri præripere,tum ex familiaritate præcipua, quam ad ipſos conſiliorum noſtrorũ parti cipes,& omnium negociorum actores.prę teritis temporib. habebamus,tum ex prę-dicti Andreę de Cigala,in regno Sicilię no ſtri capitanei generalis nefando cõſortio, qua quælibet caſtra noſtra ſuæ iuriſdictio ni commiſſa,ponere poterat & deponere caſtellanos,caſtrũ Capuacij nomine,quod capi de facili nec immeritò poterat formi-dare,ſic ſubitò,ſic temerariè cõſcenderũt, ſic exiliter munierunt, ut nedum contra Romanum principem,qui præcelſa cacu-mina,montium potenter inclinat:ſed nec contra potentioris uicini potentiam tue-ri ſe longo certamine potuiſſent. Etenim, licet non defuiſſet eidem ad defenſionis longæ fiduciam rupis excelſæ munitio, mucrorum fortium ambitus,& copia bel-latorum uel defenſorum:ueruntamen ab

 fuit

fuit neceſſariarum rerum fertilitas, & aquæ præcipuè non præuiſa penuria, quã naturaliter ex fontibus rupes ſaxoſę negauerant: & accidentalem ex pluuijs ciſternarum ædificata concauitas, in tanta copia non habebat: quod à ueris introitu, quo ſe munire cœperant proditores, per totam proximam futuram ęſtatem pugnãtibus, & ex anxietate pugnæ ſitientibus, ac copioſè bibentibus, ſufficere potuiſſet: cuius copiam æſtiui aeris uiolentia ſubtrahebat, quam etiam ſi cœlitùs contra ſuæ perfidiæ meritum habuiſſent, in tantum conductus aquarùm, & muros omnes machinæ noſtræ confregerant, ut ad ciſternas transductio per canales omnimoda negaretur. Quo factum eſt, ut expugnati per fidelium regnicolarum uictoriam glorioſam, qui ad uindicandum eorum opprobrium accenſi per fidem, in expugnatione infidelium noſtrorum proditorum & caſtri propugnatores extraneos admittere noluerunt: 18. præſentis menſis Iulij, factionis tam principes, quàm ſequaces ſe pœnæ debitæ potiùs, quàm miſericordiæ tradiderunt. Quibus omnibus præter ſpem omnium, & contra uota multorum, expeditis celeriter, & ad uotum cum diuina prouiſio impedimenta ſuſtulerit, longis & callidis ſtudijs noſtrorum proceſſu-

ceſſuum curſui præparata iam liberi reddī mur, & reſumpta uictoria ferociores ad noſtrorum rebelliū omnium, quantumcū que recalcitrent, fine laudabili reliquias conterendas.

Fulginatibus, animans eos in fide, mandans eis ut contra rebelles ſuos procedant cum Capi taneo. Cap. XXI.

ET ſi generali qua cunctos fideles noſtros pura mētis affectiōe complectimur, uos affectuoſè proſequi teneamur, ſpeciales cauſæ ueruntamen cogitationibus noſtris ſe offerūt, quæ ad ciuitatis ueſtræ cōmoda inter alias ciuitates Italiæ p̄rogatiua quadā multipliciter nos inuitāt. Inducimur ſiquidem ex antiquo fidei noſtrę zelo, quā nec uetuſtas tēporis antiquata debilitat, nec annorū ſpacia faſtidita cō fringunt: ſed quātò plus in tēpore labitur, tantò ſemper in fide noſtra feruentior inuenitur. Inducimut etiam ex puræ deuotionis ueſtræ conſtantia, quæ nec uicinorum interdum exemplo ſubmota, nec perſecutionib. hoſtilib. ſtupefacta, tātò firmior ſemper extitit, & in fide noſtra feruētior, quo dāna ſemper pertulit grauiora. Inducimur nihilominus ex illa cauſa potiſſimè qđ in Fulgineo fulgere pueritia noſtra cœ

pit: & ſic dum ciuitatem ueſtram locum nutrituræ noſtræ recolimus, dum uobiſcũ quaſi ciuiliter conuixiſſe penſamus, erga uos quodammodo dominãtis modum ex cedimus, & naturali quodam humilitate ſeducti ad ueſtrum ſalubre regimen familiariter obligamur. Sic igitur de cura ueſtra ſolliciti firmiter credimus, quod fidei ueſtræ ſynceritas de bono in melius ſemper creſcat in antea, nec in cor noſtrum aſcẽdere poterit, quod ubi ſic uos affectuoſè diligimus, alicuius ſiniſtra ſuſpitio, uel ſuggeſtio fraudulenta deuotionis ueſtræ conſtantiam, de qua ſtabili mente confidimus, à fide noſtra ualeat reuocare. Licet autem uos egere exhortationibus non credamus, quos ſine requiſitione feruentes ad noſtra ſeruitia probabiliter experimur, nihilominus tamen fidelitatem ueſtram requirimus, & hortamur attentè, mãdantes, quatenus in fide & ſeruitijs noſtris ſolliciti, more ſolito uigilantes, ſic ad requiſitionem Thomaſij de Aquino capitanei noſtri, ipſarum partium dilecti generalis atq; fidelis noſtri, quem ad uos tanquam imaginarium perſonæ noſtræ, trãſmittimus, & continuè uobiſcum uolumus commorari, contra rebelles noſtros uos potenter & uiriliter opponatis, quod ſine laudabili principium comitante, noſtrę ſerenitatis

dexteram

dexteram ad ueſtræ generalitatis & ſpecia litatis augmenta, quaſi per debitum obligetis. Nos enim ſic alta mente & amplis retributionibus fidem ueſtram diſponimus compenſare, ut in noſtris ſeruitijs perſtitiſſe fideliter, meritò gaudeatis.

Cuidam nobili, ut reducat ad fidem uillam regimini ſuo commiſſam, quæ à fide deuiarat
Caput XXII.

DVdum ex zelo puræ deuotionis & fidei, quã ad nos & Imperium ſemper hactenus habuiſſe te nouimus, de tua induſtria & legalitate confiſi, cuſtodiam uillæ tibi fiducialiter recolimus commiſiſſe: ut ſicut eras inter alios in fide noſtra præcipuus, eſſes in eiuſdem loci cuſtodia ſpecialis. Cùm igitur uilla ipſa ſicut nuper accepimus à fide noſtri culminis deuiarit, tantò, te propenſius expedit circa ipſius uillæ recuperationem modos exquirere, quantò confidentius de prouida retentione ipſius ſtudio tuæ circumſpectionis inhæſimus, & quãto per hæc noſtra quin & tua potius utilitas procuratur. Quocirca diſcretionem tuam requirimus, & rogamus attentè, quatenus ſicut unquam honorem noſtrum diligis, & à nobis amplas præmiorum retributiones expectas, mo-

dos & uias, quos eidem negocio conuenire cognoueris, operoſus excogites ingenium acuas: & cum ſolicitudine qua poteris elabores, qualiter locus ipſe ad fidem noſtrę Serenitatis reducatur. Nos enim promiſſiones omnes, pacta & conuentiones, quas ad honorem noſtrum propterea duxeris faciendas, ratas habebimus, & faciemus inuiolabiliter obſeruari, temporis habilitate captata. Cęterùm nos in manu forti & copia theſaurorum, ſic ad ultimũ exterminium noſtrorum rebellium, & ſtatum pacificum fidelium procurandum, partes Italiæ magnificè repetemus, quod rebellium ipſorum temeritas, qui de noſtra forſan abſentia gloriantur (diuina nobis aſſiſtente potentia quæ tueri nos iugiter conſueuit) in aduentu noſtri culminis euaneſcet.

Capitaneo ſuo in Thuſcia, ut ſtudioſè procedat ſuper eiſdem. Caput XXIII.

SIne literarum noſtrarum iudicijs uel expreſſionibus nunciorum, tuæ deuotionis induſtriam ſcire confidimus, quátum ex caſtro & uilla dum in fide noſtra perſiſterent, noſtris poſſet negocijs afferri cõpendium, quantũq; per ea, ſi in partem contrariam cederent, graue diſpendium time-

timeretur: uelut in cuius gremio à nobis in Liguriam, & ad uos abinde præcipuo ſeu ſingulari, quin potius neceſſario tranſitu remanente, tanquam deficientibus, alijs uiarum paſſagijs, inde ſit unica clauis ad ianuam, quę nobis noſtriſque reſerare poteſt & claudere tranſitum & regreſſum. Cùm igitur uilla ipſa ſicut nuper accepimus, à fidei noſtrę ſemitis deuiante, caſtrum pręductum in noſtra deuotione fideliter perſeueret, fidelitatem tuam requirimus, mandantes expreſſè, quatenus eiuſdem negocij circumſtantias diligenter aduertens, ſtatim de conſilio fidelium noſtrorum Thuſcię, quorum magis uideris expedire, uias & modos operoſus excogites, qualiter ad recuperationem uillæ ipſius, ac efficacem defenſionem & obſeruationem caſtri præfati aggregatis auxilijs celeriter ſuccurratur: inducturus ad hoc efficaciter communia regionis ipſius, & commune ciuitatis præcipuè: ut ſi unquam deſiderant in perſonis & rebus ac ſupplicationibus ſuis, coram nobis fauorem & gratiam inuenire, ſtatim circa recuperationem eiuſdem uillæ, tuitionem caſtri, & pacificationem ſtratæ, ac prouinciæ potenter & uiriliter intendentes: fidē, quā ad nos & Imperiū habere tenētur ex debito, & eos ſemper, prom-

promptá hucúſq; nouimus habuiſſe, per efficaciam operis fateantur.

Cuidam capitaneo ſuo, quòd habito triumpho de laboribus reuocabit eum ad ſe. Cap. XXIIII.

LEctis gratanter literis tuis, & diligenter auditis ſingulis, quod nuncius & ſocius tuus propoſuit coram nobis, firmiter tenere te uolumus, quòd præſentiam tuam, quam fructuoſam nobis clara ſemper demonſtratione probauimus, libẽter lateri noſtro proximá uideremus, ut nos tuis, quæ grata ſunt nobis ubilibet, pręſentibus uteremur obſequíijs: & tu noſtris quos familiares tibi, quantumuis abſenti promittimus, placidis aſpectibus lętareris, uelut qui ſollicitudinibus uarijs & laboribus bellicis fatigatus, noſtram uidere pręſentiam reputares ad ocium, & lętam inſpicere faciem aſcriberes ad quietem. Sed negociorum natura, quæ laudabilem habuit te in partibus illis authorem noſtris tantiſper & tuis deſyderijs, repugnãte: uoluntati quodammodo noſtræ, tuęq; ſaluti ad pręſens non ſatisfacimus, donec in meliorem ſtatum reformata prouincia, glorioſior inde, ſequatur exitus, unde nociuus ſuſcipitur continua ſucceſſione proceſſus, te de partibus ipſis ad præſens non duximus reuocandum. Nollemus enim

nim ut te laboribus & ſudoribus tuis, prō pta dudum deuotione diſperſis aliena me teretur falce uictoria, & aſſumeret, alius te in campo Martio, ſtrenue currente triū-phum. Sed cum plena ſic nobis & proxima præbeatur de regionis ipſius reformatione fiducia, te cum plenitudine gratiæ, de rebellibus noſtris ſumpta uictoria, ad noſtram pręſentiam reuocare curabimus & hylariter ad noſtræ quietis participium admittemus.

Ezelino. ſcribens ei quod proſperè uiuit, & fatigatus laboribus requieſcit in regno.
Caput XXV.

SCimus, & longi temporis experimēto didicimus, quòd à conſuetudine (quæ iam in te naturæ uim obtinet) prę-ſcripta longi temporis ſpacio, tuæ mentis maturata deuotio, natiuis erecta potentijs declinare non poſſit. Scimus, quod uergē-tis in ſenium tuæ deuotionis authoritas, quantumlibet tibi ruinoſa ſeneſcat in corpore, uirtuoſa ueruntamen iuueneſcit in mente. Scimus, quòd ardor tuæ fidei annorum uetuſtate non deſipit, nec annorum ſpacia uaſtidica confringunt, ſed quā-tò plus in tempore labitur, tantò fructus placidiores adducit. Scimus, quod, licet à nobis

à nobis interdum locorum ſitus te corpore diuidat, corde tamen & animo Maieſtatis noſtræ præſentiam intueris: dum ſtatum noſtrum proſperum notiuus per literas expedis, & per nuncios miniſterioſus exquiris. Ecce igitur conſona uotis tuis noua deſcribemus, quod (fauente diuina clementia) proſperè uiuimus, & corporis noſtri membra, bellicis hactenus fatigata laboribus, delicioſa regni noſtri dulcedine reſtauramus. Illo nihilominus non omiſſo, quo ad pacificandum ſtatum fidelium, & rebellium reliquias comprimendas, ex curis noſtris, quas excitat ſollicitudo proſperior, uigilias continuas exercere curemus.

Cremonenſibus confortans eos in fide, & aſſerit ſe citò iturum ad partes illas, in exterminium rebellium. Caput XXVI.

ETſi utilium exigente qualitate cauſarum, quib. conſultius aliter fieri poſſe non uidimus, dudum regnũ noſtrũ Siciliæ præſentia noſtra duxerit repetendum, uobiſcum ſemper corde remanſimus: & ſi permittente natura fieri potuiſſet, maiorem corporis noſtri partem prouidiſſemus uobiſcum præſentialiter remanſurã. Con-

Conſiderantes uerò quòd temeritas ſuperſtitioſa rebellium, dum delicioſæ tantiſper quieti nos deditos opinatur, improuidè ſibi plenam iam gloriam, ex abſentia forſitan noſtræ Maieſtatis, uſurpat: penſantes etiam, quòd ueſtra & aliorum noſtrorum uotæ fidelium, dum præſentiam noſtram anhelantes eſuriunt, de facili poſſent aſſumere pro tam longa ſpei prorogatione rancorem: nos in partem ſolitæ ſollicitudinis reddendos elegimus, & ſuauibus regni noſtri ſolatijs, perſonam noſtram prouidimus ſubtrahēdam. Sic facti nouiter in huiuſmodi hoſtium detrimenta magnanimes, ut nullis quaſi præteritis fatigati laboribus, nullis effuſis ſumptibus faſtiditi, nunc uideamur ad bella ſolito furtiores occurrere, nunc ad eroganda ſtipendia & pærmia largienda pro meritis, ſatis conſueto fœcundius noſtræ munificentiæ gremium aperire: Ecce igitur corpore ſoſpites, corde fortes, ad reuiſendas partes Italiæ potēter accingimus: theſauros undiq; de regni fertilitate congerimus, & noſtræ potētię brachiū, ſic cōgregatis circumquaq; præſidijs roboramus, ut in proximo & uictorioſo noſtræ Maieſt. aduentu, ſpe diuturna fidelium reſpirante, conterantur, medullitus corda rebelliū, q̄ nobis abſentib. forſan ina

niter

niter gloriantur. Vos autem, uiri fortes (quos uelut in fidei ſoliditate firmatos, reddit quęuis negociorum & temporum qualitas, in noſtra deuotione præclaros) ſpem firmam fiduciamq́; concipite, quod in ſummum exterminium noſtrorum rebellium, ad partes ipſas, in proximo potẽter & magnificè ueniemus. Interim autem ſic in ſeruitijs noſtris perſiſtite, ſic ad confuſionem hoſtium (ſicut uiros decet induſtrios) uires ueſtras & animos exercete, quod inter alios fideles noſtros uos dignis extollere laudibus, & ſpecialibus proſequi præmijs meritò ualeamus.

Eiſdem, narrans ſuos euentus. Cap. XXVII.

DElectat nos, uobis de noſtræ felicitatis euentibus noua deſcribere, quos multæ fidei, multęq́; deuotionis præclaritas, ſicut firmiter credimus, auidos noſtræ proſperitatis efficit auditores. Dum enim gratitudines ſeruitiorum innumeras, quas dudum claræ memoriæ domino genitori noſtro preſtantes conſtanter in filium tranſtuliſtis diligenter, aduertimus: dum uoluntatem ueſtram, quam mater & alumna fidelitas ſemper hactenus ſeruauit illæſam, memori meditatione penſa-

penſamus: libenter uobiſcum familiaria ſtatus noſtri uerba conferimus, cum quibus libenter etiam quoslibet proſperitatis noſtræ ſucceſſus præſentialiter partiremur. Noueritis igitur, quòd (diuina fauente gratia, quæ ſemper dirigit greſſus noſtros) ioſpitatis corporeæ uotiuo beneficio fruimur, & concultatis undique rebellionis obſtaculis, quæ dudum in cognito potentiæ noſtræ brachio palpitare quodammodo uidebantur, in regno noſtro Sicilię potenter triumphamus. Verùm quanquam opus armis fortè de cætero magnificentia noſtra non credat, dum fidelibus noſtris regnicolis omnimoda pace gaudétibus, ſolo uerbo cuncta diſponimus, & ſolus nutus imperat, & gerit officium gladiorum: nihilominus tamen non ſic ocio uacandum fore cenſemus, quin potentiam noſtram terræ mariſque uiribus continuè muniamus, ut per hæc acquiſita poſsimus in brachio potentiæ noſtræ defendere, & circa partes Italiæ, de cuius negocijs diligens nos cura ſollicitat, habilius intendere ualeamus.

Cuidam nobili, ut perſeueret in operibus quæ incepit. *Cap.* XXVIII.

INtellecto nuper, quòd tu promptum gerens ad Excellentiam noſtram fidei & deuotionis affectū, ſeruitia quælibet quæ

honorem noſtrum reſpiciunt hilariter ſuſcipis,& in proſequendis eiſdem laudabiliter te exerces, labores quoslibet non euitás: deuotionem tuam gratioſa laude proſequimur,& (cum ſeruitia tua digna præmiorum retributione reſpicere diſponamus) fidelitatem tuam requirimus,& hortamur, attentè mandantes, quatenus laudabiliori fine continuans, quæ laudabiliter incepiſti, ad requiſitioné ſuper omnib. quæ nominis noſtri & honoris augmenta contingunt, ſic te præbeas operoſum, ut quod de commodis tuis firma iam mente concepimus, in actum deducere, tuis exigentibus meritis, meritò ualeamus.

Capitaneo regni, ut præcipiat portari ſodrum ad exercitum. *Cap.* XXIX.

CVras noſtras cõſideratio ſtudioſa ſollicitat, qualiter in uictorioſo noſtro exercitu, quem bellatorum concurſus amplificat, rerum uictualium copiam procuremus. Cum itaq; minante iam temporis hyemalis inſtantia, de ſolitis locis, ex quibus per terrã hactenus facilis reddebatur uel habebatur acceſſus, diſcriminoſa uiarũ aſperitas, fodri confluentiam interdicat, conſulta deliberatione prouidimus, ut ſi quis ex hoc defectus poſſet emergere, tráſuectio-

nectionis marinæ ſuffragio ſuppleatur. Quocirca deuotioni tuæ præcipiẽdo mañ damus, quatenus per Siciliam, & Calabriã & ualles, gratis in locis maritimis publicè facias nunciari ut quicunq; de partibus i- pſis mercator, uel alius frumẽtum uel hor- deum, ſeu res alias uictui opportunas ad felicem exercitum noſtrum deferre uolue- rit, debito proinde iure Curiæ noſtræ ſo- luto ſecurius accedat. Si uerò ſponta- neos inuenire non poteris delatores, tuæ circumſpectionis induſtria (quæ ſemper conſueuit in noſtris ſeruitijs ſenſus acue- re) mercatores aliquos prudẽter inueniat, & diligenter inducat, qui in terris uicinis, maritime uictualia ipſa emere debeant: & ea per terram ad mare translata, præter ſo- lutionem debitam uectigalium, ad eun- dem exercitum ſine quolibet impedimen to tranſportent exoneraturi uictualia ipſa, quæ ſub teſtimonialibus literis tuis eos deferre continget, coram uiris ad hoc per noſtram Excellentiam ordinatis, ad exer- citum noſtrum, ſi poterunt, uel ad caſtrum maris, aut Amalſiam, ſi propter maliciam temporis recta nauigatione uenire non poſſent. Et ut ſuper hoc de cordibus ſuis omnis rancoris materia prædicatur, firmiter eis ex parte noſtra te promitte- re uolumus, quòd uictualia ipſa pro

exercitualibus uſibus poterunt ſine contradictione diſtrahere, & concedere, plus offerẽtibus liberam inueniãt facultatem.

Ezelino de captione cuiuſdam ciuitatis.
Cap. XXX.

GAudere te uolumus, quòd noſtrę patrona iuſtitiæ manus altiſsimi cauſam noſtram continuis promouet incrementis: lætari te petimus, quòd ſuſpenſas deſiderij noſtri longi metas intentionis noſtræ ſumma iam attigit. Exultare te cupimus, quòd laborum noſtrorum congeries, à noſtrorum fidelium non exempta ſudoribus, quietis iam nobis emolumenta promittit. dum ciuitas N. quæ à grege fidelium, uelut perdita ouis errauerat, & ex debilibus fragmentis rebellium, reſiſtentiæ ſpiritũ in regni noſtri corpore fluxibilem & ruinoſa materiam nutriebat, præter oppreſsiones innumeras, & uaria genera impugnãdi, quibus incluſorum proteruiam triumphãtis exercitus noſtri depopulatio calcauerat, die decimo præſentis menſis Octobris, ſub omni deuotionis ſpecie, qua pænitentium præſtatur humilitas, unanimi uoce deditionis emiſſa, noſtræ miſericordiæ gratiam humiliter implorauit. Et licet ciuitatis eiuſdem incolas ſic Magnificentiæ noſtræ rigor arceret exterius, & ex-

actrix

actrix & importuna continuè fames interius laboraret, & deſtituti ſpe qualibet exterioris auxilij, & ad ſolutionem inteſtini debiti, ex diutius contracta penuria facti penitus impotentes, noſtræ potentię uiribus ultra reſiſtere non ualerent: nos tamē quos ad ultionis iudicium eorum incauta temeritas meritò poterat inuitaſſe, pulchrum uindictæ genus æſtimantes ignoſcere, ſub minantis furore gladij, excluſis omnino principibus factionis, extra regni noſtri limites, laturis exilium, qui populum hactenus uerborum licet inanium errore deduxerāt, & in ſignum deiecti rebellionis ipſius, circumgerantium murorum circulus ſolo cedentibus de beneficio innatæ nobis potentiæ, quamlibenter exercemus in ſubditos, gratię noſtrę ianuam decreuimus reſerandam. Quod quanquam alieniginæ famę præloquijs, ad noticiam fortè tuam peruenit, & ex hoc tuæ deuotionis intrinſeca credamus in læticiam reſoluta: nihilominus tamen id tibi liquidiori ſtylo prouidimus nunciandum: ut, ſicut exercitu ipſo rebellium noſtrorum attenuata ſunt pectora, ſic tuæ deuotionis propterea uires & animum erigens ſumas, de celebri proſperitatis huiuſmodi feſto congaudium, cum uigilias uniuerſalis turba fidelium germinauit.

Iuſticiario regni ſuper exactione pecuniæ.

Cap. XXXI.

DVm magnæ deuotionis indicia, & multiplicium ſeruitiorũ onera, quę ſucceſsiuè fidelibus noſtris tuæ iuriſdictionis incumbunt, infra nos ipſos debita conſideratione penſamus, eis benignæ mentis affectu compatimur, & inuiti quodammodò noſtris oneribus eorum colla ſubmittimus, quos ſub pacis delicijs & optatę quietis gaudio ſub alarum noſtrarum uelamine cupimus delectari, quia tamẽ in uictorioſo exercitu noſtro firmato dudum in obſidiõe, de quo nobis & fidelib. noſtris triumphũ præſtitit diuina clementia, poſt labores tam armatione felicis ſtolij, quàm in ſtipendijs bellatorum, & alijs quæ circa expeditionem exercitus, expugnationis qualitas requiſiuit, ſic ærarium noſtrum ipſius rei glorioſus effectus exhauſit, ut ad ſolutionem multiplicium debitorum, quę propterea Camera noſtra contraxit, ſine fidelium noſtrorum ſuffragio fiſci noſtri nõ ſuppetunt facultates: quantitatẽ pecuniæ, interclũſa præſentibus cedula cõprehenſam, ab hominib. iuriſdictionis tuæ prouidimus exigendam. Fidelitati tuæ firmiter præcipiẽdo mandantes, quatenus diligenti examinatione præhabita, quantũ ſumma pecuniæ anno proximo præterito in iuriſdi-

Stoliũ idem quod claſsis.

iuriſdictione ipſa impoſita, pręſentē exceſ ſerit quantitatē, eam ſicut ſummariè inueneris, minoratā ſic inter uniuerſas iuriſdictionis tuæ ciuitates & loca particulari numeratione diſtribuas, & ſic proportionabiliter partiaris, ut nulla propterea contra legem diſtributionis ipſius materia quæſtionis exorta, pecuniam ipſam per te taliter imponendā celeriter exegi, & feſtinanter recolligi facias, & ad Camerā noſtrā cum omni qua poteris celeritate tranſmittas.

Communi ciuitatis, ut ſubueniant ei in aliquo ad ſolutionem debitorum. Cap. XXXII.

TOt ſunt opera fidei & deuotiōis indicia, quæ continuatis ſucceſsibus pro nobis oſtendiſtis, tot ſunt ſeruitiorū gratitudines, & onerum factiones, quas in nobis ſemper actualiter inuenimus, quòd dū quietis plene ſolatia, quæ uobis & alijs fidelibus noſtris utiliter præparare diſponimus, infra nos ipſos aſsidua meditatione penſamus & inuiti (Deo teſte) nouas ſarcinas humeris ueſtris adiūgimus: quinimò caſus etiam cauſas iugiter cogitamus, per quas ueſtrorū præteritas paſsiones grauaminū, de quib. nobis (teſte Deo) tota mētis affectione compatimur, utiliter alleuiare poſſemus. Sed cum firmum ſit noſtræ Maieſtatis propoſitum, quòd rerū euidentius

 promit-

promittit euētus, finem laboribus noſtris imponere ut conculcatis undiquerebellionis obſtaculis, nihil ſuperſit uel modicum, quòd nobis & uobis de cętero inquietas pariat actiones: nunc ad complementū operis, ad cuius proſecutionem noſtra libenter opera, onera ſupportaſtis, deuotionis noſtrę conſtantiam, inuiti quantumlibet uocamus. Cum igitur in uictorioſo exercitu noſtro firmato, dudum in obſidione ciuitatis, de qua nobis & fidelibus noſtris triumphum pręſtitit diuinę bonitatis clementia, poſt labores tam in armatione felicis ſtolij, quàm in ſtipendijs bellatorū & alijs quę circa expeditionem exercitus oppugnationis qualitas requiſiuit, ſic ærarium noſtrum ipſius rei glorioſus effectus exhauſit, ut ad ſolutionem multiplicium debitorum, quę propterea Camera noſtra contraxit, ſine ueſtro ſubſidio fiſci noſtri non ſuppetant facultates: fidelitatem ueſtram quam ſemper inuenimus ad beneplacita noſtra paratam, requirimus, & rogamus attentè, quatenus firma concepta fiducia, quòd breuis erit in antea noſtrorū cauſa grauaminum, quę nunc etiam à uobis ſi negotij natura permitteret, tolleremus ad requiſitionem Iuſticiarij regionis ipſius, cui exinde ſcribimus circa ſubuentionem propterea nobis utiliter & deuotè præſtan-

præſtandam, ſic uoluntates ueſtras promptas & hilares offeratis, ut dilectionis ueſtræ principia laudandis continuetis ſucceſsibus. Vt, dum in præparatæ iam uobis quietis delicijs ſub noſtra pacifica poſſeſſione gaudebitis: & nos, ergo uota ueſtra ſtatuatis; propterea debitores ad gratiam: & fauoris ac laudis titulos in cõſpectu noſtri culminis acquiratis.

Capitaneo Marchiæ, confortans eum, dicens, quòd intendit eum reuocare ad ſe quàm citò habebit uictoriam. Cap. XXXIII.

CRedere firmiter, & tenere te uolum', quòd ſi abſq; periculo negociorum noſtrorum fieri poſſe commodè uideretur pręſentiam tuam, quam fructuoſam nobis clara ſemper demõſtratione probauimus, libenter noſtro lateri proximam uideremus: ut nos tuis, quæ grata ſunt nobis ubi libet, præſentibus uteremur obſequijs, & tu noſtris, quos familiares quãtumuis abſenti promittimus, placidis aſpectibus lætareris: uelut qui ſolicitudinibus uarijs, & laboribus bellicis fatigatus noſtram uidedere præſentiam reputares ad ocium, & lætam inſpicere faciem aſcriberes ad quietem. Sed negociorũ ipſorum natura, quæ laudabilem habuit hactenus te in partib. illis authorem, noſtris tantiſper & tuis de-

ſiderijs repugnante, naturæ quodammodo uoluntati uim facimus: & donec glorioſus inde proueniat exitus, unde nociuus ſuſcipitur continua ſucceſsione proceſſus, te de partibus ipſis ad præſens non uidimus reuocandum. Nollemus enim de laboribus & ſudoribus tuis, prompta dudum deuotione diſperſis, aliena meteretur falce uictoria, & aſſumeret alius te in campo Martio ſtrenuè currente triumphum. Sed cum plena ſit nobis, & proxima de regionis ipſius reformatione fiducia præbeatur: age uiriliter, & ſpes pulchra te foueat, quod te cum plenitudine glorię de rebellibus noſtris aſſumpta uictoria libenter ad noſtram præſentiam reuocare curabimus, & hilariter ad gratæ quietis participium admittemus.

Bononienſibus, quòd non eleuent ſe in ſuperbiam propter uictoriam habitam de filio ſuo, & quòd in continenti liberent eum.

Cap. XXXIIII.

VArios euentus eſſe fortunę, diuerſis legitur in ſcripturis: quę nunc deprimit hominem, nunc exaltat, & ſæpe blanditur aliquos exaltando, quos demum deprimendo inſanibili uulnere frequenter percutit & flagellat. Si uos igitur fortuna ſe-

na ſerenior reſpexiſſe uidetur his temporibus clare uultu, non deberetis, ſi ſapientes eſſetis,in aliquo ſuperbire, quia ſępiùs in altum quis tollitur, ut ruens fortiùs conquaſſetur. Nam ſæpe fortuna uidetur in principio proſpera nunciare,ſed medium & finem multis replet aduerſitatibus,& concludit. Relatum eſt etenim Magnificentię noſtrę, quòd in uictoria nobis data, feciſtis cornua ferrea, cum quibus totum orbem creditis uentilare,& eleuati in ſuperbia magna ualde,Lombardis fratribus ueſtris arrogantię munera tranſmiſiſtis, cum eis ſolennitates & magna gaudia celebrantes. Sed niſi citò elationem ueſtram ad manſuetudinem conuertatis, cornua ferrea quę feciſtis ſubito impetu confringentur: riſus ueſter dolore miſcebitur,& gaudium ueſtrum in triſticiam conuertetur. Conſiderate igitur prouidè, & attendite diligenter quòd Imperij noſtri ſerenitas quamuis paſſa uideatur aliquas tempeſtates, tam in digno Dei iudicio,multos de illis qui rebelles eſſe noſtræ potentiæ præſumpſerunt, iuſticia mediante, ad pœnam & mortem conduximus exemplum cunctis hominibus ſęculi monſtraturi. Non enim ſicut putare uidemini ſopita eſt Romani imperij fortitudo. Nam ſemper uigilans

& atten-

& attenta potentia non dormitat, interrogate patres ueſtros, & dicent uobis, quoniam auus noſter (felicis memoriæ) uictorioſiſsimus Fridericus, cum uoluit, Mediolanenſes priores ueſtros expulit à proprijs laribus, & eiecit, ac ciuitatem ipſam tripartiuit in burgis. Non igitur pateant faciles aures ueſtræ ſuggeſtionibus ac adulationibus Lombardorum, qui uos ſui damnationi aſſociari cupiunt, inducentes uos in foueam de qua nullo auxilio poteritis liberari: Quapropter ſub pœna gratiæ noſtrę uobis præcipimus & mandamus, quatenus dilectum filium noſtrum H. regẽ Sardiniæ, & Galluri, cum alijs fidelib. noſtris Cremonenſibus, Mutinenſibus, & cæteris alijs quos cepiſtis, uiſis pręſentibus, de carceribus relaxetis. Quod ſi feceritis nos inter alias ciuitates Lombardiæ, ueſtram exaltabimus ciuitatem: ſi uerò potentiæ noſtræ mandatis neglexeritis obedire: triumphalem & innumerabilem noſtrum exercitum expectabitis: procul dubio cognoſcẽtes, quod ad uos omni mora poſtpoſita ueniemus, & ciuitatẽ ipſam obſidebimus, nec de manibus noſtris uos liberare poterunt Liguriæ proditores federitis fabula, & opprobrium nationum, ac uobis improperabitur in æteruum.

Fride-

Fridericus ſignificans domino papæ & Cardinalibus uictoriã habitã de Mediolanen. Cap.XXXV.

COmmunem omnium Principũ terræ læticiam,ſed matris Eccleſiæ ſpecialem,ueſtram ulterius latere noticiã non uolentes, quãquam ut firmiter opinamur inſinuationis noſtræ curſum,celerior literis fama præripuit. Nihilominus ad uos Imperiali programmatæ uictorioſi proceſſus noſtri tripudium, ſtylo deducimus certiore. Sanè quantæ audaciæ quantæq; temeritatis ſint ligurium Excellentiæ noſtræ rebellium factiones, ad proximos experientia detulit,& loci uicinitas,ac intemeratæ fama nequitiæ pertulit ad remotos.nec latere uos credimus, nec mundus ignorat,tam longè diſsimulationis noſtrę conſtantiam circa eos.Ne igitur tolerantia noſtra rerum patientiæ nomen amitteret, & uicioſę puſillanimitatis notam incurreret, pro decore uirtutis animaduertentes poſtmodum , quòd ferro ſcindenda ſunt uulnera, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam: nec expectare uolentes quod in fiſtulam totiens iam cicatrix obducta tranſiret,neceſſario nos ad arma conuertimus, manus ad fortiora miſimus, & noſtrum uibrauimus gladium, dormiẽtis Imperij ſomnũ excitantes.Et cum anno præterito ueluti cuiuſdam profunditatis uadum

dum

dum ipſorũ uires & animos tentaſſemus, experiméto ſecuri tenuimus propoſitum firmauimus animum, dum deſideratæ nobis conſumationis effectum principia bona promitterent, & læticiæ ueſpertinæ fiduciam lucifer traderet matutinus. cum Germaniæ retibus expediti, quæ pro magna parte furioſus ille iuuenis quondam dux Auſtriæ noſtris proceſsibus, ueruntamen non impunè parauerat circa finẽ huius æſtatis Italiam duximus repetendam: & cum uſq; ad fines Brixiæ paulatim iam noſtra uictoria pertingeret cõtinuata, quæ noſtrorum fidelium ſepibus undique circumſepta: tamen in Mediolanenſi præſidio ueluti quodam foramine reſpirabat. Expugnantibus nobis uiriliter monté clarum & ibidem quampluribus Brixienſib. & pleriſq; maiorib. captiuatis, tacta dolore cordis intrinſecus Brixia uelut leęna rugiens, dum dilacerari corá ſe filios reſpicit, quos tueri non poteſt ad defenſionem ſui Mediolaneñ. eorum amicos & cõplices, in ſpe firmi ſubſidij, ſed demũ in pœnæ cõſortium euocauit. Poſt expugnationé deinde caſtri prædicti noſtrorũ rebellium omniũ uiribus cõgregatis, dum nobiſcum in campeſtris belli diſcrimen, aliquantó attrahi non ualerent, ipſos ulterius inutili mora conſumere, ad remotiora loca diuertimus exerci-

exercitualibus commodis & bellorum agreſsibus opportuna. Et cum ipſi fugæ digreſſum noſtrum aſcriberent, & timori cautelam: propter quod audaciç cornua aſſumentes nos ſemper à latere ſequebantur: interiecta ueruntamen difficultate locorũ, tandé ipſos ad flumen Lolij cautè deduximus: ubi parato noſtrorũ tranſitu põtium ipſi ſe ad habilitaté ſuorũ, per quos Loliũ tranſierãt remotis longi itineris ſpacijs inuenerũt. Prius tñ, quàm nos opportunitate trãſitus Lolij potiremur, in quadá planitie prope ripá fluminis ſupra dicti, caſtra noſtra defiximus: credétes eos in audacia iá concepta perſiſtere, ut ad commune certamen uadato quodam modico flumine, nobis ad tranſitum propter ripas infeſto, nobiſcum pugnaturi tranſirent. Et cum per dierum aliquot ſpacium (quibus Imperialis clementiæ memores, uerba pacis, per magiſtrum domus ſanctç Mariç Theutonicorum, & alios uiros religioſos, interpoſita patienter audiuimus) ipſornm uerboſam audaciam præſtolaremur ibidem, facta tamen eiſdem per ſolennes nuncios noſtros belli copia, & facultate conceſſa, quod uadum ad nos ſecurè tranſirent, uel nos ſecurè tranſire permitterent, ad eoſdem: cum ad rem uentum eſt neutrum eligere uoluerunt. Nihilominus etiam
cum

ſigna proſpicerent, in fugam ſic ſubitò ſe conuerterunt, ut uſq; ad ipſorum Carocium, quod apud Curtem nouam in equorum celeritate præmiſerant, nullus fugientium, faciem noſtrorum inſequẽtium ſpectare ualeret. Et dum poſt auxiliares acies nos cum noſtrorum agminũ robore, greſſibus feſtinatis, noſtris qui in leui manu præceſſerant, neceſſario curſu ſuccurrere crederemus, quos ab aduerſariorum pugnantium uiribus timebamus arceri, equorum abſq; ſeſſoribus curſitantium undiq; præcipitatorum militum & occiſorũ ſtragibus ſtratas inuenimus impeditas: erectis tandem & ligatis in terra iacentibus qui uiuebant, per armigeros militum qui dominos ſequebantur, ad Carociũ (quod iuxta muros municipij Curtis nouæ, foſſatorum uallis circumdatum, & immenſa militum præliantium copia impeditum, omni mira defenſione pugnantium munitum inuenimus) applicantes, ad expugnationem & capturam ipſius, multorum innumerabilium militum ſtrenuitate, perſtitimus: adeò quod ſuperbi foſſati ſupercilio ſuperato, uſque ad themonem ferè Carocij ex noſtris aliquos uidimus perueniſſe. Superueniente tamen noctis umbroſa caligine, tẽtatum aggreſſum omiſimus & ad quietem, quam noſtrorum uota lon-

giſſima ſuſpirabant,conceſſimus diſiectis tantummodo gladijs, ſed tunicis ferreis non exutis: manè ſequenti ad indubitatam uictoriam Carocij redituri:quod, adueniente luce, inter alias milium curruum turmas deſertum qualibet defenſione reperimus: ſummitate perticæ,ubi crucis ſignum extiterat detruncata: quę crux etiam dum uideretur ad fugam fugientibus oneroſa,in medio extitit derelicta. Caſtrum etiam Curtis nouæ,cuius munimine ipſos impetus noſtros euadere credebamus,cuſtodes & incolæ reliquere. Nec Poteſtas eorum,ducis Venetorum filius,quo duce lugubria ſigna tulerunt,manus noſtras euaſit. Et(ut multa ſub compendio concludamus)tum capti, tũ mortui,inter quos multi Mediolanẽſium primates & principes corruerunt:decem millia ferè numero computantur. Nec tamen ab antiqui Draconis contritione,propterea manus noſtra deſiſtet, quin tam diu caput eius ad Imperij laudẽ allidamus, quã diu caudam ipſius palpitare uidebimus: ex quo poſſit cauſa diſſidij poſteris, uel etiam ſcandalum cæteris exoriri. Super quibus omnibus, ſanctiſſime pater,gratias,uos & fratres ueſtros ꝓ uobis exoluere Domino Ieſu Chriſto,filiali deuotione rogamus,qui ſuũ proſequendo negociũ, ſacrum

crum Imperium uictorioſè ſublimat.

Magiſtris portulanis de armatura facienda contra Ianuenſes & piratas. Cap. XXXVI.

Portulani, qui portubus maris uel flu minũ pręſũt.

CRebræ noſtrorum fideliũ, quorum indẽnitatem omni cautela poſſibili noſtra procurat humanitas, querelę noſtrũ auditoriũ circũſtrepunt, qualiter Ianuenſium aliorumq́; rebelliũ noſtrorũ piratarũ ſæpe lędūtur incurſib. & ab eis in rebus damna quàm plurima, & in perſonis ſubire coguntur iniurias, quibus deberent, rebus ordinariè procedentibus, continuas irrogare iacturas. Fideles igitur noſtros ſic reddere uolentes indemnes, ut offendant etiã & damnificẽt infideles, benigna quadã cõpaſſione prouidimus, ut in terris maritimę, qua parte potius eorundẽ rebelliũ laborat infirmitas homines, uidelicet quorũ magis agitur intereſſe, ſi foret hoc poſſibile: uel eos, in quorum fauorem, hoc tam utile redundare poteſt negocium adiunctis auxilijs, ad quę ipſos uerbis pertrahi uolumus inductiuis: & ſi ſuaſioni fortè nõ crederent, prout expedire uidebitur, ad ea p̃cipimus cõpellendos, ſine noſtris expẽſis armari uaſella competẽtia faciãt, quę ut ſeruitia ipſi cõmodius exequi ualeant, eis de uaſellis noſtris uolumus exhiberi, ad prædictorũ rebelliũ temerarijs auſibus

Vaſellũ idem ferè eſt, q̃ nauicula & bar ca dictione Italica.

reſiſtendum: ut dum marinis uacantes ex curſibus, fideles noſtros offendere ſatagũt unde fortè ſibi compendium captaſſe crediderint, inde ſibi ſentiant damnũ imminere. Veſtræ igitur fidelitati præcipiendo mandamus quatenus diligenti conſideratione præhabita, in terris ueſtræ iuriſdictionis, uicinis maritimę, per mercatores uidelicet, quorum magis uideritis intereſſe, ac alios, quibus ex hoc importabile pondus ingrueret, duas aut tres galeas, & tot barckettas (prout habito cum fidelib. noſtris diligenti cõſilio uideritis expedire) quas etiam de uaſellis noſtris decenter recalcatis, & communitis eis aſſignare uos uolumus ſine noſtris expenſis, faciatis benè & decenter armari. Ad quod ipſos uerbis competentibus inducere ſtudeatis: & ſi fortè inductioni reſiſterent, cohertione debita compulſuri. potius enim eos ad id ex quo eorum indemnitas ſequitur, uolumus compelli, ſi id expedit, quam ut ſic tepeſcentes, ijdem ſuis noſtriſque commoditatibus ſubtrahantur, non ſine noſtri nominis aliquo imaginario detrimento, depauperante fortuna. Ne igitur prædictum negocium (ad quod efficaciter procurandum, intendere diligenter & ſtudioſè uos uolumus) ex aliquorum neceſſariorum defectu, inopia fortè hominum

Recalcatis. i. de nouo tectis.

minum pręſtante materiam, diſpendia dilationis incurrat: de rebus noſtræ Curiæ, quæ ſunt per manus ueſtras, & quas eorundem fidelium noſtrorum ſubſidio ad id uideritis opportunas de munificentiæ noſtræ gratia per uos præcipimus aliquid largiendum. Cautelam tamen debitam ſuper ijs adhibere uos uolumus, ut uos ad eos, quos ſuper hoc ſtatueritis diligentem habeatis reſpectũ, ne odio, uel precio, uel amore, aut extrinſecus alijs fortè flectẽtib. in hoc magis collaterales, aut minus exhibeãt, uel in aſcribendo minori pondere ſeu maiori, & importabili debito: actiones minus rationabiliter poſſunt quæri: ſcituri, quod ſi clamor iuſtus aliquis ad audientiam noſtram propterea deferatur, id ſiquidem in caput ueſtrum noſtra iubet Serenitas retorquendum. Cum ijs uerò, quos ſuper hoc uaſellis ipſis duxeritis ſtatuendos, ordinare curetis: ut, ſi aliquos de infidelibus ipſis capi cum uaſellis eiſdem (fortuna fauente) contigerit, ad opus Curiæ noſtræ debeant conſeruare: ordinaturi nihilominus, ut uaſella quæ ꝓpter hoc ſic armata fuerint, ut mandamus, nullam moram aut reſidentiam in portubus faciant: ſed ad ſecuritatem noſtrorũ fidelium, & rebellium piratarum offenſam, frequenter continueq; diſcurrant.

Capuanis, de captione Vercellarum, & celeri deditione Parmæ. Cap. XXXVII.

DVm in Imperij noſtri pelago nauigando feliciter longæuam regni noſtri fidelitatem aduertimus: dum ſedula magnaque ueſtra & aliorum eiuſdem regni ſeruitia contemplamur, inter quietæ pacis noſtræ delicias, quas in hæreditario regno noſtro Siciliæ, proprio labore quęſiuimus, & adhuc in ipſius conſeruatione perſiſtimus, debitum uobis quodammodo ſoluimus, dum felicitatem noſtri culminis nunciamus. Poſt deſcriptam denique uobis obſidionem Parmenſem per alios noſtri culminis apices, debellationem, & captionem ipſorum, in non modica quantitate præter alia caſtra & loca quàm plurima permunita, per dilectum filium noſtrum Henricum, illuſtrem regem Sardiniæ, & ſacri Imperij in Italia generalem legatum, & Ezelinum de Romania dilectum fidelem noſtrum, qui prædicta in nomine noſtro proſperè geſſerant: debellata uiriliter & cremata Vercelli: qui locus eſt in ripa fluminis Padi, unde ad Parmenſes eoſdem rebelles noſtros, per Mantuanos & Ferrarienſes, perſæpe uictualium, ſalis & aliorum neceſſariorum munitio,

nitio ferebatur, uiriliter extitit expugnatus, captis nonnullis Parmenſibus præfatis ibidem poſitis ad tutelam. Quem, uelut diſpendioſum hoſtibus, dum inde nõ minus, quàm ubi nos ipſi perſiſtimus, arcerentur, muniri foſſatis, & alijs neceſſarijs mandaſſemus: prædictis, filio noſtro & Ezelino ibidem uſq; ad plenum mandatæ munitionis exitum moraturis: Cardinalis Octauianus (cui ad Mediolanenſium & aliorum noſtrorum rebellium auxilium, fuerat per Apoſtolicum dudum de tranſalpinis partibus commiſſa tranſductio, & ea per A. comitem Sabaudiæ, dilectum conſanguineum & fidelem noſtrum, in manu forti de mandato noſtræ Celſ. denegata) Mediolanenum furtiuè quodámodo, ſub inermi & modica comitiua peruenerat: ad inſtantiam G. de monte Longo, legati Apoſtolici apud Parmam intruſi, eundem de ſuccurſu Parmenſi, per literas, & nuncios ſępius requirentis, Mediolanenſium, Brixienſium, Mantuanenſ. Ferrarienſium, & aliorum noſtrorũ rebelliũ poſſibili coadunato præſidio, uenit (Marchione Aſten. & Alberico de Romano, proditorib. noſtris, ipſũ illuc comitantib.) ad Tallatã, locum uidelicet, unde pars prędicti fluminis deriuatur. Vnde prædictis Parmen-

ſibus & legato tranſitum,&ſuccurſum im poſsibilem repromittens,prefatis filio noſtro & Ezelino cum electa militia & peditũ multitudine oppoſitis ex aduerſo, obſeſſorũ nota concepta uerbotenus,de qua patiebantur neceſſitate ſuſpenſa,cum aliud nequiuerit per impoſſibiles promiſſiones eluſit.Et ſicParmenſib.ſupradictis per duplicis obſidionis obiectũ omnis ſuccurſus & munitionis auxilio denegato: ſatis etiam & uictualium ipſos præmẽre defectu,amodo differre nõ poterunt,quin uocẽ deditionis emittant, prout per plures eorum ad Cardinalem & Mediolanenſes præfatos, literas interceptas accepimus, quib.prius deſperationẽ ſuccurſus, quod ſe mandatis noſtris exponerẽt ſub excuſationis uelamine deſcribebãt. Ex premiſſis igitur firmam ſpem fiduciamq; concipite, ac tenete, quod de Parmenſib. prædictis infra ſpacium breuis temporis obtenta indubitata uictoria:quæ titulis noſtris ſummam uictoriam oneribus noſtris finem,ac expectationibus communib.aduẽtum noſtrum indubitabiliter pollicetur, mutuis affectib. delectantes uos in ſerenitate uultus noſtri continuatè fouebimus,quos nunc ſub interpellatione literis permulcemus.

Magi-

Magiſtro iuſticiario ſuper exactione collectæ narrando qualiter ſcribit ſuper hoc fidelibus ſuis. Cap. XXXVIII.

IN infrà ſcripta forma, fidelibus in regno ſcripſimus, pro collecta. Ad compaſſionis noſtræ præcordia, uelut quædam acuta uenabula tranſeunt uniuerſitatis ueſtræ grauamina, quæ pro nobis tanta ſi dei puritate ſuſcipitis, tanta deuotionis integritate portatis, nec ſolummodo uobis ex illa cauſa compatimur, quod & nos ipſi dolemus. Sed quia uidemus regni noſtri filios extra regnum uexari, laboribus & diſpendijs affici, quin oppreſſiones huiuſmodi nobis & uobis ex inopinato proueniunt, ut dum portum noſtræ nauigationis attingere credimus, ex uberante malicia temporis, ad remotiora multotiens reducamur. Dudum etenim cum ex defenſione multarum urbium & locorum, ad nos confugientium ſeu ſpectantium, quæ Mediolanenſi nequitia confouebat, tum ex campeſtri uictoria, per quam tam ſtrage quàm carcere plurimorum ipſorum ſuperbiam (exercituum Domino fauente) Magnificentia noſtra calcauit: tum ex uniuerſalis uaſtationis gladio, qui nullum noſtrorũ rebellium penitùs dimiſit intactum, in tantum

eoſdem ad extrema deduximus, quod cõtinuè uerbum deditionis ab eis noſtra Serenitas expectabat, & neceſſariò hoc dixiſſent utcunque, niſi quod nequitiæ pontificalis elatio contra nos, ueteris odij exagitata ſtimulis, & innatæ ſuperbiæ uẽtis inflata, uitæ quodammodo ſpiritum mortuis inſufflauit, proceſſibus noſtris quantumcunque potuit (licet parum potuerit) ſe nequiter opponendo. Sed huic etiam morbo nuperrimè reperiſſe credidimus medicinam: dum ad multorum ex fratribus ſuis multam inſtantiam, uerbum pacis ab eo cum ſuauitate recepimus propter treugas à Maieſtate noſtra promiſſas eiſdem, à uaſtatione Campaniæ diuertentes uerſus Italiam, non tam ad expugnandos quàm ad recipiendos ad gratiam Excellentiæ noſtræ rebelles, recto diametro direximus greſſus noſtros.

Sed aduerſus ſui ueneni nequitiam theriaca noſtra non ualuit, nec medicina profecit: quin per digreſſum noſtrum ſecurita te recepta, tractatæ pacis oblitus, ad diſcordiam ſe conuertens, contra nos peiora prioribus moliretur, & in rebellionem noſtram Fauẽtinorum nequitiam, qui de captando fauore noſtro nobiſcum iam tractare cœperãt, per angelos ſuos malos, fratres

tres Minores & Prædicatores ſcilicet, quibuſcunque præſidijs potuit confouendo, Venetos ad deſtructionem maritimæ regni noſtri, uenenoſis armando conſilijs, ut nos ab inſtanti uictoria reuocaret. Nos autem ad expugnandam Fauentiæ ciuitatem, tanquam ad diſſoluendum totius obligationis nodum, & unicum obſtaculum remouendum, per quod totius uictoriæ noſtræ rota conuertitur, & uelocitas præpeditur, inſtantiſſimè uidimus, & finaliter inſiſtendum: quia (fauente Domino) cùm ſe uerni temporis opportunitas dederit, indubitabiliter expugnata, cùm de obtentu Bononiæ poſtmodum nullatenus dubitetur, ſic ad exterminium noſtrorum rebellium continuatis Excellentiæ noſtræ uiribus, uelut perpeti præſidio ducatus & Marchiæ noſtris titulis accedente, uia noſtris proceſſibus aperiatur: & poſtmodum præſentis guerræ uictoria, neceſſariò præſentia perſonæ noſtræ non egeat, & effuſionem tantorum operum, & labores tot hominum non requirat. Ad obtinendum igitur de tam memorabili pugna triumphali triumphum, quæ iam ad ueſperum declinauit, deuotionis ueſtræ ſubſidia ſecurè requirimus, quæ ſic prompta nobis affutura credidimus, ut pro uictoriæ deſi-

deſideratæ læticia, uos non attenuatos opibus, nec laboribus fatigatos, ſed recentes ad ſubuentionis noſtræ ſuffragia reperire credamus. Nec tamen uolumus in tantum ad indefeſſam promptitudinem fidei ueſtræ reſpicere: quin uelimus eandem prouidentiæ noſtræ modeſtia moderari. Ac prius nobis ipſis in parte deficere, & neceſſitates inſolitas ſuſtinere, quam uos grauis & inconſueti grauaminis onere prægrauare: utpote qui ad iſtud etiam exigendum, teſte nobis altiſſimo, prouocamur inuiti, & à quo libentiſſime noſtra Serenitas abſtineret, ſi ſine confuſione perpetua noſtri nominis & honoris, quã fidei ueſtræ perfectio nullo modo pateret, abſtinere poſſemus. Tu igitur inter eos prouidentiam & modeſtiam noſtram, quam reſpectu præteritarum exactionum habemus, in eis fauorabiliter ſtudeas & cum omni diligentia publicare, cum multò minorem quantitatem ſubuentionis ab uniuerſis exigi mandemus, ac præſens, eccleſiarum & clericorum nec non feudorum noſtrorum, & de Cameris feudatariorum in ipſa collecta ſubſidijs computatis, prout ſcedula continet incluſa: quàm de manijs noſtris tantum Serenitas noſtra exigere conſueuit. Expoſiturus ipſis, nihilominus uotum noſtrum

ſtrum, quod ex hoc modico libenter ad nihilum ueniremus, ſi poſt obtentam uictoriam noſtrorum negociorum expeditio pateretur. In taxatione præterea determinati ſubſidij, quod iuriſdictioni tibi decretæ mandamus hominibus imponendum, contra ſolitam impoſitorum & collectarum nequitiam, ſic agas fideliter, ſic diſtinctè: ſicut unquam gratiam noſtram diligis, & indignationem perpetuam deſideras euitare. Nullius perſonam ex amore uel odio proſpecturus ut negocium iſtud, quod prouidentiæ tuæ cum ſumma fiducia committi decreuimus, ad honorem culminis noſtri & alleuiationem prouidam noſtrorum tam celeriter, quàm fideliter compleatur.

Iuſticiarijs Terræ laboris, de exercitu ſuo, & de exigenda collecta Cap. XXXIX.

Circa uos noſtræ manſuetudinis zelum, & circa uos ueſtræ deuotionis ardoré credimus apertius loqui, quàm ſcribere & uidere libentius cupimus, quàm audire. Exuberante ueruntamen utilitate propoſitum, & conſilio uoluntatem, uiolentiam in hac parte nobis ipſis indiximus, qui cogi per alios meritò digna-

dignamur. Dudum etenim poſt obtentam de rebellibus noſtris & Imperij permiſerabilem & innumerabilem uerè ſtragem ipſorum, Campeſtri diſceptatione uictoriam, & potentiam noſtram per ſubiugationem inexpugnabilium ciuitatum, quæ ad nos belli diſcrimine deſperatæ infrà murorum ambitus, & munita locorum ſe ſepta concluderent, quàm primum in exitu primi ueris nobis temporis habilitas ſe ingeſsit, quo poterant montes, ex repercuſſione ſolis ad clypeos aureos refulgere uictricium aquilarum ſignis explicitis, tecta domorum noſtrarum potenter exiuimus. Caſtra, quæ licet undique copioſæ militiæ muniuerat copia noſtrorum, ueruntamen apulorum, uelut aurum intextum ſericis, ſpecioſa iuuentus & florida deaurauit, in noſtrorum rebellium reliquam depopulationem defiximus. Ac duas de noſtris rebellibus fortes & fortiſſimas ciuitates, Brixiam uidelicet, & Alexandriam, eodem tempore diuiſis noſtrorum exercituum copijs, ſic inſtanter obſedimus, ſic in totum euaſtauimus è uicino, ut ab obſidentium caſtrum ad muros quindenarius pubes, & octogenarius ſenex, frequenter inermes proijcere lapidem periculoſum non crederent, & difficile non putarent. Ad exterminium

um quorum idcirco tam citò caſtra noſtrarum uirium in campis eduximus, ut pubeſcentem ipſorum ſegetem, & lachrymoſas turgentium uitium palmites, uaſtationis gladius nullam temporis anguſtiam metuens, licentius deuaſtaret, ut ex licenti noſtrorum hoſtium uaſtitate, tantum nobis de reliquo tempore laxaretur, mutuatis ad reditum ex autumno diebus aliquibus, uel ſubtractione probabili defalcatis, quòd ad delectabilem moram noſtram uobiſcum, totam præſentem hyemem & integram haberemus. Oblectante nos tamen noſtrorum continua depopulatione rebellium, ac negociorum ſuperuenientium ſollicitudine ſemper ſuccedente, negocijs, ſic de die in diem uiſcoſa Liguriæ nos terra detinuit, ut non tantum nobis eſſet de tempore reſiduum, ut in regnum Imperiali dieta procedere, & ibidem deſiderata mora perſiſtere, & ad depopulandas rebellium noſtrorum reliquias tempore debito redire poſſemus. Longum etenim abſentiæ noſtræ tempus quod nobis longiſſimum creditur, ſaltem præſentiam noſtri temporis longi exigit, ut damna compendijs repenſentur. Sed nec utile nobis erat, grande tam negocium imperfectum dimittere, quod ferè iam ad deſide-

deſiderabilem exitum indefeſſus noſtræ ſollicitudinis labor, & calcatis iam hoſtibus inſtantia quotidiana, glorioſè deduxerat in imperfecta conſumatione differre: ſed perſonam noſtram ſalubrius uidimus præſentibus exponere tædijs, ut licentius uobiſcum in poſterum & honorificentius quieſcamus. Indubitabiliter etenim credimus, immò ſcimus, quòd etſi perſonæ noſtræ præſentiam ex fide diligitis, habentes tamen zelum ſecundum ſcientiam, coronæ noſtræ, potiſſimè deſideratis honorem, pro quo nec perſonarum ueſtrarum periculis, nec rerum diſpēdijs hactenus peperciſtis. Verùm quantumcunq; in oculis mentis noſtrę ſint ſemper omnia grauamina ueſtra præſentia, & illa potiſſimè, quæ pro præſenti expeditione noſtra Italię libentiſſimè portauiſtis: illud tamen, quod per iſtam ultimam ſubuentionem ueſtram paſſos uos fore cognouimus, ad compaſſionem noſtram tantò peruenit acutius, quantò uos illud ſuſtinuiſſe libentius, & prorſus ordinatiùs contemplamur: dum contra ſerenitatis noſtræ mandatum, quo facultates & merita ſingulorum æqua lance mandauimus trutinari, alleuiatis diuitibus, grauati ſunt pauperes, & omiſsis primatibus inſtanter, compulſi ad talia

ſunt

ſunt plebei prout in ipſis collectarum codicibus manifeſtè perſpeximus: quos per officiales noſtros ipſarum partium mandauimus noſtro culmini præſentari. Compatimur uobis,&uerè compatimur ò fideles, propter quæ nota grauamina uos ſuſtinuiſſe non tædeat. Sed ad præſentem ſubuentionem noſtram, ex qua (fauente magnificentia Regis regum) conſumationem negociorum noſtrorum meritò præſtolamur, ueſtra deuotio læta conſurgat, in hoc perſeuerantiæ ueſtræ ſignum potiſsimè prętendentes, quod ſic ad petitum ad pręſens ſubſidium hilares aſſurgatis, ut quaſi pro nobis præteritorum im̃memores, ipſorũ nobis in totũ memoriã relinquatis.

Fidelibus ſuis, de uictoria per filios ſuos habita in Lombardia, & Thuſcia. Cap. XL.

Ex uotiua noſtrorum nunciatione ſucceſſuum, qua expectationibus ueſtris noſtra benignitas ſatisfecit, liquidò potuerunt ueſtri ſenſus accipere, quantum uobiſcũ ſemper miſericorditer egerit dextera Regis regum: & ut uideatis ad oculum, quod hoſtium noſtrorum uerſuta calliditas, diuinis potiùs, quàm humanis exceptionibus collidatur: audite mirabilem diuinæ ſolummodo prouiſionis euentum. Nam cum Marchio montis Ferrati, quem

grata & multiplex beneficiorum noſtrorũ collatio etiam ceſſante affinitatis noſtræ li nea, qua culmen Serenitatis noſtrę contin git, obſequioſum nobis deberet efficere, tractatibus interuenientibus Apoſtolicis, Lugdunenſibus potius quàm Romanenſ. proditoribus noſtris, reconciliatione coniunctus, ipſorum ac Vercellenſium proditorum noſtrorum munitus auxilijs, ciuitatem noſtram Thaurinẽſem à noſtra fidelitate ſeductam, proditoriè occupaſſet, reſiſtentibus tantum palatio eiuſdem ciuitatis noſtris munito popularibus, & quibuſdam de nobilibus ciuitatis ipſius: Fridericus dilectus nepos noſter, quem ad ſuperiores partes Lombardiæ, pro ſalubri ſtatu prouinciæ Maieſtas noſtra præmiſerat, Papienſes, Cremonenſes, Aſtenſes, & Alexandrinos, quos ſibi ſic inopinatus caſus exhibuit, comitatus, ciuitatem eandem tanquam repentè de cœlo ſonus impulit, & in noſtro nomine fugatis protinus Marchione prædicto, & proditoribus uniuerſis, & ferè ducentis ex ipſis noſtro carceri mancipatis, ciuitatem eandem noſtro dominio integrauit. Et uix decendium fluxerat de prædictis, quod cum Ferrariẽſes fideles noſtri: apud Rauennam de mandato noſtro hactenus commorantes, pro con ſeruando ponte in flumine Padi, quo proditori-

ditoribus noſtris Parmeñ. uia omnis ſuccurſus, & ſpes munitionis obſtruitur, de mandato noſtro uocati ad Buccam Tallate (quam Mantuani rebelles noſtri, cum Parmenſibus in ſimul ad impediendum eorundem fidelium noſtrorum Ferrarieñ. traſitum palongatam inuenerũt) peruenilſent: H. illuſtri rege Sardiniæ dilecto filio noſtro exiſtente in ripa Padi ad eorum auxilium, cum multitudine armatorum immiſsis ſecuribus eadem palongata ſucciſa, flumen Padi cum eorum nauigijs uiriliter intrauerunt. Et proditoribus noſtris Mantuanis qui flumen Padi primitus occuparant tenui bello quaſſatis, quinquaginta de eorum nauibus acceperunt, & præter necatos in flumine ac gladio interemptos, trecentos ex hoſtibus prædicto filio noſtro aſsignarunt, quos in proditorum noſtrorum exemplum, ab utraque parte fluminis Padi mandauimus ſuſpendendos. Ad eundem filium noſtrum iterato Maieſtatis noſtræ directo mandato: ut cum Ferrarienſib. fidelibus antedictis Cumanis & Sacoiẽſibus quos pro eodẽ negocio ꝓuiſio noſtra fecerat conuenire, ac Cremonenſib. etiam expertis fidelib. noſtris, qui uerecundũ extimant ſi ſe cunctis noſtris ſeruitijs non im miſcẽt, ad conſtruendũ & optime munien dum pontem eundẽ, cum ſtrenuitate procedat,

Palõga. ſeptũ è palis, perticis, uel ſudib. in flumine factũ: unde Palõgare uerbũ

cedat,omni ſublato dubitationis obſtaculo,& plenè paratis ſingulis ad id facientibus opportunis.Poſt emiſſum uerò noſtrę Maieſtatis edictum de præmiſsis uobis ad gaudium deſcribendis, literas Friderici comitis Albæ dilecti filij noſtri recepimus, continentes qualiter in uirtute Dei & noſtrę felicitate fortunę, partem Guelphorũ Florentię, cui dudum noſtra Maieſtas pepercerat,cum iuſtè ad ipſius exterminium procedere potuiſſet, quæ uelut familiaris &peſtilens Cardinalis Octauianẽſis tractatibus expoſita, Bononiẽſibus noſtris proditoribus aduocatis, ciuitatem Florentiæ per inteſtinum bellum nobis ſubtrahere intendebat,fidelium noſtrorum aſsiſtentibus ſibi ſuffragijs debellauit: & nonnullis captis,quoſdam de ciuitate ipſa uiolenter eiecit. Ex quo totius prouinciæ ſtatus in melius ſine dubitatione dirigitur, & fidelium animi ad fidelitatem noſtram fortius roborantur. Hęc igitur lætabundę noſtræ Serenitatis Xenia fidelitas ueſtra gaudenter accipiat,indubitanter expectans,quod qui dedit nobis hactenus,feliciter currere per ſummum uictorię ſpacium, in proximo brauium gratioſè largietur.

Officia-

Officialibus ſuis quomodo expugnatus fuit ante Parmam, & ut non credant rumoribus. Cap. XLI.

ETſi uolatilis famę proprietas, quę ſolet in proſperis uera loquacitatis argumenta minuere, & in aduerſitatis turbine ſumptis uiribus eundo fictilibus, pręter ueritatis iudicia, ſuę probationis fimbrias dilatare. Nuper de noſtris proceſsib. diuerſis forſan diſcuſſa relatibus, ueſtris auditibus aliquid pręſentarit, ne tamen aliter, quàm rerum ordo ſe habeat aduerſariorum noſtrorum adulteris fulta mendacijs, ſiniſtri caſus quicquam uel enorme de nobis præcurrens adduxerit: Ecce nudam ueritatis indaginem eorum, quæ nobis nouiter contigerunt tenore præſentium uobis amicabiliter referamus. Pridem ſiquidem dum Parmenſium noſtrorum rebellium proterua temeritas, quam per inſtantis obſidionis excidium noſtra Serenitas ad extrema deduxerat, tenuis ſpiritus uegetata ſuffragio laboraret in ultimis, uolẽs in fortunę dubię manibus externis ponere cauſam ſuam quę deſperare interius neceſſariò cogebatur, tractato cũ aliquibus exulibus ciuitatis ipſius quodã fraudulentę machinationis inuolucro. Cũ reſiſtentiæ ſibi fiducia, uel reſiſtendi materia non ſubeſſet, temporis etiam habilitate captata quo partem gentis noſtrę ad fabri-

cationẽ pontis cuiuſdam in Pado, per quẽ aquæ nobis ſeruabatur, dominium, miſeramus, die Martis 18 præſentis menſis Februarij Bernerios quoſdam, ut ad eorum perſecutionem gentem noſtram aduerterent, callide prẹmiſerunt. Sed dum fideles noſtros, quos uirtutis interius animoſitas accẽderat, &in ſimilibus expertos iam plu ries fortunæ placiditas animarat, ad reprimendam huiuſmodi rebellium puſillanimitatis audaciam, inermes & unanimes extra caſtrorum noſtrorum limites, caſus tam ſubitus eduxiſſet. Accidit quòd prius quam ad defenſionem commodã ciuitatis Victorię quam ibidem ſtatio noſtra firmauerat, fideles noſtri regredi potuiſſent, & rebellium eorundem incauta prẹſumptio, quam exulum, ut diximus, occulta proditio uitiabat. Caſtra noſtra cum rebus ibidẽ habitis, ignis incẽdio concremarunt. Nos autem, quos euentus huiusmodi repentina propulſatione commouit, ut uia uobis aliunde liberior ad offenſionem eorundẽ rebellium præberetur, per illius gratiam, qui cõtinuatõ ſuffragio tuetur Imperium ſalubriter cum tota gẽte noſtra eodem die Martis Cremonam aduenimus, ubi per triduum, tam Cremonenſium quàm Papienſium aliorumque noſtrorum fidelium robore concorditer adunato, ſtatim caſtra noſtra

noſtra in obſidione Parmeñ. ex alia parte duximus repetêda. Vbi eorũ ꝑteruiá multo arctius ſolito tenentes obſeſſam, in Dei uirtute cõfidimus, & de fortunę ſolitę quę ſolet gratius arridere dum prouocat, proprietate ſperamus, quod cum noſtra per id noſtrorumq; fidelium ardentius ſint accenſa præcordia, de rebellib. ipſis in proximo uota noſtra infallibiter attingemus. Vnum ueruntamẽ noticiam ueſtram non lateat, quod ſic nos dimittere fortuna nõ uoluit ſuę felicitatis expertes, quin poſt eũdem diẽ Martis, quo ſe peruerſitatis caſus immiſcuit proximo ſequenti die dominico, nos ex parte altera marte gratifico demulceret. Cum enim Hẽricus illuſtris rex Sardiniæ, ſacri Imperij in Italia generalis legatus, dilectus filius noſter, Padi dominiũ, quod uictoria nobis de hoſtib. priſca tribuerat, poſſideret, naues oẽs Mantuanorũ rebellium, quas in friuolũ Parmę ſubſidiũ cõgregarat, potentiæ noſtrę uirtute ſuffultus potenter aggrediens eos uiriliter expugnauit, ita quòd centum de nauibus inter paruas & magnas incaſtellatas, & trecentos de dictis rebellibus, quos in nauibus ſpes fallax incluſerat, pręter peremptos gladio, & aqua ſubmerſos, quorum nõ eſt numerus in captionis parata retia, quæ declinare fuga non potuit, miſerabiliter inciderunt.

Et ſic eorum nauali ſublato præſidio, integrè Padi dominium obtinemus. Sane cum in caſtrorum noſtrorum combuſtione, quam diximus, camera noſtra cum aureę bullę typario, & regni noſtri ſigillo perdita, & amiſſa fuerit, propter quod aduerſariorum noſtrorum per caſum tam horridum effrenata ſuperbia, quæ cauſſam noſtram hactenus rebus ſemper ueritate carentibus, obfuſcauit, per typarij copiam, & ſigilli, multa ſicut firmiter credimus, in honoris noſtri diſpendium, falſa machinatione confinget: Deuotionem ueſtram requirimus, & monemus, quantus ſi prædictorum bullæ aureæ, uel ſigilli munitæ ſignaculis ad uos aliquę literę ſub noſtri nominis titulo peruenirent, fidem eis ſtabilẽ ueſtræ mentis conſtantia cum fidei robore careant, adhibere cuiuſquam uos ſuggeſtio non ſeducat.

Fidelibus ſuis de uictoria habita contra Parmenſes poſt expugnationem ſuam. *Cap.* XLII.

CAſualis uindictæ ſeu potius uictoriæ noſtræ plenè principium, quòd poſt ſiniſtrum caſtrorum noſtrorũ combuſtionis euentum nobis diuina potentia, ſolita noſtris adeſſe ſuffragijs, de nauali Mantuanorum rebellium depreſsione contulerat: pręcedentis ad uos literę noſtrę ſtylo commiſi-

miſimus: ut coram uobis totius rei ſeriem ueritas deſcripta diſſereret, quam fama diuerſis diſcuſſa relatibus potuerat uariaſſe. Nuper autem quòd pugnans pro nobis manus altiſsimi titulis noſtris undique uictoriá gratæ proſecutionis adiecerit, fidelitati ueſtrę tenore pręſentium reſeramus: pridem dum collectis undique uiribus noſtrorum fidelium, quorum celeri fulti pręſidio, ciuitatis Parmenſ. proteruiam per aggreſsiones continuas multò arctius ſolito uictorioſè perſtrinximus, die quodam ad expugnationem duorum caſtrorum Parmenſium, quæ rebellium incauta temeritas ad ſtratæ nobis aditum præcludẽdum, poſt receſſum noſtrum de caſtris uictoriæ occuparat, potenter ſerenitas noſtra proceſsiſſet, accidit, quòd magnam partem Parmenſis militiæ, in friuolum caſtrorum ipſorum ſubſidiam deſtinatam, acies una noſtrorum fidelium ab exercitu noſtro diuiſa per biuium potenter & uiriliter aggrediens, eos in noſtri nominis uirtute uiriliter expugnaũit. Ex quibus centum & ultra gladio uictoriæ peremptis, ſexaginta de melioribus caſus ille ſic ſubitus noſtro carceri aggregauit. In cuius etiam cædis excidio, quod uobis nunciamus ad gaudium, illum famoſum & antiquum proditorem noſtrum Bernhardum Orlãdi Ruſsi, huius

riæ noſtræ ſinum, procedentes aliunde cum uictorioſo exercitu noſtro, ad aliorum noſtrorum rebellium reliquias conterendas. Quod deuotioni ueſtræ ſignificamus ad gaudium, ut de præſentis ſucceſſus proſperitate nobiſcum collætemini, firmam ſpem certamque fiduciam aſſumentes, quod dante domino maioris lætitiæ uos in proximo participes faciemus.

Fidelibus ſuis de uictoria habita contra uolentes iuuare Parmenſes, de exactione pecuniæ.

Cap. XLIIII.

ETſi nobiſcum hactenus, poſtquam à regno diſceſsimus euentu uario fortuna certauerit, eatenus ueruntamen nos ſuperiores in aera felicitas noſtra conſtituit, ut iam non uinci poſſe ſed uincere procul dubio confidamus. Ter ſena proiecimus, uelut qui multitudine pugnatorum, partem aduerſam Parmenſium ciuitatem laborantem in ultimis iuuare uolentem in tantum exceſsimus, ut inter uires noſtras & ſuas, tanquam inter non participantia comparatio nulla uel modica cenſeatur. Vnum ſolummodo nobis ad feſtinam plenam uictoriam deficit, quòd ad ſuſtentationem ſtipendiariorum noſtrorum aliorumque fidelium, quos à remotis Imperij finibus, ad participium uicto-

uictoriæ noſtræ fortiſsimus fidei zelus im paratos & ſubditos euocauit, ſufficientem pecuniam non habemus. Ad quam tamen ex ueſtro ſubſidio, quod nunquam nobis hactenus defuit, ò fideles, tum ex quibuſcunque Curiæ noſtræ prouentibus colligendam, & ad nos etiam cum ſumma feſtinantia deſtinandam, nec minus ut uos de noſtrorum ſucceſſuum proſperitate lætificet, Philippum Veñ. Patteñ. epiſcopum dilectum fidelem noſtrum celeriter incurſim duximus deſtinãdum, ad cuius aduentum prætermittentis Imperium, & affectũ quem ad uos non dominicum ſed paternum habemus, miſſæ perſonę uos qualitas moueat, quã uelut obſequijs noſtris perutilem, à noſtris aſpectibus ſeparamus inuiti, niſi quod eo uſq; nos noſtra neceſsitas perduxerat, ut corporis noſtri partẽ ſi fieri poſſet ſalubriter, & natura permitteret, neceſſariò miſiſſemus. Ad offerendum itaque nobis in hac parte ſubſidium ueſtra deuotio non moretur, quod totum & integrum euicinio uobis hilariter cum palma deſideratæ uictoriæ reddere pollicemur.

Manfre-

Manfredus ſignificans quibuſdam Baronibns uictoriam contra legatum & exercitum papalem.

Cap. XLV.

EXultet iam uniuerſa turba fidelium, exultet totũ collegium dilectorum, exultet inter cęteros animus ueſter,& pro tanta uictoria principis præcipuè gaudeatis. Nouit enim mundus, nec eſt à ueſtra noticia peregrinum, quanta ſupplicationis inſtantia, quanta ſubiectionis reuerentia, pridem rogauimus ſummum pontificem, dominum & ſanctiſsimum patrem noſtrum, qui contra nos alia occaſione potius, quã ex cauſa de morte Burelli de Angleno,in qua inculpabiles ſumus nec conſcij (nouit Deus) ad indignationem indignè ſi dici liceat motus erat,ut erga nos benignè ſe gereret, & innocentiam noſtram ſua gratia non priuaret, apud quem cum nullam poſſemus penitùs gratiam uel miſericordiam inuenire,uelut qui non ex prędicta cauſſa ſolummodo mouebatur, ſed dum liberum regni dominium ſitiebat,ſuffocare credebat ius regni, & euellere totã progeniem patris noſtri, de ſua beneuolẽtia merito dubitantes ab eo receſsimus,& collecto apud Luceriam exercitu potenti, ubi legatus & papalis exercitus apud Fogiam & Troiam exiſtentes, conati ſunt nos multotiens impugnare,dum die Mercurij

curij ſecũdo præſentis menſis Decembris, cum quadam parte gentis noſtræ, & non cum tota noſtra potentia nos contingeret equitare, & in ſuccurſu quorundam ex noſtris, qui prope Troiam ad inſidias latitabant, & eorum mora fuerat ad prædictorũ hoſtium noticiã deuoluta. Ecce ſicut dño placuit euentu fortuito, uel potius Dei nutu, qui ſuperbis reſiſtit, & humilib. dat gratiam, qui deponit potentes de ſede, & ponit humiles in ſublimi, quaſdam inimicæ gentis acies milites noſtri uiderunt, & ſtatim gradientes promptius ad certamen ſicut leones ad prædam, aduerſarios terga dantes uerſus Foggiam ſequebantur: nos uerò trahentes noſtrum exercitum poſt eoſdẽ, quos relinquere nolebamus, quanquam feſtinauerimus iuxta poſſe, tamen nequiuimus in primis ictibus applicare. Nihilominus tamen in campeſtri conflictu durè direq́ue arma noſtrorum cum armis hoſtiũ diſputarunt, & examinauerunt lanceæ lanceas, & gladij gladios ſunt experti. Applicantibus nobis ueruntamen ſtatim definitiua ſententia fuit lata, ita quod fractis hoſtibus, gladio peremptis innumeris, & pluribus captiuatis ferro aperuimus ciuitatem Foggiam, & intrauimus uiolenter: ibi fuit terribilis ſtrages hominum, & cædes rebellium aſpera ſubſecuta,

cuta, quorum omnium fuerat Capitaneus Otho Marchio de Heynburg, ac totus noſter exercitus ſpolijs eſt ditatus. Sequenti uerò mane, cum ad cunterendas reliquias hoſtium, qui apud Troiam remanſerant, cum legato cum magna potentia procedere crederemus, ecce rumor nobis innotuit quòd idem legatus & alij relictis omnibus bonis ſuis diſropati turpiter à Troianis ſe perfugæ ſubſidium abſentarunt. Sicq́ue Deo dantes honorem & gloriam & non nobis liberauimus patriam, & à iugo ſoluimus inuaſorum. Vos igitur ex his in fide regia confortati, mentem & animũ roborate firmiter, ſperaturi quod totum regnum in breui, dante domino, reducemus ad fidem regiam, ac ſtatum proſperum & tranquillum.

Manfredus eiſdem & ſuper eiſdem et ſignificans de morte Iohannis Mori proditoris regis.
Cap. XLVI.

AD renouanda præteritæ feſtiuitatis ſolénia, quam de expugnatione ac expulſione communium hoſtium, præcedentes uobis noſtrę literę portauerũt, prę ſens ad uos accedit epiſtola nouum ſubſequens gaudiũ relatura, quòd per illius gratiam, qui cauſam domini regis, domini noſtri chariſsimi & nepotis naufragari nõ patitur,

patitur, liberata prouincia de faucibus inuaſorum, uniuerſæ ciuitates & caſtra quæ ad ſe falſis ſuggeſtionib. traxerat, ad regiã fidem redeunt, & animi fraganti deuotione ſuum dominum recognoſcunt, ueniam poſtulantes, & eneruante diuina potentia uires hominum, qui ad exhęreditationem Regis nequiter aſpirabãt, ne quam ille malignus proditor Iohannes Morus, qui filiũ illius nitebatur opprimere qui eũ de ſtercore ſuſcitauit, incidens in laqueũ quẽ tendebat, à ſuis iuſto iudicio eſt occiſus, & caſtra Acherentiæ, ſancti Felicis, & Monthecij ac Camiſij cum Cameris exiſtentibus in eiſdem, ad regnum & noſtrum dominiũ deuenerunt. Acceſsit præterea noſtris tripudijs noua materia gaudiorum, quod nobis dictæ uictoriæ feſtiuitatem agentibus, feſtiui nuncij domini noſtri regis diutius expectati ſacras nobis regias literas pręſentarunt, in quibus læti cognouimus exaltationem & proſperum ſtatum eius. Prout ergo nos per eoſdẽ nuncios, & literas ſpeciales, cõſimiles aſſumpſimus lętitias, aſſumatis. In illius igitur fide ſolidam conſtantiam obſeruantes, fideles omnes ipſarum partium ad eius ſeruitia confortetis, prouidentes noſtris laboribus in ſubſidijs opportunis, qui primos ictus ſuſtinentes ab hoſtibus ſumptibus exhaurimur.

Fridericus

Fridericus cuidam nobili ſignificans, ſe iturum in Italiam, ad confuſionem rebellium, propter quod mandat eum equis & armis eſſe paratum.

Cap. XLVII.

ETſi potentiæ noſtræ præſentiam ad Italiæ rebellium aſpirantis exitiũ, per aduerſarij noſtri latentes inſidias, ad eradicandam de regno noſtro cuiuslibet proditionis ſpeciem, prout dudum uolatilis famæ loquacitas, & literarum noſtrarum adiectio frequenter ad tuam deduxere noticiam, tam neceſſariæ cauſæ, quàm utiles euocaſſent. Quia tamen quibuſdam proditoribus noſtris in regno morantibus, ſicut lucidius pridẽ ſcripſimus, debito ſupplicio traditis, & regni negocijs pro uoto iam ſalubriter ordinatis, liberiores ſumus ad gladium, & ad conterendas rebellium noſtrorum reliquias expediti: ne detur eis ex abſentia noſtra gloriandi materia, uel uideatur ex mora noſtra potentia tepuiſſe: quin potius propterea concepta ſpes friuola, uelut in puluerem ſufflantium anulletur, confuſionis ipſorum tempus, bellicis aptum fortaſſe conflictibus anticipare diſponimus, ut eò grauius commiſiſſe ſe doleant, quò noſtræ potentiæ malleo præmaturius ferientur. Cum igitur perſonæ noſtræ non parcendo laboribus, in introitu proximi futuri menſis Februarij, Magnificentia

centia noſtra mouere de regno conſtanter propoſiti tenacitate firmauerit uerſus partes Italiæ, ad contritionem prædictorum noſtrorum rebellium, Aquilarum uictriciũ ſignis explicitis, & noſtrorum fidelium uiribus aggregatis, potenter & magnificè proceſſuri, fidelitati tuæ præcipiẽdo mandamus, quatenus quàm pulchrum ſit pugnare pro fide, quamque decorum dimicare pro domino diligenter attendẽs, robur & animum, quæ in te ſine requiſitione parata inuenire confidimus, feruenter aſſumas. Et ne abſentia noſtra eis efficatiora impedimenta parturiat, ſic in armorum & equorum cum omnibus fidelib. noſtris Iuriſdictionis tuæ, ſis in continuo apparatu, quod Magnificentia noſtra te, & fideles eoſdem paratos inueniens, non parandos: & condignę commẽdationis titulum ueſtræ deuotionis conſtantia conſequatur, nec proceſſum noſtrũ contra rebelles eoſdem, ob defectum apparatus eiuſdem contingat aliquatenus retardari.

Significat cuidam fideli ſuo proſperos rumores de exercitu. Cap. XLVIII.

VT uictorioſi exercitus noſtri proceſſus fidelitatem tuam non lateat, ueritas quę frequenter, ut aſſolet, loquacitate referentium uariatur, præſens te ueridica pagina

pagina doceat, quod dum in caſtris ante Fauentiam, in depopulatione noſtrorum rebellium tam potēter quàm feliciter moraremur, de ipſius loci celeri occupatione ſecuri M. Marchionis Palatini fidelis noſtri, qui conſtantiam noſtram aliquomodo nō falleret, accepimus literas, cōtinentes, quod Mediolanenſes noſtri rebelles, cum Placentinis eorū ſequacibus pro ſuccurſu Parmenſium proditorum noſtrorū, quorum deſiderabilia noſter uaſtabat ignis, & gladius, potenter uenerant Floreſolam: immani ſe uoce iactantes, quod nobiſcum ad congreſſum uenire uolebant, gladiorum noſtrorum potentiam, quam in necem eorum ſæpius experti fuerāt per faſtuoſam quādam ſuperbiam prorſus obliti: cumq; aſsiſtentibus nobis Imperij uiribus, & Cæſareis animis, quòd prædicti rebelles noſtri nos præſumerēt aggredi, Serenitas noſtra duceret indecorum, ut etiamſi belli caſus inciderit, per eorundem ingreſſum attingeremus uiriliter uotum noſtrū. De quo, autore Domino, qui noſtrum tuetur Imperiū, infallibiliter ſperabamus, altiori ducti cōſilio, defixis caſtris noſtris, feliciter uictricia ſigna noſtra direxim9 cōtra ipſos die Lunę 15. pręſentis mēſis Iunij ante Florēſolā: ubi ad perniciē ipſorū, eos cōueniſſe didicim9, figētes felicia caſtra noſtra.

ſtri facie, coram tranſalpinis gentibus poſituri: ac deinde confeſtim repetituri Germaniam, ad motus eius, quos aliquorum infidelium prouocauit iniquitas, ſalubriter componendos. Hoc autem tam ſalubre propoſitum, uelut finem tanto diſcrimini poſiturum, Italicorum & Tranſalpinorum communis opinio omnium commendat, qui glorioſum noſtræ Maieſtatis acceſſum continuis miſsionibus & precum confuſionibus euocātes, deſideratam mundo pacem propterea prouēturam, uel inſurrecturas in petra ſcādali ſeditiones & iurgia nationum infallibiliter aſſerebant. Sed papa propterea de Terræ ſanctæ, proh dolor, luctuoſa deſolatione non curans, quæ Chriſtiani ſanguinis effuſione diſperſa, dum filios deplorat extinctos, iuſtam de hoſtibus exigit ultionem, de qua fidei noſtri cultus diuinitus & doctrina proceſſit, ad infidelium noſtrorum conuerſus auxilia, qui caput hæreſis nutriunt. Etiam profectò uniuerſam Liguriam, quanquam eam noſter enſis opprimeret, infecerat, copioſam ultramontanorum militum comitiuam de pecunia, quæ ſibi nec ad tales uſus, de fidelium manu porrigitur, pro ſuis ſtipendijs ſolidatam, ſubtili quidem, licet malitioſo conſilio, in conſortia Mediolanenſium mittere conatus in caſſum: quo-

rum præſentia uel poſt tergum nobis Italiam traheret, uel proceſſum noſtri culminis per Lugdunenſe conciliũ Germaniam impediret, ſpe fruſtratus omnino de conatibus ſuis irreparabiliter excidit, & turpiter perdidit quod expendit. Comes enim Sabaudiæ, dilectus affinis & fidelis noſter, ac fideles alij perennem Imperij noſtri uictoriam magnanimiter procurãtes, militibus ipſis per anguſtias & anguſta montiũ tranſire parantibus omnem prorſus aditũ in perpetuum obſtruxerunt. Eramus itaq; compoſitis omnibus & rebus ſuccedentibus nobis ad uotum, iam ad iter accincti: quod prædictus comes Sabaudiæ, & Delphinus comes Viennæ, dilectus conſanguineus & affinis noſter, ac fideles alij, ad pedes noſtros humili deuotiõe proſtrati, per terras ſuas iter nobis peropportunum parauerant, & neceſſarijs omnibus effecerãt copioſum, qui cùm repentè fortunam Cæſaream conſtitit proceſsiſſe, quæ nunc demum nobiſcum glorioſius prouenit, cum nobiſcum primò de qualibet conditione contenderit, ſe proceſsibus noſtris circa radices alpium, in ipſo Lugdunenſi itineris obiecit in greſſu, rumoris inopinati de Parmę fiducia rebellionis nuncium proferens quam eiectorũ dudum per nefariæ proditionis offenſam, infidelium repentinus incurſus

curſus mediátibus fraudis inteſtinę ſuffragijs,occupauit. Præbentes igitur neceſſarium firmato uiæ noſtræ proceſſui modici temporis interuallũ, in obſidioné Parmæ uictricia ſigna noſtra conuertimus, totius in ea bellum Ligurię,quod latenter hactenus nutriebat,pro uoto fideliũ potentiſsimè paraturi.nec eſt etenim habilis reſiſtentię locus, quem murorũ non munit ambitus,aut concauitas foſſatorũ,& qué neceſſariorum habilitas copioſa nõ replet: cum propter ſubiti caſus perniciẽ nihil illuc ex propoſito fuerit comportatũ:qué demum fugitiuorum manus timoroſa tuebitur, ſi uires publicæ tuitionis aſſumere nequieerunt, qui propriæ uitæ ſpem hactenus in ſolo fugæ refugio poſuerunt. Cum igitur ex deſcriptione præſentium laborum noſtrorum finem circa Ligurij belli reliquias finaliter & ſpecialiter conterendas, imponere attendamus: præſertim cum de Germania,chariſsimi filij noſtri Cõradi in Romanorum regem electi,& regni Hieroſolymitani hæredis ſe ſuppliciter incuruante mádatis,nullius cauſa dubitationis aſſurgat, ſpiritu confortationis aſſumpto, ſeruitijs noſtris indeſinẽter intẽde. Ac fideliũ noſtrorum prouincię tibi decretę animos, quos abſentiæ noſtræ conſumit anxietas, præſentis lectionis noua lætificent, ſic

quod nos de te & ipſis obſequioſa fidelitas, & fructuoſa deuotio reddant frequentius more ſolito, lætiores.

Fidelibus ſuis, de bello habito inter ipſum & Mediolanenſes. *Cap.* L.

QVantæ audaciæ quantæque temeritatis ſint Ligurum, Excellentię noſtræ rebellium, factiones, ad proximos experientia detulit & loci uicinitas & inueterata fama malitiæ uel nequitiæ pertulit ad remotos: nec latere uos credimus, nec mundus ignorat cauſam longæ noſtrę diſſimulationis, conſtantiam circa eos, ut tolerantia noſtra uerum patientiæ nomen amitteret, & uitiosè notam puſillanimitatis incurreret pro decore uirtutis. Aduertentes poſtmodum, quòd ferro ſcindenda ſunt uulnera, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam, neceſſariò nos ad arma conuertimus, ſomnum dormientis Imperij excitâtes. Cum nec anno præterito, nec præſenti poſſemus rebelles noſtros ad prę ſentis pugnæ diſcrimen trahere, ut de ijs ſimul & ſemel optatam uictoriam haberemus. Caſualiter tamen feliciter contigit, ut Mediolanenſibus & eorum ſequacibus, ad Brixienſe ſubſidium euocatis, ac interiecto inter nos & eos fluminis cuiuſdam obſtaculo, quo ueluti quodam munimine cinge-

cingebantur: ultra flumen Lolij caſtra noſtra reduximus addenda populis & militibus ciuitatum, fidelibus noſtris, ad propria redeuntibus, quos inſpiratæ moræ tædium importunitas temporis detinere diutius non ſinebant, & ad expedita militia tenus ripas ex alia parte fluminis feſtini reximus greſſus noſtros ad pōtes, per quos ipſi redeuntes ad propria redire debebant. Et cum in cauernis morari diutius ultra flumen, rerum ipſos ardēte penuria, non ualerent: Mediolanenſes & ſocij per pontes & uada fluminis tranſeuntes, in apertam planiciem exiuerunt, credentes ſe nobis per ſubſidiū occultę fugę ſubripere. Et dum nos adeò propè conſiſtere non putarent, cum de aduentu noſtro terror & fremitus tanquam de cœlo tonitruum ipſis intonuit, ad præmiſſas noſtræ C. acies: prius etiam quàm aquilarum Imperij uictricia ſigna proſpicerent, in fugam ſic ſubitò ſe conuerterunt, quouſque ad eorum Carocium, quod apud Curtim nouam in eorum celeritate præmiſerant fugientes, faciem noſtrorum inſequentium ſpectare nequirent. Et dum auxiliares acies, & poſt eas nos cum noſtrorum agminum robore, greſsibus feſtinatis, ne ijs qui in leui manu præceſſerunt neceſſario curſu ſuccurrere deberemus, uſque ad themonem ferè Ca-

rocij ex noſtris aliquos uidimus perueniſ-
ſe. Superuenientis autem noctis umbro-
ſa caligine, quam noſtrorum uota longiſ-
ſima ſuſpirabant, tentatum aggreſſum
tantiſper obmiſimus uſque mane ſequen-
ti, diſtinctis tantummodo gladijs ad quie-
tem, ſed tunicis ferreis non exutis, ad in-
dubitatam uictoriam Carocij redituri.
Superueniente luce, inter alias militum &
curruum turmas, qualibet defenſione re-
perimus deſertum, ſummitate perticę, ubi
crux extiterat, detruncata. Caſtrum etiam
Curtis nouæ, cuius munimine ipſos inſul
tus noſtros euadere credebamus, cuſtodes
& incolæ reliquere: nec Poteſtas eorum,
ducis Venetiarum filius, quo duce lugu-
bria ſigna tulerunt, manus noſtras euaſit.
Et, ut multa ſub compendio recludamus,
cum capti tum mortui, inter quos multi
Mediolanenſes, factionum primates & co-
mites, decem milia ferè numero compu-
tantur. Quæ omnia uniuerſitati ueſtræ
ſignificamus ad gaudium, ut prouenire
nouerit, ad augmentum quod ex tenore
præſentium legitur, conceſsiſſe titu-
lum Imperialem ad gloriam
& triumphum.

Regi

Regi Sardiniæ, narrans ei triumphum ſuum. Cap. LI.

ETſi prouenientium nobis in partib. iſtis ad uota ſucceſſuum iam frequẽs ad te Celſitudinis noſtræ litera relatiua peruenit, ut tuæ tamen expectationis affectus noua proſpera ſtatus noſtri continua ta lætificent, præſentium tibi tenore deſcribimus, quod terris omnibus noſtrorum rebellium ingentiſsima depopulatione uaſtatis, caſtra eorum, quæ potentiæ noſtræ proceſsibus uidebantur obſiſtere, ferro flammæque ſubijcimus: & cuncta nobis, ut te breuiter alloquamur, in partibus iſtis ad placitum deſiderabili ſucceſsione reſponderunt. Hæc ſiquidem ſcire te uolumus, & pręſentis lectionis ſapore percipere, ut non ſolum tibi materiam huiuſmodi iucunditatis exhibeant: ſed uelut uera pręſagia futuræ leticiæ firmam fiduciam repræſentẽt, quòd ea tuis auribus infra dies paucisſimos offeremus, ex quibus manifeſtè perpendere poteris, laboribus noſtris in proximo finem laudabilem imponendum.

Significat cuidam nobili de regno ſuos ſucceſſus proſperos & felices. Cap. LII.

SVper eo, q, de fortunatis auſpicijs & felicib. ſucceſsib. noſtris, per noſtras recreari

creari literas ſuppliciter poſtulaſti, uolentes exinde uotis tuis libenter annuere, fidelitati tuæ præſentium tenore intimamus, quòd diuina dextera, noſtris aſsiſtente proceſsibus, feliciter uiuimus, & magnificè triumphamus: & nonnullis ex proditoribus noſtris, qui ſicut famæ præloquio & relatione ueridica credimus, ad tuã noticiam iam deductum, propoſito infauſto in necem noſtram auſu temerario conſpirarant, promeritæ pœnę ſupplicio traditis, & ignominioſa morte damnatis: reliqui, qui ſub defenſionis, quin potius offenſionis eorum imagine, metu terribili, uelut de cœlo fulminis ictu percuſsi, ſe in caſtro noſtro Capuacij receptarant, ſic fidelium noſtrorũ regni clara deuotione ſunt undique circumſepti, ſic continuis machinarum noſtrarum ictibus inceſſanter afflicti, ciſternis & domibus dirutis, propugnaculis omnibus murorum & turrium deuaſtatis: ut tanquam undique coartati, & manus noſtras effugere non ualẽtes, ab ultionis inſtantis & indubitatæ iudicio, ſola ſe ualeant ſpontanea gladij morte ſubducere, uel excelſę rupis ex parte maritimę pręcipitio ſe liberare. Et ſic regni noſtri negocijs iam pro uoto diſpoſitis, ad rebellium noſtrorum & Imperij reliquias conterendas, Italię partes in proximo gladijs uictorioſè

rioſè repetere, feliciter & inſtanter accingimur: cum ad id & uoluntatis noſtræ nos inuitet auiditas, & de Peruſinis & Aſsiſmatibus rebellibus noſtris, nuper obtenta uictoria reddat liberè expeditos. Tu igitur qui tanquam uas puritatis & aromatum cella præcipua, per fidem & deuotionem tuam uniuerſis redolens, per exempla quę nec ſeditioſa ſeductio uariauit, nec laborum commouit immenſitas, nec demum larga ꝓmiſsio potuit à noſtri profeſſione nominis (in qua te natiua ſolidauit antiquitas) immutare: ſingulorum mentes ſollicita, & huiuſmodi noſtræ feſtiuitatis ferias ac aduentus noſtri uigilias, unà cum cæteris noſtri fidelibus ipſarum partium hilariter ſolemniſa.

Comes Simon obſeſſus in caſtro Viterbij, conſiliarijs comitis Caſertani, pro ſubſidio ſuo.

Cap. LIII.

AD referandam nobis ſtrictæ obſidionis ſeriem, & naturam, ac impugnationis hoſtilis inſtantiam, famis & ſitis penurias, neceſsitatum multiplicium, quas patimur & paſsi ſumus miſerias, & preſſuras, ſcribere noſtri calami diutius laborarunt, quòd iam pergamenum & atramentum deficiunt, & utinam quod tanta inſtantia profuiſſet. Sed totiès, proh dolor, uene-

uenerunt incaſſum, quotiens fuerũt literæ deſtinatæ: quia nec dominũ Caſertanum, nec uos ad ſuccurrendum nobis cura ſollicitat, ut uidemus, ſcilicet comedentes panem in ſaturitate, & ſuper ollas carnium reſidentes, ſolatijs intenditis & quieti: & utinam quod pleno ſtomacho de noſtris ieiunijs penſaretis. Excuſatis autem uos, quod uicini aduentum principis expectatis, ut nobis abundantius & tutius ſuccurratis, ueſtris uiribus iunctis ſuis. Sed timemus ne illius uulgaris prouerbij locus adueniat, & utinam non ſuperſit, Dum herba creſcit equus moritur, & dum fugans canis mingit fugiẽs lepus euaſit. Dolemus autem de præfato Comite, ſed de uobis non minus, qui ad conſilium eius adeſtis, quod ea quæ ad Imperij ſpectãt honorem, ſibi non ſuggeritis ut debetis. Ad quid ergo ueniſtis ſi non ſuccurritis prouinciç, atque nobis etiam qui perimus? laudabilius fuiſſet uobis in Apulia, quam in Thuſcia ducere in Solatio dies ueſtros. Sola enim ante aduentum ueſtrum ciuitas Viterbienſis fuerat ab Imperiali fide ſubuerſa: ſed poſtquam ueniſtis euerſa eſt pars maxima regionis, dudum enim homines de ueſtro ſuccurſu ſpem & fiduciã habuerunt, & ſteterunt in fide: ſed poſtquam uiderunt uos deſides & pauentes, ac uires ad eorum auxilium

xilium non extendere quas habetis, à fide protinus receſſerunt. O' quàm uobis & nobis pro uobis dolendũ eſt, quod puſillanimitas ſacerdotum tantas uires ueſtras ſine prælio ſic eneruat. Sanè honorem Imperialem, & gloriã ueſtri uel noſtri nominis minoratis, quia dũ uix ducentos milites tales quales habeat Cardinalis, uos cum mille quingẽtorum militũ comitiua, ei non reſiſtitis prouinciam occupanti: nec nobis, ad quorũ confuſionẽ intendit ſuccurrere feſtinatis. quod ſi de prouincia non eſt cura uobis, de nobis tñ curare debetis, quia caro de carne ueſtra & os de oſsib. ueſtris ſumꝰ. Nũquid neſcitis, quòd ꝓpter uias ſubterraneas, quas fecerũt rebelles maior pars caſtri Viterbij de hora in horã ruitura ſperatur, & nos inſpicimus ex hoc loci poſſe accidere captionẽ. Nũquid.n. noſtrã penuriã ignoratis, cũctis.n. cõmeſsibilib. iã conſumptis, muli & equi clauas ſentiũt propter eſcas? Nũquid non ſcripſimus, ꝙ aqua fontiũ ſuis meatib. extorta, nobis tantũ tres putei remanſerunt in caſtro, præbentes aquã & hominibus & iumentis: & unus ex eis per foſſuras abſcõditas à rebellib. eſt infectus? Nunquid notum nõ fecimus uobis? quòd non ſolum uiri, ſed etiam dominæ caſtri ijs diebus & noctibus non quieſcunt inſultibus & impugnationibus hoſtium laceſsi-

laceſsitæ? Verùm, quanquam ad inuocandum ueſtrum auxilium & ſuccurſum, multas uacuas preces effuderimus & fundamus: ad noſtram tamē excuſationem, uos adhuc uice iſta ex Imperiali parte inſtantiſsimè requirimus, ſub fide & ſacramēto, quo Imperiali coronę tenemini, quatenus uiſis literis dictum dominum Comitem adeatis, omnimodè inducentes eundem, ut nulla mora protracta, nec alio conſilio poſtulato, ad noſtrum ſuccurſum ueſtrrs & alijs, ac ſuis uiribus ſe accingat: & ne ad tātum opprobrium pereamus, ſtatim poſt intellectum tenorem præſentiū, ſigna moueri, & gentem faciat conſequenter, ut hodie ante caſtrū Imperiales Alas uideamus: ſcituri, quòd ſi ſecus Comes & uos duxeritis faciendum, nos Dei & hominum teſtimonium inuocamus, quòd in nobis culpa non eſt, ſed ueſtra deſidia & negligentia, Imperialis diadematis honor perit. quia nos ultra non poſſumus, nouit Deus.

Item comiti Caſertano, ſuper eiſdem: uidelicet ſuper obſidione caſtri Viterbij. Cap. LIIII.

SI multæ, uel de multis aliquæ, quas miſimus ad uos literæ peruenerunt, res admirationis eſt plena, quòd pro conſeruando coronæ Imperialis honore, ad nos celeriter cum ipſo quod habetis exfortio non

non ueniſtis. Nam non ſolum literæ quas frequentius direximus, uerùm etiam rumor & fama publica potuerũt referre, qualiter rebelles in nos ſupra moram hoſtium & nationis barbaræ ſæuientes, inſtanter diebus & noctibus nos impugnant, baliſtis, arcubus, fundis, nec non & machinis, quas in ſummitatibus oppoſitarum nobis turrium erexerunt, cum quibus non tantum lapides iaciunt, uerumetiam fulgurant ſæpe ignem, quorum impugnationibus potenter reſiſtentes, de die potentius & de nocte reſiſtere nos oportet, propter quod uix per horam ſomnum capere poſſumus, uel quietem. Sanè pro ſono principis properantis, & ſtrepitum ueſtri aduentus attrita & attenuata ſunt corda rebellium, & fidelium animi fortius roborati, licet diuulgari faciant proditores, quod nõ uenitis in contradam etſi ueneritis, non ducitis tantam gentem quod poſsitis reſiſtere uel ſtare uicinius contra eos. Quocirca nobilitatem ueſtram, & dilectionem inſtantiſſimè deprecamur, quatenus omnibus inducijs & mora qualibet abdicatis cum ipſo quod habetis exfortio, ſtatim ſi placet poſt literarum præſentium habitũ intellectum, nobis & alijs fidelibus ſuccurrere feſtinetis. ſcituri pro firmo, quod ſi aliquam morã, aliquo prætextu duxeritis fa

A cien-

ciendam uel contrahendam, horrendum, quod abſit, periculum, & damnum inæſtimabile ſine ſpe remedij Imperiũ patietur. Cæterùm, nec collectio gentis contractæ, nec cura inueniendi aliquas gentes, nobis uel uobis forſitan opportunas, uos per diem detineat uel per horam: ſed curis poſtpoſitis uniuerſis, nobis nihil reſcribentes, uos cum ea quam habetis gente, tantũ ad ſuccurſum celeriter accingatis. Talia enim ineſſe ſciatis, quæ non ſcripturæ uel nuncio ſunt cõmittenda, præterea, licet ſuprà dixerimus, quod ui rebelles acriter nos impugnãt, illud tamen uniuerſaliter nõ notetis, quia nondum mota eſt ciuitas per commune, ſed hi ſunt pręcipuè ꝓditores, qui cum ſuis fautoribus, cõſanguineis & amicis, nec nõ cum quibuſdã de cęteris terris rebelliũ conductis precio, ſic inhumaniter certãt utpote de miſericordia deſperãtes.

Tineoſus miles Viterbienſis Imperatori, ſuper eiſdem, & quod celeriter ueniat. Cap. LV.

IMperialis Maieſtas ſeruo ſuo dignata ſacras literas deſtinare, & laudibus extollere famam eius, deferuente feruentiorem efficit, accendens interius, exterius iã accenſum, & firmans in propoſito iam firmatum. Sed quia laus in ore proprio non eſt pulchra, quanta operata ſit & operatur iugiter fides mea, & quanta paſſus ſim & paratus

ratus ſum in noſtro pati, effectus operũ de monſtrabunt:&prius fama quàm perſona me ueſtro culmini præſentabit. Nec indignè corpus & animam,& uniuerſa quę habeo, ꝑ honore diadematis ueſtri expoſui liberaliter,& expono:cùm omnia quæ in terris poſſideo à ueſtra Magnificentia mihi donata profitear , ac ſalutem & uitam (poſt Deum pręcipuè) recognoſcã. Hęc utiq; deberẽt recognoſcere proditores,quorũ oculos diabolus excæcauit in tantũ , ut magis in tenebris quã in luce & potius in timore mortis,quã in ſecuritate uitę,deſiderẽt & eligãt ambulare. Qui poſt Deũ per nos de carcerib.educti,de exilio reuocati, imò de fau :ib.mortis erepti,ciuitati & familijs reſtituti fuerũt,& dũ bonis omnib. abũdarent,omniũ beneficiorũ ueſtrorũ ob liti,ſine iuſta cã recalcitrarũt dilecti ,& in uos patrẽ & dominũ ac redẽptorẽ eorũ,nequiter cõiurantes,ciuitatẽ ueſtrã laudabilẽ ſubuerterũt Nonis Septẽb. Poteſtate & cęteris officialib. noſtris cũ armis acriter fugatis. Vocãtesq; de lõginquo Card. Rayneriũ,& comitẽ Guilh. noſtros ꝓditores , & Imp. nominis inimicos , in odiũ & dedecꝰ ueſtrũ in Viterb. ꝓdictã ueſtrã Camerã immiſerũt:& à pręfata die comitẽ Simonẽ & me ipſũ in caſtello ueſtro Viterbij, dieb. ac noctib. impugnarũt hoſtiliter & inſtanter,

lapidibus,arcub.baliſtis & machinis quas in ſummitate turrium erexerunt. Et col lectis latronibus forbannitis, & perſonis damnatis à remotis partibus, & uicinis, nos circumdederunt ut canes,ad maius etiam uituperium quibuſdam papilionib. antefixis. Proinde Maieſtati ueſtræ flexis genibus, uinctis manibus & madidis fletu genis,ſupplicio,& inſtantiſſima prece rogo,quatenus ad liberandum comple xos,& ad confortandum eos qui adhuc in fide ac ueſtri nominis ſeruitio perſeuerãt, ad conculcandum rebelles, perſonaliter uenire dignemini ad has partes, non minus celeriter quàm potenter,& non conterriti exfortio noſtro promiſſo, ſed faciẽ ueſtram prouinciæ pereunti & noſtris aſpectibus oſtendatis.Firmam enim uobis ſpem tribuo,quòd in aduentu ueſtro felici erunt praua indirecta, & in uias planas aſpera conuertentur, & aſpectus ueſter omnem utique nubilum ſerenebit.

Vniuerſi de caſtro Viterbij, domino Imperatori ſuper eiſdem. Cap. LVI.

ANtiqui patres Chriſti aduentum nõ expectauerunt ardentiùs,quàm nos ueſtrum,ut deſiderata facies Maieſtatis ueſtræ prçterita mala noſtra leniret,dolores tol-

tolleret,&oppreſſos multarum tribulationum aculeis releuaret. Cum deſiderantibus igitur prioribns patribus, deſiderio ardenti precamur, ueni ad liberandum & lætificandum nos princeps uirtutum. Oſtēde faciem tuam,& ſalui erimus. Hoc eſt enim quòd ingemiſcimus, hoc eſt qđ ſuſpiria noſtra quærunt, ſub umbra alarum tuarum ad tempus quieſcere, & coram ueſtris deſideratis aſpectibus comparere.

Capitaneus mandat exercitum congregari, iuxta mandatum Imperatoris ſibi factum.
Cap. LVII.

CVm ad expugnandum de ſyncero corpore Imperij rebellionis inueteratæ fermentum, & infidelium reliquias conterendas,nos bellum indicere & exercitum congregare de iuriſdictione noſtra iuſſerit Imperatoria Celſitudo: ut ad ſecūdum eius mandatum nobis in breui non præfinito tempore faciendum, contra rebelles ſuos cum uictorioſo exercitu in adiutorium Imperialibus uiribus exeamus uiriliter & potenter,oportet nos diem mādati ſubitò pręuenire: ut nos,& uos paratos hora inueniat iuſſionis . Et quanquam ad tam opus laudabile, fidelium ſolatium & quietem,uos ſine mandato, ue-

ſtra deuotio animet &incitet noſtra fides: nos autem circa ea, quæ commiſſum nobis expoſcit officium, & Imperialis programmatis mandat autoritas, inueniri nolentes in aliquo deſides uel remiſſi: uniuerſitatem ueſtram affectuoſè requirimus, Imperiali, qua fungimur in hac parte, uobis autoritate firmiter & diſtrictè præcipiendo mandantes, quatenus in equis armis, tentorijs, tribochis & alijs neceſſarijs, ſic uos paretis celeriter & decẽter, ut quandocunq; nuncio ſeu literis fueritis requiſiti, ad nos pro Imperialibus ſeruitijs accedatis, in depopulationem infidelium animati: quorum terras ſecundum Imperiale mãdatum, uſq; ad exterminium diſponimus impugnare.

Vicarius reſpondet Imperatori, de prædicta congregatione exercitus, & petit pecuniam pro ſtipendiarijs, qui equos & arma obligarunt pro defectu ſtipendiorum. Cap. LVIII.

CVram & ſollicitudinem circa ea quę ueſtra Excellentia mihi iniunxit, & ſpecialiter ad exercitum cõgregandum ex iſtis partibus quibus poſſum Studijs, prout melius potero, habere curabo. Sed ueſtrã nõ lateat Maieſt. quòd Theutonici & Latini, ſtipẽdiarij ueſtri, quòd ad fronteriã urbis poſueram in uetralla (quorũ cuſto-
dia

dia & timore, imò diuina & ueſtra faciente gratia, ab inimicis tuta erat regio, & ſpecialiter ex parte illa, ita quòd deprędationis niſi furtiuę nullatenus diſpendium formidabant) per magnũ tempus ſicut dominus I. Tamburgẽ. commeſtabilis nouit, ſtipẽdia ſua non habentes, detenti pluribus mẽſibus uerbis noſtris: quibus pro redimendis eorum equis, & armis obligatis, pro tranſacto tempore ſub uſuris à nobis mittenda, pro pluribus pagis ſtipendia pollicebar, dum non reperirent in meis promiſſionibus ueritatem, quidam ex eis ad partis aduerſæ transfugium, quibus eadem pars duplicata perſoluit, ſtipendia confugerunt. ſuper quo Serenitatis ueſtræ procedat prouiſio, prout uiderit expedire.

Item ſuper eodem uel quaſi. Cap. LIX.

Corda ueſtra, uelut Imperij fidelium deuotorum de proſperis nouis contingentibus recreari uolentes, de ſiniſtro caſu ciuitatis Parmenſis, qui nuper accidit eorum malitia inſurgente, ut unà nobiſcũ proinde recreari ad exaltationem ſereniſſimi patris noſtri, & ad Parmenſiũ ipſorum malitiam refrenandam, qui uiam rectam ueræ fidelitatis obliti, in ſiniſtrã partem eorum prauos animos conuerterunt, aſſumptis uiribus noſtris ex aliorũ Impe-

rij fidelium iuriſdictionis noſtrę, in manu forti uiriliter procedere intendamus: ueſtra noſcat ſyncera deuotio, & cõmendanda fidelitas, nos à magnifico uiro domino H. illuſtri rege Sardinię recepiſſe literas in hac forma: Nobili uiro Friderico de Antiochia, &c. Henricus Dei & Imperialis gratia rex Turrium & Galluri, &c. uolentes igitur prędicta omnia cum celeritate, qua conuenit exequi, prout decet uos, pro parte ſereniſſimi patris noſtri inſtanter requirimus, & ex noſtra rogamus attentius, & hortamur, quatenus ſtatim receptis præſentibus more ſolito, fideliter & deuota circa Imperialia obſequia, animorũ ueſtrorum curam uigilem, adhibentes, armis & equis apparatum laudabilem faciatis: quẽadmodum magnum & tam grande negocium expoſcit ad præſens. Ita quòd ad aliam requiſitionem noſtram, tam fideliter quàm laudabiliter unà nobiſcum, ſi opus fuerit pro prædictis, ut conuenit, ueniatis.

FINIS LIBRI SE-
cundi.

CAPITA LIBRI TERTII EPISTOLARVM *Petri de Vineis.*

Principibus Alamanniæ, quod ueniant ad Parmam, celebraturi ibidem ſolennem magnã Curiam. Cap.I.

Magiſter Petrus de Vineis excuſat ſe Imperatori, ſuper eo quod accuſatus fuerat à quibuſdam æmulis ſuis. Cap.II.

Panormitanis felicem ſtatũ ſuum ſignificat, & quod de Lombardia rediјt in regnum. Cap.III.

Omnibus ciuitatibus & fidelibus ſuis, de regno Siciliæ, quòd faciant ei ſubſidium, quando primò cum exercitu ſuo Lombardiam uoluerit intrare, Cap. IIII.

Regi Bohemiæ, principi ſuo, ſuper diuerſis exceßib. ducis Auſtriæ. Cap.V.

Capitaneo, ut permittat iudicem ſuum ad propria redire. Cap.VI.

Magiſter Petrus de Vineis cuidam de reditu ſuo ad Curiam. Cap. VII.

Ezelino, reſpondens ſuper iјs quæ ſibi ſcripſerat, ut ad eum maturè ueniret. Cap.VIII.

Florentinis, ut obediant filio ſuo, quem mittit eis in Poteſtatem. Cap.IX.

Magiſtro Petro de Ybernia, de ſtudio Neapolitano. Cap. X.

Inuitat ſcholares ad ſtudium Neapolitanum. Ca. XI.

Capitaneo Siciliæ, ſuper reformatione ſtudij Neapolitani. Cap.XII.
Iuſticiario Terræ laboris, ut non impediat magiſtros legētes particulariter in Grammatica, occaſione ſtudij generalis. Cap.XIII.
Baronib. ſuis, ſuper ſcholis ratiocinij in diuerſis mū. di partibus. Cap.XIIII.
Regi Cypriæ recōmendatio fratris Heliæ. Cap.XV.
Cuidā nobili de urbe, animās eum in fide. Cap.XVI.
Capitaneo regni Siciliæ ut firmus exiſtat in fide, abijciendo omnem rancorem, ſi aliqua friuola fuerūt ei relata. Cap.XVII.
Inuectiuè ſcribit Romanis, qui receperant ſuos proditores, ut ipſos expellant. Cap.XVIII.
Domino Thomæ Cardinali, refert gratias de miſſo ſibi equo. Cap.XIX.
Rex Conradus Panormitanis, de receptione cinguli militaris. Cap. XX.
Regi Anglorum, ſignificat quod uult ire in Italiam, dimittendo filium ſuum in regno uicarium generalem. Cap. XXI.
Regi Francorum exiſtenti in partibus ultra marinis, ut reſcribat ei ſui ſtatus continentiam & proceſſus. Cap.XXII.
Eidem, ſignificat quòd mittit dextrarios & uictualia fratri ſuo in ſubſidium Terræ ſanctæ. Cap.XXIII.
Regi Franciæ, ſuper eiſdem. Cap. XXIIII.
Piſanis, commendans eos quòd proceſſerunt contra occiſores. Cap.XXV.
Regi Caſtellæ cognato ſuo, cōqueritur ei de filio ſuo quòd

quòd furtiuè receſſit ab eo, exiſtẽdo in Curia ſua.
Senatori & populo Romano, confor(Cap. XXVI.
tans eos in fide ſuæ. Cap. XXVII.
Cuidam Capitaneo, ut de partibus illis nunciat ſibi aliqua noua. Cap. XXVIII.
Caloioãni Imp. Græcorũ illuſtri, recõmendãs ei quẽdam. Cap. XXIX.
Cuidã fideli ſuo, ut in cõtinenti ueniat ad Curiam. Ca.
Manuello & alijs fidelib. ſuis, ut non acqui (XXX.
eſcant inanib. uerbis cuiuſdã infidelis ſui. Cap.
Comiti Tholoſano affini ſuo, confortãs (XXXI.
eum ut aſſiſtat ei fidelis. Cap XXXII.
Duci Venetiarum, animans eum, ut perſeueret deuotus in fide, numerando multa ſeruitia impenſa ſibi per eum & Venetos. Cap. XXXIII.
Item duci Venetiarum. Cap. XXXIIII.
Comiti, ſuper eodem, uel quaſi. Cap. XXXV.
Fidelibus ſuis Terræ laboris, ſuper conſtitutione ciuitatis nouæ. Cap. XXXVI.
Elegantiſſimum dictamen inter magiſtrum Petrum de Vineis, & dominum Ioannem archiepiſcopum Capuanenſem. Et primò conqueritur idem dominus Archiepiſcopus, quod magiſter Petrus non uiſitauit ipſum per literas ſuas. Cap XXXVII.
Idem eidem, & ſuper eodem. Cap. XXXVIII.
Excuſat ſe magiſter Petrus de Vineis, ſi non ſcripſerit, eò quod idem Archiepiſcopus ſibi non ſcripſerat, cũ ſcripſiſſet alijs, ut patebat. Ca. XXXIX.
Item ſcribit ei dominus Capuanenſis, & in iſta epiſtola laudat eum, & poſtea mordaciter reprehendit. Cap. XL.

Magiſter

Magiſter Petrus de Vineis confitetur ſe culpabilem, unde petit ueniam. Cap. XLI.
Concludit dominus Capuanenſis, & conſolatur eum, laudando eum de dictamine. Cap. XLII.
Capitulũ Capuanenſium, regratiatur magiſtro Petro de Vineis, quòd aliquid petit ab eis, & recommendat ſe ſibi. Cap. XLIII.
Magiſter Petrus de Vineis, cum magnis preconijs extollit nomen Imperatoris. Cap. XLIIII.
Magna laudum preconia, de bonitate magiſtri Petri de Vineis. Cap. XLV.
Reprehendit amicum, qui promiſſum non dederat. Cap. XLVI.
Regratiatur communium Mantuanenſium dolentib. de caſu regis Sardiniæ. Cap. XLVII.
Quod regnicolæ, qui regnum exiuerant, & in Imperio commorantur, ſecurius reuertantur. Caput. XLVIII.
Cuidam communitati commendatio de ſeruitijs exhibitis, & ut credant nuncijs. Cap. XLIX.
Reſpondit cuidam nobili, fideli ſuo, ſuper petitis. Caput L.
Capitaneo, ut concedat licentiam abbati uendendi de bonis ſuis pro debitis exoluendis. Cap. LI.
Reſcribit quibuſdam fidelibus ſuis, commendans eos de præteritis, & animans ad futura. Cap. LII.
Reſcribit ad uotum cuidam nobili, petenti filium ſuũ captum inter Parmenſes protinus liberari. Caput LIII.
Reſcribit cuidam nobili, & petit certificari de quibuſdam Cap LIIII.

Reſcribit Capitaneo,& redarguit eum de ſimplicitate,quia detinuit quendam uocatum ad Curiam.Caput LV.

Mandat expreſſè cuidam nobili quod ueniat ad eum, ſicut aliàs multoties ſibi ſcripſit. Cap.LVI.

Communi Papinienſium,ut non grauent conciues ſuos exiſtentes in officijs Curiæ extra terram. Cap.

Cuidam cõmunitati,ut credant nũcijs quos (LVII.
mittit pro arduis negocijs. Cap.LVIII.

Item ſuper eodem,uel quaſi. Cap.LIX.

Item cuidam ſuper eodem, reprehendit eum quia negligenter ſe habuit. Cap.LX.

Regratiatur cuidam communitati de oblata pecunia & uult quod cedat in collecta eis poſita Ca.LXI.

Cuidam communitati commendatio de deuotione,cũ inſinuatione proſperi ſtatus. Cap LXII.

Capitaneo ut mittat nomina poteſtatum,uicariorum & caſtellanorum ſuæ iuriſdictionis,& ſalaria eis debita annuatim. Cap.LXIII.

Magiſtris rationalibus ſuis, de executione mandatorum,& alijs rationibus ſui officij ab officialibus exigendis. Cap.LXIIII.

Eiſdem,ſuper ratiocinijs ab officialib. exigendis,uel audiendis. Cap.LXV.

Magiſtro Maſſariorum ſuorum in Apulia, de ipſorũ reformatione. Cap.LXVI

Mittit magiſtris & ſcholaribus Bononienſib. *libros Ariſtotelis, de Græco & Arabico in Latinum per eum nouiter translatos.* Cap.LXVII.

Reprehendit iuſticiarium,& acerbè minatur eidem, *quia*

quia nimis tepidè ſe gerit in officio ſibi commiſſo. Cap. LXVIII.

Reſponſiua iuſticiarij, ad Imperatorem, & excuſat ſe de obiectis. Cap. LXIX.

Panormitanis fidelib ſuis ſignificat lætitiã de nato filio. Cap. LXX.

Eiſdem, de nata filia. Cap. LXXI.

Senatori & populo Romano, ut mittant proconſules ſuos ad eum, quibus honores & officia uult cõferre. Cap. LXXII.

Significat quibuſdam magnatibus ſe citò iturum ad partes eorum, & roborans eos in fide ſolita. Cap. LXXIII.

Significat Cremonenſibus fidelibus ſuis, proceſſum ſuum de regno in Romaniolam, & ſe liberatum ab infirmitate. Cap. LXXIIII.

Regratiatur ciuitati, quod eligentes familiarem eius in poteſtatem, ſuum uicarium multipliciter honorarunt. Cap. LXXV.

Ciuitati, quod parent nuncios remittendos Cremonã, ubi intendit Curiam celebrare. Cap. LXXVI.

Rex Conradus ſignificat aduentum ſuum de Alamannia in regnum. Cap. LXXVII.

Item, ſignificat ſe iturum contra rebelles, & animat in fide fideles, narrando magnitudinem ſui exercitus. Cap. LXXVIII.

Idem ſignificat Cremonenſibus, ſe regnum pacificè poſſidere, & ſe iturum in Lombardiam, & ut pareant uicario. Cap. LXXIX.

Ciuitati, ut faciãt guerram Mediolanenſib. donec iuerit ad eos, cum paratus ſit ad iter. Cap. LXXX.

Magiſter Petrus de Vineis, magiſtro R. ut uadat ad Curiam. Cap. LXXXI.
Aretinis fidelibus ſuis, ut parent ſe armis & equis, cũ expeditis iam negocijs Lombardiæ, intendat ire in regnum. Cap. LXXXII.
Eiſdem, ut mittant quatuor de ſapientibus uiris ſuis ad eum, ſuper petitis conſilium impenſuris. Caput LXXXIII.
Capitaneo reſpondet, & cõmendat eum de proceſſu habito per eũ, et inſtruit qualiter ſit proceſſurus. Cap. LXXXIIII.
Vicario, ut diffidat Ianuenſ. rebelles Imperij, qui mẽtiti ſunt fidem quam promiſerant. Ca. LXXXV.
Narrat communitati rumores, & petit ut mittat ad exercitum communes bellatores. Ca. LXXXVI.
Super eodem ſcribit Mutinenſibus fidelibus ſuis. Caput. LXXXVII.

EPISTO-

EPISTOLARVM PETRI DE VINEIS LIBER tertius.

Principibus Alamanniæ, quod ueniant apud Parmam, celebraturi ibidem ſolennem Curiam. Caput I.

DVm debitorum noſtrorum Chirographa legimus, dum Calẽdarij noſtri nomina diligentiſſimè perſcrutamur, & nos debitores alijs euidenter agnoſcimus, & aliorum nos eſſe proſpicimus creditores: hinc igitur pulſantis ad oſtiũ iuſta nos urget inſtantia, ne fœnore prægrauemur: hinc ad exactionem debitorum noſtrorum pericula, & immiſcens ſeſe negocijs mora nos prouocat ne ipſæ pereant exactiones. Ab illo namque bono patrefamiliâs, protinus & inſtanter à nobis exigitur debitum, qui peregrè proficiſcens, peculium ſuum ſollicitudini noſtræ ſuppoſuit, cui talenta quæ tradidit reddere cogimur duplicata. Sed & uerſa uice nos excitat Cæſareæ fortunæ faſtigium, ut ab eis, quos Romanę ditionis habet Imperium, ſubiectionis & obedientiæ debitum exquiramus. Mirabile tamen utrumlibet cõditionis eſt debitum, ſi ſubtiliier intuemur,

mur, cuius ſolutio debitoris emolumenta non minuit, auget fidem : imò ſoluenti magis creſcit in cõmodo, quàm ſuſcipienti proficiat in augmento. Cęterùm ſi in eo, prout tenemur, ſatisfaciamus proponenti, & propoſiti diligenter officium impendamus, & temporalis honoris ſtipendia quęrimus, dum clarificamur in fama, & retributionis ęternę fiduciam capimus, dum proficimus in ſalute, in iuſſu dominico, quæ ſunt Dei Deo, & quæ ſunt Cæſaris Cæſari perſoluendo. Emolumentum enim ſolutionis in tantum ferè ſoluenti relinquitur, dum recipienti etiam magis commodi & honoris acquiritur, quàm uexationis & oneris aggregetur. Ea namq; ſunt omnia, ſi uerum reſpicimus, ſubiectorum grata leuamina, quæ ſunt etiam principatus: in hoc enim gratia regis extollitur, ſi in quiete pacis populum dirigat, & in iuſticiæ uigore conſeruet. A' quorum prima non ſine regnantium ſalutis & uitæ diſcrimine liberatur. Legimus namq; plures pro quiete publica, populorũ labores eximios aſſumpſiſſe: nec ex toto ſecura iuſticia: per reges & principes miniſtratur, qui dum inferiores indicant, ipſi ſuperiori iudicio reſeruantur. Et quãquam tanti ſolicitudo myſterij, quibuslibet terræ principibus debeatur, Romani tamen Imperij ueneranda ſubli-

mitasquę in omnib.pręſentiũ oculis,uelut in ſpeculo,collocatur,tãtò perfectius zelari pacem compellitur, quãtò tenet inſtantiùs uacare iuſticiæ ſubditorum. Vt quam totius orbis ambitus quodammodo debita deuotione depoſcit, quaſi à nobis præſentibus obtineret, cuius naturæ tam ſpiritus quàm effectus uelut fidelis & prudens ſpiritu uiuit Imperij, ut eo languente langueat, & ipſo proſperante lætetur. Nec ſolum in tẽporalibus ſolatijs Chriſtiani populi,tenebras Romani ſceptri fulgor illuminat:ſed & catholicæ fidei fulcimẽta nõ leuia ſubminiſtrat.Cum etiam matrem eccleſiarum omnium Apoſtolorũ ſedem,infra totius Imperij uiſcera collocatã,à qua eccleſiæ urbium ſingularum, & locorum quorumlibet autoritatis inſignia trahunt: exemplis hæreticorũ perfidis, uel aliquorum iniurijs concuti non permittat. Propter quod gratiſsimũ offerre uiuo Deo putamus obſequiũ,ſi zelo laudabili & cõſtanti propoſito,ad totius Imperij ſtatum pacificũ,tãtò libẽtiùs aſpiremus quãtò clariori præſagio hoc de cœleſti colligimus uoluntate. Nec.n.ob aliud credimus quod prouidentia ſaluatoris ſic magnificè,imò mirificè dirigat greſſus noſtros, niſi quòd uoluntati Dominicę diſpoſiti, in uotis ea perficere gerimus,per quę Chriſti ſpõſa, eradica-
tis

tis zizanijs, ſalubriter gubernetur. Sic, quõdum ab Orientali zona regnum Hieroſolymitanum Conradi chariſsimi nati noſtri materna ſucceſsio, ac demum regnum Siciliæ, præclara maternæ noſtræ ſucceſsionis hæreditas, & præpotens Germaniẹ principatus, ſic manu cœleſtis arbitrij nobis aſsiſtére, pacatis undiq; populis, ſub deuotione noſtri nominis perſeuerãt. ſic illud Italiæ medium noſtri undiq; uiribus conculcatum, ad noſtræ Serenitatis obſequia, & Imperij redeat unitatem: quod nihil uobis reſtat uel modicũ peragẽdum. Nec in hoc prouidere tantummodo commodis noſtris intendimus, ſed in hoc crucis negociũ directiſsimè procuratur, dum rebellibus noſtris circa partes Italiæ in gremiũ noſtrẹ gratiæ reuocatis, diſcordias multorum nobiliũ deſiderato fine prẹcidimus: qui uota ſua in aduentu huiuſmodi ſuſpenderunt: ne crucis ſignaculo præſignitos, Chriſtiani cruoris effuſio, licet iuſta, ob debitum & honorem Imperij & regni Siciliæ, macularet. Nos etiam, de cuius manu potiſsimum circa prædicta præſtolatur præſidium, ſine tacita ſaltem redargutione multorum relicta, in tam nobili regione Imperij noſtri corporis lacerati, diſsimulata ueteri rebellione rebellium, aſſumere tantum negocium non poſſemus.

Deſinente etiam ipſius Italiæ ſuprà dicta diſcordia, ad honorem Dei & Imperij laudabili fine ſedanda, grande producere ſperamus auxilium Terræ ſanctæ, quæ uelut incolis populoſa, uicina maritimæ, glebęque cultu fructifera, & in opportunitatib. omnibus ſe utilem nimium exhibebit. Ad hæc igitur omnia ſalubriter procuranda, noſtris non indulgere laboribus, nec parcere ſumptibus diſponentes, æſtate pręſenti perſonaliter cum noſtris principibus intrare condiximus Lombardiam. Ad hæc cõſiderationum noſtrarum aſsiduos cogitatus potiſsimè dirigentes, ut eradicata in Italia hæretica prauitate, iura Imperij reformemus ibidem: & ut pacem, diſcordiarum ſchiſmatibus fatigatam, & quibuslibet paſsis iniuriam ſine acceptatiõe qualibet perſonarum, iuſticię copiam miniſtremus. Scimus etenim, ueritate teſtante, quod nihil malignum aduerſari poterit, dum iuſticiæ ſolio pręſidemus, ut ad expiandum inimicorum fidei peculiare flagitium in partibus tranſmarinis, de communi Tranſmontanorum & Italicorum conſilio, uotis communibus unanimiter aſpiremus. Ad quod ueſtrum præcipuè, & totius Chriſtianæ uniuerſitatis præſidium, noſtra non tantum utilitas ſed ipſa neceſſitas inſtanter inuitat: cum treugarũ finis,

quas

quas nos in ipſis,partibus exiſtentes iniuimus cum Soldano,ferè in gremijs habeatur. Quare de noſtrorum conſilio principum, apud Parmam ſolennem Curiam duximus indicendam,ad quam ab urbe citra omnes urbium Italiæ nuncios inuitamus. Ibique quàm plures nobiſcum principes noſtros habebimus in honorabili comitiua:legatos etiam omnium regum Occidẽtalium partium, quos ferè omnes affinitatis nobis uinculum unanimes iam effecit, ibidem proculdubio nos credimus habituros. ut intentionis ueſtræ ſalubre propoſitum, quod de ſubſidio Terrę Dei,reformatione iurium Imperij, & Eccleſiæ & Italię, & ſtatu pacifico regionis:pia mente concepimus, in ſolennem & publicam prodeat notionem. Etſi tanta rebellium fuerit inuenta proteruitas,quòd nec ad Deum nec ad decus Imperij & Eccleſiæ uelint habere reſpectũ, tam celebris tribunalis in eos materialis gladius exeratur: qui nulliusappellationis remedio ſuſpendetur, ſed in rẽ tranſiens iudicatam, effectum(dante Domino)debitum eueſtigio conſequetur: ut in omnibus antiquus & debitus mos, & honor Imperij conſeruetur. Ecce quod ante faciem noſtram de principibus noſtris aliquem præmittemus,cui plenariam dabimus poteſtatem,uniuerſitates quaslibet

ac etiam perſonas ſeculares extra culminis noſtri gratiam, in partibus Imperij exiſten tes, in plenitudinē noſtræ gratiæ recipere, prout honori noſtro, & Imperij uiderit expedire. Illo pręſentibus expreſsim inſerto, quod nos promittimus inuiolabiliter obſeruare, & obſeruari ab uniuerſis & ſingulis Imperij fidelibus & principibus faciemus, quicquid de reſtauratione gratiæ noſtræ cum quibuslibet uniuerſitatibus & perſonis per ipſum exciterit ordinatū: nec minus honori & uolūtati noſtrę ſatisfactū habebimus, quicunq; , dicto principe mediante, gratiā noſtram debita deuotione depoſcit, quā immediatè ſi à nobis ipſam præſentibus obtineret. Tu uerò uelut fidelis & prudens, te ipſum ueniendi ad Curiam ſuprà dictam honorificè præpares, poteſtatibus, conſulibus, conſilijs atque communibus Cumanis, Mediolanēſibus, Pergamenſibus, & Vercellenſib. & Alexandrienſibus, Brixienſib. & Laudenſib. ciuitatum ex parte noſtra præcipiēs, ut Ambaſiatores ſuos, ciuitatum ipſarū autoritate munitos, in dicta Curia ad noſtram ſtudeant præſentiam deſtinare: qui ex parte uniuerſitatum ſuarum, tam ſuper Terræ ſanctæ negocio, quàm ſuper reformatione Imperij, & iuſto ac pacifico ſtatu Terræ, noſtris & Imperij ſe mandatis expo-
nant.

nant. Scripſiſſemus itaque prædictarum uniuerſitatibus ciuitatum, niſi quòd commune in poſterum conſilium principum crederet, ut deuotionem ipſarum Imperialium apicum ſcriptura præuenerit, nec noſtra præſcriptio literarum, meritò poterat illis gratiam noſtram exponere, qui eam aſſequi non nituntur. Nos enim gratis auſpicijs, in feſto b. Ioãnis Baptiſtæ proximo nunc futuro, Aquilarũ uictricia ſigna mouebimus apud Auguſtam: ſubſequenter in feſto beati Iacobi dictam regere Curiam diſponentes, illo nobis uiam feliciter oſtendente, qui nouit proſperum iter dirigere, ac facere quidquid uolet.

Magiſter Petrus de Vineis excuſat ſe Imperatori, ſuper eo quod accuſatus fuerat à quibuſdam æmulis, ſuis. *Cap.* II.

Vobis, non alij (pie Cęſar) cedit ad gloriã & honorem, quòd me totiens redditis per ueſtras literas glorioſum: quaſi dignus ſim, qđ de gloria ueſtra glorificer, & de proſperis ſucceſsib ueſtris exultẽ. Equidem nihil mihi ſic optabile poſſet afferri, ſicut incolumis ſtatus, felix proceſſus, & in ſignis triumphus eius, à quo ſum, & ſine cuius iudicio nihil ſum, ſub cuius umbra uiuo, magnificor & honoror. Hęc inquã dum me contingunt, nihil ex me mihi remanet,

quod me beneplacitis ueſtris non obliget, & mandatis exponat. Et nouit Altiſsimus, quòd in his uiuere, ſub ijs ſeneſcere cupio, & dum modo mori placeat concupiſco. Ad hęc (clementiſsime principũ) ne celem in me quod uel data uenia timens loquar, quòd in literis ueſtris, quidã me fauor terruit: uidelicet, ubi dicit, hortãdo mãdamus quatenus circa ſeruitia noſtra, & maximè rationum noſtrarum te geras more ſolito ſollicitum, & attentum, quia licet tibi ſuper ijs ſocios adiunxerimus, Serenitas noſtra tamẽ tibi tantummodo noſcitur inhærere. Fateor domine, quòd ex uerbis iſtis fauor grandis reſultat, niſi contrarium innuant, quòd pigrum ſcilicet arguant, uel fereant negligentem. Ad quòd ſi eſt delator, aggreditur uox libera innocentem, & ſi homo uel angelus eſt, qui ſibi ſuper his placuit, etiamſi nomen habuit, tamen anhelitum perdidit inter filios ueritatis. Et certus ſum, quod quantumcunque ſit de latere, qui cõtra me laſciuiat, ſi uotis meis Altiſsimus faueat, ut pedibus ueſtris aſsiſtam, iniquitas aduerſus me oppilabit os ſuum. Det autem dominus & citò, uaniloquijs iſtis finem, ut uiſus eorũ uos doceat, & relatus moram abbreuiet, patrem ad filium benefactorem, & dominum ad fideles reducat.

Panor-

Panormitanis, felicem ſtatum ſuum, & quod de Lombardia rediјt in regnum. Cap. III.

INnatum uobis placidæ deuotionis affe ctum, quem ueſtrarum literarum ſeries perlecta deſcripſit ac prouidi uiri ueſtrę uo luntatis interpretes coram nobis ſecretiùs expreſſerunt, fauorabiliter proſequi, fidelitatis autoritas illa uos allicit, quam gene ralitas antiquitus radicauit in Siculis: & ſpecialiter gratifica propagauit in uobis. Et licet non expediret ueſtræ Serenitatis iudicia literis aut nuncio uel uoce depromere, quam ſeruitiorum & operum rectitudo dilucidat, & gratiam noſtris affectibus actualiter repræſentat: eo tamen liben tius ad uniuerſitatis ueſtræ commoditatem inducimur, quo zelo piæ deuotionis accenſi, mandatis noſtris ſemper annuitis, & ſemper de perſonæ noſtræ ſucceſsibus exquiritis recreari. Ad hoc igitur, ne dum uos noſtrum timere dominium, ſed quòd eſt in ſubditis uirtus eximia, noſtram uos affectuoſiùs honorare perſonam probabili ter experimur: ſicque ad noſtra uos redditis uota perſpicuos, quod per uos alios tan quam per debitum ac commoda noſtra beneuolos inuocatis. Ecce itaque petitionibus ueſtris, conſona uotis noſtris, de ſtatu noſtro noua deſcribimus, quòd faciēte dextera Regis regum, corporali gaudemus

beneficio ſoſpitatis, & corporis noſtri mēbra, dudum in Italicis partibus laboribus bellicis fatigata, regni noſtri quiete deliciosè reficimus: & ad noſtrorum detrimēta rebellium, ſtatumque fidelium pacificū procurandum, continua, quin potius ſtudioſa deliberatione, penſamus.

Omnibus ciuitatibus & fidelibus ſuis, de regno Siciliæ, quòd faciant ei ſubſidium, quando primò cum exercitu ſuo intrare uoluit Lombardiam.

Cap. IIII.

IN inuidiam omnium nationū, quę quibuslibet orbis regibus & terræ principibus ſunt ſubiectę, non ſolum debitæ fidei, ſed innatę cuiuſdam affectionis zelum fideles regni Siciliæ ſemper ad dominos habuerunt. Sed poſtquam ad regni nomē terræ tam nobilis ambitus, quàm inter ſe per uicarias occupantium iniurias Romanorū & Græcorum Imperia placidis finibus diuidebant, uirtuoſa maiorum noſtrorum & prima conſolidatione peruenit in tantū regiæ dignitatis nomen, & ſolium dilexere regnicolæ, ut eiſdem anteceſſoribus noſtris, ab eis in reges & dominos adoptatis, & fideliter acquiſita defenderent, & uirtuosè ſubijcere populos barbaros conarentur. Et, licet ex memoratæ uirtutis initijs proge-

progenitorum fœcundata noſtrorum ſatis extiterit generoſa plantatio: hanc tamen ſub creationis nouæ propagine, quæ naſcentibus in regno coaluit, nec inferiorem induſtria credimus, nec ſtrenuitate minorem. Sanè cum ætatem noſtram diuina potentia tanta felicitate dotauerit, ut ad regem noſtrum ueſtræ dilectionis lacte nutritum, & ueſtris uberibus ablactatum, Romani culmen Imperij cœleſti conſilio perueniſſet, uos ſtrenuè bellantes cum ipſo ad ſubiugandum ſibi perfidiæ rebellionis audaciam, uires & animos aſſumpſiſtis. Cumque colliſis multorum potentium uiribus, qui non nobis, imò diuino iudicio noſtram iuſticiam dirigenti, temerariè reſiſtebant, ad obtinendam Romani imperij monarchiam, Italiæ quædam factioſa collectio, quæ uelut in granario lolium, & putredo remãſerit in ſentina. Nos, ad cuius expugnationem animoſa Germania plenè noſtris expoſita manibus, ſe ſatis uiriliter & potenter accingit, expertes uos tantæ uictoriæ fore non ſinimus, nec iudicamus indignos: maximè cum credimus quòd inter totius Imperij noſtri præſidia hæreditarij regni noſtri nobis effectus lucidiùs debeat apparere, nec ſucceſsionem noſtram generoſitatis à iure ſic uolum9 habere degene-

generem, ut ad conterendā perfidiā Lombardorum uos parentum ueſtrorum ueſtigia ſubſequi non uelimus, ut Aphricam aut alias exteras nationes prædeceſſorum noſtrorum more, ditioni noſtræ ſubijcere. qui ne dum fortunæ terrenæ diſcrimina, ſed & marinæ nauigationis ambigua tentauerunt. In illo ueruntamen priorum noſtrorum uias & ſemitas ſubſequi deuitamus, quando innumeroſa multitudine ſæpiſsimè regnum in hominibus uacuabāt: rerum non contentis ſubſidijs, ſed fidelium corpora remotis plerunque fortunæ diſpēdijs exponēdo. Verùm ut ipſorū intētio apud nos excuſatione nō careat, uobis hoc eſt non neceſſarium, ſicut neceſſarium erat eis. multas.n.nobis perſonas Germania germinat, per quas uobis parcere poſſumus, ex quibus uti debemus ſecurè in talibus non ignotis. Tacere ueruntamen hoc ſine conſcientiæ pondere non poſſemus, quòd inter alios, quos nobis undiq; diuinæ potentiæ dextera ſubiugauit, perſonas ueſtras nobiſcum libētiùs haberemus: utpote qui de ueſtræ circumſpectionis induſtria & fide probata fiduciam gerimus pleniorem. Deeſſe tamen propter uos nobis in hac parte libenter eligimus, indubitanter æſtimantes, quòd qui gratiosè uobiſcū ueſtris parcendo corporibus agimus, in li-

beralī

berali ſuſtentatione rerum ueſtrarum, gratiæ noſtræ præmium hilariter repenſetis. Denique cùm hac uice congregatis undiq; uiribus, cum tanto exercitu Italiam ingredi diſponamus, ut humiliata ſimul & ſemel proteruia noſtrorum rebellium, quietem nobis, & uobis ac poſteris etiam præparemus: cumque tam magnũ negocium ſine magnis expenſis nequeat expediri, uniuerſitatem ueſtram tenore præſentiũ exhortamur, firmiter iniungentes, quatenus ad manſuetudinis noſtrę gratiã, quam in ſubminiſtratione rerum pro perſonarum diſpendijs permittamus, nec non ad magnitudinem tantæ rei, in qua ferè totus amoris noſtri cumulus aggregatur, haben do reſpectum ad requiſitionem, & ordinationem dilectorum fidelium noſtrorum: hęc in ſubuentione pecuniæ ſicque honorificè atque magnificè prouidere curetis, ut ueſtrorum prædeceſſorum ueſtigijs inhærentes, qui nos & prædeceſſores noſtros tenerrimè dilexerunt, laudabilis operis experimento probemini: nosque perſpicaciter uideamus uos bonorũ noſtrorum ſollicitos & attentos eſſe amatores: & ut nobis præſentibus affectionis noſtræ zelo ualeamus aſcribere quicquid nobis abſentibus noſtræ perſonæ reuerentiæ conferetur.

Regi

Regi Bohemiæ, principi ſuo, ſuper diuerſis exceſſibus ducis Auſtriæ. Cap. V.

INuiti trahimur ad tuam & aliorum noticiam principum, aduerſus Henricum ducem Auſtriæ materiam publicæ queſtionis afferre: cuius leuitas ducta motibus inconſultis, adeò proceſsit in publicum, & eius temeritas contra honorem noſtrum & Imperij dignitatē, uerbo & opere attentata, nos tā grauiter prouocauit, quòd trāſire non poſſumus ulteriùs incorrectos ſuæ leuitatis exceſſus. Reuera quia diliximus patrem ſuum merito paterni ſeruitij, cordi nobis eſt & curæ in eundem Ducem & filium eius, fauorem paternæ dilectionis effundere, & affectionem noſtram iuxta ſuum commodum, & honorem oſtendere cum effectu. Itaque cùm apud Rauennam Curiam indixerimus celebrandam, uocauimus ipſum, ſicut cæteros principes, ut ueniret, proponentes eum amore paterno recipere ac fouere. Sed maiori parte principum, in multis laboribus & expenſis uenientibus à remotis, ipſe, qui opportunus uenire poterat, ſuum denegauit acceſſum. Deinde nobis tranſeuntibus Aquilegiam, cum eum ibidem uidere uellemus, uocatus uenire pueriliter recuſauit. Quod & nos habentes reſpectum ad paterna ſeruitia diſsimulare uoluimus, ætatis ſuę motibus

tibus aſſcribentes, quin potiùs ut eo non recederemus inuiſo, contulimus nos perſonaliter ad terram ſuam portæ Nouę, quam habebat in foro Iulij. Et ibi moram trahentes, miſimus pro eodem, ut ſi moleſtum ſibi fuerat, in ciuitatibus noſtri Impe perij nos uidiſſe, ad terram ſuam pro nobis accedere non uitaret. quem ueniētem uenerabili affectione recepimus, ſatagētes ei uerbo & opere cōplacere. Tantam inſuper ſibi gratiam facientes, quod pro ſopienda lite, quam in exactione dotis ſuę, filius noſter Conradus contra eum iure & uiribus attētabat, octo milia marcharum promiſimus exhibēda: non omittentes ei ſatisfacere de pulchris equis, & alijs donatiuis, ac libentiſsimè procurare parati, quę ſuis grata eſſent affectibus & accepta, ut eū redderemus noſtris aſpectibus gratiorem. Nuper autem in Alamanniam uenientes, quia de ipſo fiduciam habebamus, non dubitauimus perſonam noſtram in terram ſuam Stiriæ committere, ut ei daretur maior de noſtra gratia præſumptio, ac ipſe ad noſtra beneplacita ſe magis obſequioſum & beneuolum exhiberet. Idem uerò cùm eſſemus in eadem terra ſua, non erubuit duo milia marcharum à nobis exigere pro guerra tibi & illuſtri regi Vngariæ faciēda quas quia ſibi non dedimus,

dixit

dixit ſe nobis nunquam ut antea ſeruiturum, ut quadam uiolentia non agnoſceret dominum coram quo tam improbè loqueretur. Non tamẽ propter hoc moti nos fuimus, ſed patienter iuuenilem eius diſsimulauimus leuitatem, habentes nihilominus in propoſito ſua commoda promouere. Indicta etiam Moguntina curia generali, cõuocauimus eum ad eandem Curiam termino conſtituto, prout generaliter & ſpecialiter ſinguli principum fuerant euocati. Qui cum præfixo termino conueniſſent, idem dux ne dum uenire contumaciter recuſauit: quin potiùs cum campeſtri exercitu, abſque noſtra licentia uel aſſenſu terram regis Vngariæ hoſtiliter, & uiolenter ingreſſus, adeò tantum principem prouocauit, quod expeditione facta, Imperij fines intrauit, non ſine iniuria noſtra & Imperij læſione, humilians eum ad ſua beneplacita & mãdata. Interim etiam non contentus, quod conterminum ſibi regem turbauerat, principes Imperij, uidelicet te regem Bohemiæ, uenerabiles Madeburgeñ. Pataujeñ. Ratiſponeñ. Brandenburgeñ. & Frigieñ. epiſcopos, Bauariæ ducem, & Morauiæ marchionem nõ dubitauit offendere, auferens eis iura & redditus, quæ in Auſtriæ & Stiriæ ducatibus poſsidebant. Ad cuius debitã ultionem tanta moles princi-

pum

pum irruiſſet, niſi quòd pacem Imperij tur bare uitantes, nobis & Imperio detulerunt, ſæpè coram nobis ſpecialiter per literas & nuncios non leues quęrimonias deponentes. Delatæ ſunt etiam quærelę multiplices coram nobis, pro parte hominum terræ ſuæ, quod iuſticiam & iudicium de terra ſua proſcripſerit: & cum iniquitate fœdus iniens, prorſus abiecerit ęquitatem uiduis & orphanis, quos iure fouere debuerat, moleſtus exiſtens, diuites opprimens, pauperes conculcans, humilians nobiles, & deſtruens populares, diuerſis flagitijs afficiens ſubditos: nullam aduerſus eos aliam cauſam habens, niſi quod pium eſſe ſibi credit & licitum quicquid libet. Miniſteriales & alios infeudatos, quos ab Imperio tenet tantò grauiori perſequitur uoluntate, quātò in odium noſtrum & Imperij afflictos inaniter ab ipſo percepimus, & quantò de ipſis cogitur dubitare. Data igitur per eum effreni licētia, luxui, & mente ipſius in omnem uiam maliciæ turpiter inquinata, deflorat uirgines, & facit à ſuis complicibus deflorari, matronas uenerabiles dehoneſtat, auferens filias patribus, & uiris mulieres per uiolentiam. Et utinam his contentus, non excogitaret in patrum animas, & uirorum: in quorum necem diuerſas ſpecies mortis exaggerat, quibus

trucidet miſerabiliùs innocẽtes. Pro quorum ineffabili malorũ cumulo, mota fuit ſæpe noſtra præeminentia dignitatis. Sed nos paterni ſeruitij memores, uoluimus cum leuitate procedere, intendentes à uia mala uirum impium reuocare. Quapropter monuimus eum, benignè rogauimus ut ad colloquium præteritæ Curiæ, præterita hyeme indicta Auguſtæ, ueniret, ibi de reſtitutione ſtatus ſui, & ipſo comparandi cum predictis principibus, atque tecum: & abolenda infamia ſuprà dicta eum alloqui: & cum eo diſponere uolebamus, pro uiſa ei, iuxta requiſitionem & uelle ſuum, ſecuritate conductus, de perſonis quas & quot uoluit exegiſſe, illam eidem gratiam exhibentes, quod quia dubitabat pro huiuſmodi queremonijs, diu morari, promiſimus ei per nuncios ſuos, quod moram & reditũ ad ſuam permitteremus fieri uoluntatem, & quòd eum ſuper obiectis ad iuſticiam nullatenus cogeremus, etiãſi deberemus offenſis principum ſatisfacere per nos ipſos. Deinde quia apud Auguſtã Curiam uenire noluit, ſupplicantibus nobis pro iterata citatione ſua, dilecto principe noſtro uenerabili Saltzburgeñ. archiepiſcopo, & alijs nuncijs ſuis & acceptãtibus ut apud Agamiẽnſem noſtrã prouinciam citaretur, indiximus ſibi eundẽ locum & termi-

terminum competentē, in quo apud Agamiam ad noſtram pręſentiam ſe conferret, ibidē de bono ſtatu & integritate famę ſuę diſponere cupiētes. Ipſe uerò cum nō poſſet uulneratę conſcientię ſuæ nefanda con tegere, etſi ſępius expoſuit ſe uenturū, ſem per illuſit, & potentiā noſtrā in ſuperbia & abuſione contēnens, datus in ſenſum reprobū, & penitus effectus ingratus, cœpit contra perſonā noſtrā uerbo & opere machinari: ut præter inſidias quas in captione dum filij noſtri H. in itinere manifeſtè propoſuit, cum Mediolanenſibus, & alijs ini micis noſtris contra honorem noſtrum & Imperij, moliretur. Sed nequiter contra animam noſtram excogitans, miſit nuncios ſuos ad ſeniorem Montanæ, qui dicitur Aſsiſinus, promittens ei pecuniam infinitam, ut noſtram læderet Maieſtatē. Alio etiam ſpiritu ſuę fatuitatis inductus, quod nobis eſt ualde moleſtū, nō eſt ueritus attentare ſanctiſsimū in Chriſto patrē noſtrū ſummū pontificem, ut ſibi eſſet fauorabilis inducere ſatagendo. Præterea nuncios noſtros in ſecuritate ſua & conductu receptos ſpoliari mādauit. Xenia quoq; per ducem Boſsię nobis tranſmiſſa, nūcijs eius in cōtumeliam & iniuriam noſtrā, fecit aufferri. Caſtra autē quæ Ratiſponēſis quōdā aduocat⁹ Imperij, nobis & Imperio in ſua morte

legauit,non eſt ueritus occupare, nec omiſit cuncta præſumere quæ nobis eſſent & Imperio nocumento. Qui,cùm nec Deum timeat,ſicut dicitur,nec terrenum uelit dominum reuereri,naturæ reuerentiam non obſeruãs, nobilem dominam matrẽ ſuam ſuis bonis omnibus ſpoliatam,de terra ſua turpiter efugauit:& ſi manum in eam mittere potuiſſet,uber eius infelix homo pręcidere minabatur. Et niſi ad te dilectum principem noſtrum & affinem habuiſſet confugium, cum cõſilio tuo poſtmodum ad præſentiam meam accedens, non haberet ubi caput tantę nobilitatis domina inclinaret,quę lachrymis apud Deum & nos clamore continuo querula, non ceſſat iuſticiam ſibi, aduerſus tam improbum filiũ implorare.Nec poſſumus ſilentio præterire qualiter marchionem Miſnenſem, ſibi ſorore ſua nuptui tradita, & in terra ſua nuptijs celebratis, cùm prima thori gaudia coluiſſet, aggreſſus eſt eos in lecto nudos, &.ſurgere non permiſit, donec eos in manibus eius omnem dotem &ius de quibus tenebatur eis pro maritagio,reſpondere oportuit neceſſariò remiſiſſe:contra ſecuritatem ſibi promiſſam, quòd nullam deberet eis petitionem facere,uel remiſsionem aliquam poſtulare. Metu inſuper incuſſo miniſterialibus ſuis,quod nullus euaderet niſi

niſi quicquid petierat compleretur, ut ſibi & alijs ſuis intimis perſecutor & tyrannus omnibus in communi operum iudicio cenſeretur. Quibus omnibus laceſsiti, cum tãta ſit ipſius iniquitas, quod non poſsit ueniam promereri, ad tot queremonias principũ in noſtra præſentia replicatas, ad querelas & lachrymas matris ſuæ petentis, de noſtra ſede iudicium, ad lachrymoſas uoces nobilium, & populariũ orphanorum & uiduarum, & omnium inhabitantium terram ſuam, coram Deo & nobis clamantium, contra eum: attendentes inſuper offenſas noſtras & Imperij, per eum nequiter attentatas, ad condignam correctionem, eiuſdem exigente iuſticia, duximus inſurgendum, reſponſuri ſtudio ſecundum ſtulticiam ſuam, ne ſapiens ſibi uideatur: ſed diſcat per ſe ipſum qualiter Deum timere debeat, ac nos & Imperium teneatur omnibus modis reuereri. Quæ omnia tibi & alijs principibus noſtris duximus exponenda, ut rei certitudo ad eius exterminium pateat uniuerſis.

Capitaneo, ut permittat iudicem ſuum redire ad propria. Cap. VI.

INtellecto nuper quod magiſter G. de N. qui tecum moratus eſt hactenus, ualida nunc infirmitate deprimitur, uolentes nihilominus ætati ſuæ, quæ iam declina-

uit in ſenium, nec non longæ moræ quam in partibus Alamanniæ dudum traxit, beniguiùs prouidere: ſibi ad lares ꝓprios redeundi licentiam prouidimus concedendam: ut ſaltẽ natalis ſoli dulcedine recreatus, in ſuæ ſalutis commodis intendat habiliùs, & culmini noſtro deuotiùs obſequatur. Quocirca tibi præcipiẽdo mandamus, quatenus eidem magiſtro G. licentiam tribuas ad propria liberè redeundi.

Magiſter Petrus de Vineis, cuidam de reditu ſuo ad Curiam. Cap. VII.

PRæteriti laboris anguſtias, quas patiẽtibus nobis hactenus inuida Roma ſuaſerat, cum uarię uolũtates Imperio ſemper uariẽtur, & actus Viterbienſis nequitia ſuggerente periculum, & laborem de alpibus Lombardiæ de nouo guſtauimus: quibus diuina Clemẽtia, quę feſsis dat requiẽ, licet ipſos per regni refrigerium crederemus reprimere, ſuperatis, ad Curiam proſper reditus nos reduxit incolumes. ubi de noſtris renouari ſucceſsib. expectamus.

Ezelino, reſpondens ſuper his quæ ſibi ſcripſerat, ut ad eum maturè ueniret. Cap. VIII.

SI caſum & cauſam tuæ quęſtiõis diſcutimus, ſatis abbreuiari poſſet inuectio, quam in nos de nõ ſcripta tibi dudum, ut aſſeris, nouę uictorię iucunditate cõponis.

Quid

Quid enim materiæ querulæ tibi debere conſpicimus, ſi in menſa congaudij, de cuius quaſi loco nouiſsimo reclamator excuteris, in prima tibi ſedulus inuitator ad nuptias diſcumbendo ſedilia collocauit. Sed dum cauſarũ merita partiũ aſſertione pandũtur, ludicris uotis tuis alludimus, & corda quodammodo redolẽtia alacria, iocoſi ſtyli ſerie lucidamus. Statim ſiquidẽ, imò priuſquã de proſpera nobis deditione Fauentię, rei lætus euẽtus pectora noſtra reficeret, lætitię nouę primitias deſiderijs tuis ꝓuidimus deferẽdas: ut quẽ habuerat noſtra Serenitas in huiuſmodi feſti tã celebris expectatione præcipuũ, participẽ faceret felicis auſpicij ſuſceptione iucundam. Xenia quoq; tibi per literas tempeſtiuè tranſmiſimus, tęrra mariq; direximus nuncios: ut alterius elemẽti ſuccedens habilitas, defectum alterius compenſaret. Et utinam ſi potuiſſes effici lateri noſtro uicinus ut nobiſcum corporaliter, ſicut paranymphus, cõmertijs exultaſſes, uel literarũ ipſarum baiulis permiſiſſet natura pennas adiungi uolatiles, & ſuę relationis officiũ, cuiuſpiã relatibus prætuliſſent. Sed ſi caſualiter & forſitã morbificatus itinerãs, uel aura non ſuccedente propitia nauigans prępeditus, deberes ſaltem in famam uiolẽtus argutor inſurgere, & ipſam de motus curſilis, quã

naturaliter induit, uelocitate dãnare. Nec in te modificare uolumus intemperãtiam gratulandi, cum tuæ uirtutis conſtantiam, ad hæc & maiora, ſufficere confidamus. Propter quod magiſteriũ in hac parte non approbes, ubi nullã, quam aſſeris, manus artificis cauſam dedit: nec propter hoc idẽ ad uerecundiam notari te expedit, quam ſumpſiſſe te etiam ſuperuacuũ arbitramur. Cum enim non niſi ex inferẽtis intentione procedat iniuria, illatam tibi contumeliam fruſtra conquereris, quæ ex noſtra intentione non prodijt & in cõiecturam audientiũ nõ peruenit. Sed ſi ſumpta de proſperitatis huiuſmodi nouæ trepudijs occaſione iocandi, plauſus tuos, quos iuſto te credimus exinde titulo poſsidere, uel quorum in te titulum redegit bona fides, cautè ut ſcribis, admiſcuiſſe te iuuenibus potuiſti: & profectò, de tam feſtiua iocoſitate relator exiſtere, quem in ſenibus prudenter conſilijs, & morum nouimus graui tate completum. De felici uerò aduentu noſtro ad partes ipſas, quem multis rationibus auidus & uotiuus exquiris, nihil tibi ad præſens certum reſcribimus, cum N. & fideles noſtros, quos eueſtigio ad pręſentiam noſtram pro pecunia miſſuros te aſſeris, expectantes: per ipſos tibi ſuper hoc beneplacitũ noſtrũ exprimere diſponamus.

Tu

Tu uerò de aduentu tuo ad pręſentiam noſtram facias, quòd per alias Maieſtatis noſtræ literas tibi meminimus direxiſſe.

Florentinis, ut obediant filio ſuo, quem mittit eis in Poteſtatem. Cap. IX.

SPeciali quodam, inter tot & tanta negociorum genera, quibus pectori noſtro continuè materia cogitationis infunditur, ſollicita meditatione pẽſamus, qualiter ſopitis quibuslibet inter uos præteritæ diſſenſionis erroribus, pax & iuſticia in uobis noua quodãmodo plantatione ſuccreſcat: qualiter etiam uoluntatis ueſtræ tam prompta deuotio, quæ quicquid ſibi litigij ſiniſtrę dudum cauſam ſuperſtitiõis adduxerat, iudicio noſtræ prouiſionis expoſuit, & in libra Cæſareæ definitionis appendit, in gratiæ noſtræ gremio pocula fauoris inueniat, & familiaris aſpectus noſtri ſingulari priuilegio potiatur. Ecce igitur, dilectum filium noſtrum Fridericũ de Antiochia, ad ciuitatis ueſtræ regimen (cuius inter omnes ciuitates Italiæ attenta nos cura ſollicitat, & gratiæ noſtræ ſibi plenitudinem ſpecialiùs acquiſiuit) diligenti conſideratione præhabita, prouidimus deſtinandum. Ex quo manifeſtis profectò patet iudicijs, & probabilibus oſtenditur argumentis, quantę uos Imperialis autoritas

dilectionis ſingularitate proſpiciat,& quã ſynceriori ſpecialitate fauoris ſtatum ueſtrum pacificum amplectatur. Igitur dum humanitatis noſtræ clementiam, per euidentiora ſigna uidẽtibus oſtendi non poſſe uideamus lucidiùs, quàm ſi filium noſtrum ad uos tanquam imaginarium noſtræ præſentiæ deſtinemus: fuit hæc ſiquidem ſalubris & tanta prouiſio, ut dum os de oſsibus,& caro de carne noſtra trãſmittitur, perſona noſtra per eum inter uos familiariter præſentata, ſic ciuitatis ueſtræ regimini præſit,ut proſit:uos in bono ſtatu protegat, & tranquillo conſeruet, & iuſticiæ copiã,quam ſingulis propinari præcepimus,petentibus ſubminiſtret: & fideles noſtri deuotæ Florentiæ, tam grati rectoris oculis refloreat nouitate. quem non ſolum poteſtate,quam cæteris officialibus Imperialis impartitur autoritas, uolumus eſſe contentum : ſed ut in facinoroſos & inſigniter ſeu contumaciter ſe gerentes, liberiùs animaduertere ualeat, ſibi concedimus uices noſtras. Vos igitur puræ fidei & ſyncera deuotionis alumni, præſentibus noſtræ Serenitatis apicibus animati, quos irrequiſitos libẽter id facere pro certo confidimus,patris in filio præſentiam figurantes,ipſum quaſi familiaris dilectionis eximium pignus,libenter & deuotè ſuſcipite:

&

& ſibi, uelut in quem transfundimus noſtræ plenitudinem poteſtatis, in omnibus tanquam perſonę noſtrę promptis affectibus, & hilariter obedite, ut deuotionis ueſtrę conſtantiam, liberalitatis auguſtę prouiſio, quæ ſeruitia nouit remunerare fidelium, dignis proinde commēdationis laudibus proſequatur: pro firmo ſcituri, quòd obedientiæ ſigna, quæ ſibi deuotio ueſtra monſtrauerit, æquo fauore gratiæ proſequemur, ac ſi perſonæ noſtræ perſonaliter monſtraretis. Et ſi fortè, quod omnino nō credimus, contra eum quiſquam indeuotionis calcaneum eleuaret, tranſgreſſores huiuſmodi acerbiori iudicio proſequemur, quàm ſi etiam in perſonam noſtram hæc, alicuius uel aliquorum temeritas, attentaret.

Magiſtro Petro de Hybernia, de ſtudio Neapolitano. Cap. X.

NOſter inſtanter, quem in ſubditorū ſemper emolumēta dirigimus, ſollicitatur affectus, qualiter regni noſtri Siciliæ prȩclara poſſeſsio, ſicut rerum ubertate uictualiū ad diſpenſationem diuini nominis natura profluente tripudiat, ſic ad noſtræ prouiſiōis edictū, uirorū perfectione ſcientium, fortuna fauente, ualeat fœcundari. Ad quod, etſi progenitorum noſtrorū nos memoranda prioritas inuitet exemplo dū diuer-

diuerſarum ſcientiarum doctores, dudum in regno comperimus, & multos artium beneficio liberalium munimentis prouectos ad ardua, quos innata ruditas honoris & gloriæ reddidiſſet indignos, ſic nos ſuper his & priorum tempora reuiuiſcere uolumus: ut quæ per interualla quantalibet quaſſata uidentur, iam paſſa diſsidia ſub iuuentutis noſtræ primordijs ſeniliter iuueneſcant: ac dum fideles noſtri regnicolæ paratam ſibi menſam propoſitionis inſpexerint, non ſolum ſuperuacuum ſibi reputent aliena proinde flagitare ſuffragia, ſed glorioſum exiſtiment extraneos alios ad gratitudinis huiuſmodi participium euocare. Cumque ciuitatem Neapolitanam, antiquam utique matrem & domum ſtudij, tam marinę uicinitatis habilitas, quàm terrenæ fertilitatis fœcunditas reddant utiliter tanto negocio congruentem, generale ſtudium in ciuitate ipſa mandauimus reformari: ut quam localis amœnitas, plenitudine rerum gratificat docentibus, & addiſcentibus, undique collecta commoditas efficiat gratioſam. Te igitur quem antiquæ fidei præſcripta ſynceritas, & pręſtita dudum felicis recordationis domino patri noſtro grata ſeruitia nobis efficaciter recommendant: de cuius etiã experta ſcientia, probitate cognita, & doctrina probata,
in

in cõſpectu noſtro iam pluries multorum teſtimonia claruerunt: ad celebranda com munis ſtudij eiuſdem feſtiua ſolennia hilariter prouidimus inuitandum: fidelitati tuæ pręcipiendo mandantes, quatenus de fauore & gratia noſtra ſecurus, ad ciuitatē ipſam, ob reuerentiam Maieſtatis noſtræ, perſonaliter recturus accedas. Et ut certā concipias de noſtræ gratiæ liberalitate fiduciam, firmiter te tenere uolumus, quòd in aduentu tuo, in ſignum ſecundioris auſpicij, de ualore annuo 12. unciarū auri tibi faciat noſtra munificentia prouideri.

Inuitat ſcholares ad ſtudium Neapolitanum. *Cap.* XI.

DEo propitio, per quem uiuimus & regnamus, cui omnes actus noſtros offerimus, cui omne quod agimus imputamus, in regnum noſtrum deſideramus multos prudenter & prouidos fieri per ſci entiarum hauſtum, & ſeminarium doctrinarum: qui facti diſcreti per ſtudiū & per obſeruationem iuſti Deo ſeruiant, cui ſeruiunt omnia, & nobis placeāt per cultum iuſticiæ, cuius præceptis omnes præcipimus obedire. Diſponimus autem apud Neapolim, amœniſsimam ciuitatem, doceri artes cuiuſcunque profeſsionis, uigere ſtudia: ut ieiuni & famelici doctrinarum,

in

in ipſo regno inueniant unde ipſorum auiditati ſatisfiat, neque compellãtur ad inueſtigandas ſcientias peregrinas nationes expetere, nec in alienis regionibus mendicare. Bonum autem hoc rei noſtræ publicæ profuturum intendimus, cum ſubiectorum commoda ſpeciali quadam affectionis gratia prouidemus, quos ſicut conuenit eruditos pulcherrima poterit ſpes fouere, & bona plurima promptis animis expectare: cùm ſterilis eſſe non poſsit acceſsio, quam nobilitas ſequitur. Cum tribunalia præparantur, ſequuntur lucra diuitiarum, fauor & gratia comparantur. Inſuper ſtudioſos uiros ad ſeruitia noſtra, non ſine meritis & laudibus, conuocamus, ſecurè illis qui diſcreti fuerunt, per inſtantiam ſtudij iuris & iuſticiæ regimina committentes. Hilares igitur & prompti ſatis ad profeſsiones, quas ſcholares deſiderant animentur, quibus ad inhabitandum eum locum concedimus, ubi rerum copia, ubi amplæ domus & ſpacioſæ ſatis, & ubi mores ciuium ſunt benigni: ubi etiam neceſſaria uitæ hominũ per terras & maritimas facilè tranſuehuntur. quibus per nos ipſos utilitates quęrimus, conditiones diſponimus, magiſtros inueſtigamus, bona ꝓmittimus, & eis quos dignos uiderimus donaria cõferemus. Illos ſiquidem

dem in conſpectu parentũ ſuorũ ponimus à multis laborib. liberamus, à longis itineribus & quaſi peregrinis abſoluimus: illos tutos facimus ab inſidijs prędatorũ: & qui ſpoliabantur fortunis ſuis & rebus, longa terrarũ ſpacia peragrantes, ſcholas ſuas leuioribus ſumptibus, & breuioribus curſib. à liberalitate noſtra ſe gaudeant aſſecutos. De numero autem prælatorum, quos ibi duximus deſtinandos, mittimus magiſtrũ R. de Varano iudicem & magiſtrum B. de Hybernia, fideles noſtros, ciuilis ſcientiæ profeſſores, uiros magnæ ſcientiæ, notæ uirtutis, & fidelis experiẽtiæ, quam noſtræ ſemper exhibuerunt & exhibent Maieſtati. de quibus, ſicut de aliquib. regni noſtri fidelibus, fiduciã gerimus pleniorem. Mittimus quoque in ſcientia etc. Volumus igitur & mãdamus uobis omnib. qui prouincias regitis, quiq; adminiſtrationibus pręſidetis, ut hęc omnia paſsim & publicè proponatis, & iniungatis ſub pœna perſonarũ & rerũ, ut nullus ſcholaris legendi cauſſa exire audeat extra regnũ, nec infra regnũ aliquis addiſcere audeat alibi uel docere; & qui de regno ſunt, extra regnum in ſcholis ſub pœna prædicta eorum parentib. iniungatis, ut uſq; ad feſtum S. Michaelis nũ proximo reuertantur, Cõditiones autem, quas ſcholaribus concedimus erunt iſtæ:

In

In primis, quod in ciuitate prædicta docto res & magiſtri erunt in qualibet facultate. Scholares autem, undecunque uenerint, ſecurè ueniant morando, ſtando, & redeundo, tam in perſonis quàm in rebus nullam ſentientes in aliquo læſionem. Hoſpitium quod melius in ciuitate fuerit ſcholaribus locabitur, pro duarum unciarum auri annua penſione. nec ultra extimatio eius aſcendet. Infra prædictam autem ſummam, & uſq; ad illam, omnia hoſpitia extimatione duorum ciuium & duorum ſcholarium locabuntur. Mutuum fiet ſcholaribus ab illis, qui ad hæc fuerint ordinati, ſecundum quod eis neceſſe fuerit, datis libris in pignore & præcario reſtitutis, receptis à ſcholaribus fideiuſſoribus pro eiſdē. Scholaris uerò qui mutuum recipiet, iurabit quod de terra aliquatenus non recedet, donec præcaria reſtituet, uel mutuum ab eo fuerit exolutū, uel aliàs ſatisfactum fuerit creditori. Prædicta autem præcaria à creditoribus non reuocabuntur, quàm diu ſcholares uoluerint in ſtudio permanere. Item omnes ſcholares in ciuilibus, ſub eiſdem doctoribus & magiſtris debeant conueniri. Omnes igitur amodo, qui ſtudere uoluerint in aliqua facultate, uadant Neapolim ad ſtudendum, & nullus auſus ſit pro ſcholis extra regnum exire, uel

uel infra regnum in alijs ſcholis addiſcere uel docere: & qui ſunt de regno extra regnum in ſcholis, uſque ad feſtum ſancti Michaelis proximũ uenturum, ſine moræ diſpendio reuertantur. De frumento autem uino, carnibus, piſcibus, & alijs quæ ad uictum pertinent, modum nullum ſtatuimus, cum in his omnibus abundet prouincia, quæ uenduntur ſcholaribus ſecundum quod uenduntur ciuibus & etiã per contradam.

Capitaneo Siciliæ, ſuper reformatione ſtudij Neapolitani. Cap. XII.

SOllicitudo continua curas noſtras exagitat, qualiter regnum noſtrum Siciliæ, naturaliter rerum uictualium ubertate ſecundum, prudentum uirorum copia noſtris temporibus artificialiter decoremus: ut fideles noſtri regnicolæ ſcientiarum fructus, quos indeſinenter eſuriunt, per aliena mendicare ſuffragia non coacti paratam in regno ſibi menſam propinationis inueniant: & quos ingeniorum natiua fertilitas ad conſilia reddit alta perſpicuos literarum ſciẽtia faciat eruditos. Ad quod licet progenitorum noſtrorum nos clara prioritas inuitet exemplis, dum eorum tẽporibus ſic diuerſarum ſcientiarum in regno ſtudia floruiſſe comperimus, ut non

ſolum ad incolas filios, ſed ad extraneos etiam extendiſſe probetur ſuauitatem odoris: nos tamen ſuper hoc tantò libētiùs ſine cuiusquam inductione concurrimus quantò per hoc utiliùs honori noſtro conſulere credimus, & exaltationē omnimodam regni noſtri omni qua poſſumus diligentia procuramus. Volentes itaq; ſuper hoc antiquorum gratam renouare temperiem, & in regni noſtri faſtigia tripudialibus nouitatis noſtræ principijs augmentare, uniuerſale ſtudium in ciuitate noſtra Neapolis, conſulta utiq; deliberatione, prouidimus reformandum: ut ciuitas ipſa antiqua mater & domus ſtudij, ſicut puritate fidei & ſitus amœnitate præfulget, ſic renouata quaſi paranympha ſcientiæ, & ſingularium hoſpitalaria facultatū, docentibus & addiſcentibus ſe præbeat gratioſam. Ad hoc igitur tam ſalubre conuiuiū magiſtros quoslibet, & ſcholares hilariter inuitamus: fidelitati tuæ mandantes, quatenus pręſens beneplacitum noſtrum per iuriſdictionem tuam ſolēniter ſtudeas publicare, firmam ſingulis fiduciam oblaturus, quòd immunitates & libertates omnes, quibus olim, tā in Neapolitani quàm in Salernitani ſtudijs, uti & gaudere ſunt ſoliti, faciemus uniuerſis & ſingulis illuc irc uolentibus inuiolabiliter obſeruari.

Iuſticia-

Iuſticiario Terræ laboris, ut non impediat magiſtros legentes particulariter in Grammatica, occaſione ſtudij generalis. Cap. XIII.

ETſi ad perfectionem ſtudij generalis, quod nuper in ciuitate Neapoli prouidimus reformandum, particularia ſtudia ubique per regnum mandauerimus interdici noſtræ tamen intentionis non fuit, ſic loca quælibet depauperare doctoribus, ut artis Grammaticæ rudimenta nouicijs uelut lactantis ueſtris ubera famelicis infantibus præcidantur: ſed ad illos tantum extendi uolumus ueſtræ Serenitatis edictum, qui auditoribus ſuis ruditate depoſita, in facultatibus alijs ingenia potiora petentibus, cibos iam poſſint ſcientiæ ſolidos miniſtrare. Propter quòd fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus magiſtris quibuslibet, qui per terras iuriſdictionis tuæ pueros in artis Grammaticę primitijs edocēt, nullam occaſione prædicta moleſtiam inferas: ſed particularia eorum ſtudia regere, ſine impedimento quolibet patiaris.

Baronibus ſuis, ſuper ſcholis ratiocinij, in diuerſis mundi partibus diuidendis.

Cap. XIIII.

QVantumcunque ſibi litigioſa Liguria, noſtri pars utique laborioſa dominij, noſtram præſentiam uendicet, & exhauriat curas noſtras, ineſt tamen nobis cura præcipua de regni, ſeu uerius domus noſtræ, quantalibet utilitate tractanda, ne dum procellas Imperij laborioſè componimus, aliquid negligenter omittere circa domeſtica uideamur. Nuper itaque nō minus utili, quàm neceſſaria deliberatione prouidimus, quod reſidentia noſtra, licet ſit Baroli diſcreta per ſcholas, noſtris tamen eſt diſpendioſa profectibus, & uenientibus interdum à remotis ratiocinia poſituris officialibus ſumptuoſa, ſicq́ue propterea ne fiſcalibus obuiet utilitatibus, & priuatis, ſcholas ipſas pro concurrentium utilitate localiter rectè ꝓuidimus diuidēdas, utq; cuiuslibet ueſtrum officium infra decretorum fines ſibi iuſticiaria termini limitetur. Quocirca fidelitati ueſtræ prę cipimus, quatenus receptis præſentibus noſtræ Serenitatis apicibus, uos notarie Mirabilis, & magiſter Martine, ſcholam ratiocinij ueſtri Neapoli ſtatuatis, moraturi ibidem, & officialium Iuſticiariatus Terræ

ræ laboris & Hydrunti ratiocinia receptu ri. Tu iudex Iacobe Symbaldi, ſcholã Melfiæ decretis tibi ſimiliter captiuatæ & baſilicatæ, Iuſticiariatibus ſtudeas ordinare. Tu quoque iudex Petre, ſcholam tuam Caracciæ deputes, & officium tuum in Iuſticiariatibus Aprucij, Terræ laboris & Principatus, tã ſollicitè quàm fideliter exequaris, ſigillũ ueſtrum ſingulis decretũ, cuiuscunque roboratum ſigno, notanter habiturus. Cumque multa ſit laus & ſalus, ubi multa ſunt conſilia, uolumus & mandamus, quod uobiſcum ad inuicem ſuper dubijs conferatis, quod de quacunque re magis expediens & ſalubre uideritis, communi conſilio diſcuſſuri. Mandata quoque generalia, quæ communiter hactenus recepiſtis, ut particularis ex eis & integra nobis habilitas offeratur, authenticari per manum publicam faciatis, authenticatis taliter authenticorum robur penes quoscunq; remanſerint habituris, quod ſi notariorum ſingularitatem inſufficientem fortè uideritis, adiectione nouorum, eorum inſufficiẽtiam utiliter ſuppleatis. Vos præterea notarie Mirabilis & iudex Bartholomæe, oculos apertos ſpecialiter habere præcipimus, ſuper pélago ratiocinij Thomę de Brunduſio & Siclariorũ Apuliæ, ut per incuriã ueſtrã in eos, noſtra Curia non fraudetur.

Regi Cypri, recommendatio fratris Heliæ.

Cap. XV.

TAnta eſt bonæ fidei & deuotionis probatæ conſtantia, tantaq; laudabilium efficacia meritorum, quam in prouido uiro fratre Helia, dilecto familiari & fideli noſtro, ſemper & utiliter inueniſſe meminimus, quod ipſum iam à fructibus agnoſcentes, perſonam ſuam domeſticam, noſtris ſeruitijs libenter admittimus, & ſuæ circumſpectionis conſilijs fiducialiter inhæremus. Cum igitur eundem fratrem nuper ad partes tranſmarinas transfretare paratum, pro quibusdam arduis Excellentiæ noſtræ ſeruitijs, in quorum executione perſonam eius utilem & neceſſariam fore cenſuimus, à tranſitu ipſo, pręter ſuę uoluntatis propoſitum, prouiderimus retrahendum: & ipſum, licet inuitum, quodam modo in Curia noſtra propterea mãdauerimus aliquandiu moraturum: affinitatẽ requirimus, & rogamus attentè, mandãtes, quatenus negocia prædicti fratris in partibus ipſis habere uelitis, ſic efficaciter & utiliter commendata, ut dum idem ſub protectione noſtra conſiſtit, eiusdem negocia uotiua & continua ſuſcipiant incrementa. Nosq; uobis propterea, qui gratiam dicto fratri faciendam ſuper hoc nobis aſcribimus, diligentiùs obligetis ad

gra-

grates: & fratrem eundem, qui famæ ueſtræ uulgaris relator exiſtit, deuotio rem faciatis ad noſtra ſeruitia de deuoto.

Cuidam nobili de urbe, animans eum in fide.
Cap. XVI.

PLenè ſcimus, nec extraneas probationes teſtium exquirimus, quanta ſit erga noſtri nominis uel honoris augmenta tuę procurationis intentio, quantusq́; ſucceſſiuè refloreat erga noſtri nominis uel honoris faſtigia, tuæ deuotionis affectus: dum, ſicut ipſa rerum experientia docente colligimus, quę noſtri honoris ſunt, ſollicitè expetis: & factus quaſi iam nobis, de noſtræ felicitatis promotione, domeſticus, negocia noſtra magnificè & prudenter ubilibet, placida cordis & fructuoſa operis attentione procuras. Ex hoc igitur nos facti tibi & tuis, quaſi per debitum, ad commoda quælibet applicanda beneuoli, &c. nuncios tuos uiros prouidos & ſolennes, ex parte tui & Senatus populique Romani, nuper ad noſtram præſentiam deſtinatos, grataner recepimus. Qui dum ſuæ legationis officium ſollicitè, diligenter & prouidè coram noſtræ Serenitatis aſpectibus impleuiſſent, ecce ſuper capitulis omnibus, quæ ipſorum

relatio patefacta continuit,expediti, gratioſè per uos ad propria remittuntur. Cumque tam nuncij quàm cætera,quę ex parte tua & Romanorum omnium,nobis ſucceſſu temporis offerentur,tanquam eorum negocia,quæ propria gerimus,gratiſſima ſenſibus noſtris accidant:circumſpectionem tuam,de qua toto corde confidimus,requirimus & hortamur attentè,quatenus firmam fabricans in noſtræ Magnificentiæ liberalitate fiduciam, ſic ſtrenuos actus erga honorem noſtrum prudẽter accommodes,ſic induſtriæ laudabile principium,laudabilioribus cõtinuationis ſemper in antea proceſſibus proſequaris, ut ſollicitudinis opera,tanti actoris fulta ſuffragio,erga te & tuos,ampliſsimæ dexteram noſtrę liberalitatis inuitet.

Capitaneo regni Siciliæ, ut firmus exiſtat in fide, abijciendo omnem rancorem,ſi aliqua friuola fuerũt ei relata. Cap. XVII.

IRati ſatis & moti quodammodo fuimus, unde potuerunt uerba illa deformia, conſcientiam tuam læſura, procedere, & tuæ mentis ſtabilis ſic ſubitò turbare quietem. Sed gauiſi multò magis fuimus, quòd fidei tuæ probata ſynceritas, ad

ad uerba tam friuola flecti non potuit:ſed quò magis huiuſmodi uerba ſenſit inania, eò plus in noſtris ſeruitijs, tua firma ſtat & fixa conſtantia, quam fidelitas incorrupta coadiuuat, & pro qua laudabilium operum experimenta perorant, & conſtantiæ noſtræ puritas, teſtis uidelicet extraneo quolibet delatore ſolennior, interpellat. Namque poſſet aut deberet dici de nobis, aut ineſſe tibi dubietas, cum præter affectionis occultæ præſagia, quæ uideri non poſſunt ad oculum, ſentias ſaltem ab experto fiduciam, dum negocia noſtra tibi ſecurè committimus, & tanquam alteri parti noſtri corporis, fiducialiter inhæremus. Omnes igitur, ſi quæ tibi rancoris propterea remanſerunt, expelle reliquias, & dubietatis cuiuslibet abſterſa caligine uel rubigine, de immutabilis mentis noſtræ ſtabilitate, confidas: ut ſicut erga nos tuæ fidei mutare conſtantiam, te non poſſe confidimus, ſic erga te gratiæ noſtræ fauorem poſſe non dubites, uariari.

Inuectiuè ſcribit Romanis,*qui receperant pro ditores ſuos, & ut ipſos expellant.*

Cap. XVIII.

IGnominioſa uulgaris ueſtri nominis fama,quæ non abſq; uerecundiæ maculę nota,urbem urbium iam infecit, & ſi non pontificum ſuorum,ſenatorum tamen maximè magnatum & uirorum illuſtrium modernorum,debuiſſet corda ferire:dum tantorum nobilium ſucceſsiua progenies omiſerit aure ſurda, ipſius prædeceſſorũ urbis ñobilem nutrituram. Equidem mater ipſa priſcis temporib. fideles lactabat filios, nutriebat prouidos, receptabat honeſtos, exulabat infidos,eijciebat improbos,& impios perimebat:&ſic tantis tunc illuſtrata luminibus, totius mundi regna tributaria erant ſibi. Mirabilis non ſatis, imò ultra quàm dici poſsit, miranda,tam excellentiſsimæ urbis cæcitas, & tantorum ciuium obſcuritas oculorum, ut qui tam felicium deberetis anteceſſorum, huiuſmodi antiquitatis digniſſimę uitę,morumque ſequi ueſtigia : à ſemitis ueſtrorum laudabilium patrum improuidè deuiantes, non minus in ueſtrum quàm culminis noſtri præiudicium, proditores noſtros fauorabiliter receptando, honorabiliter confouetis:qui ad ipſorum interitum

tum deberetis totis uiribus,ſummo ſtudio anhelare:uelut hi,qui ab eorum infantia de limo terræ aſſumpti,paterna dilectione nutriti, inſigniti famoſis honoribus ac libertatis noſtræ dextera, multis in Imperio & regno ditati muneribus, præfulgebant, percuſſi zelo principis tenebrarum, quòd oculorum ſtupefecit uiſum,& auris auditum ,quòd multos multipliciter ſcandalizat , paratis latenter ipſorum in ſanguine gladijs , dum nobiſcum ſimul refecti cibo unanimiter conuerſarentur in aula, facinoroſo nequitiæ præconcepto abſynthio,doloſè ſimul & doloroſe procurauerant mortem noſtram.
Animaduertite igitur Romani populi, & uidete, utrum pro collatis beneficijs per nos uobis, quibus ſemper noſtræ liberalitatis magnificentia uos dotauit,à uobis tám quam à ſacri Imperij noſtri capite,tam ingratum Imperiali excellentiæ debeatur meritum ? ut huiusmodi guberneris nequiſſimos proditores, qui non ſine multiplici Chriſtianitatis clade, noſtrum ſanguinem , utpote Romani Cæſaris , catholicæ fidei defenſoris , ſic unanimiter ſitiebant . Cumque nefandiſſimi ſceleris patratores , inter uos de iure conſortium habere nequeant uel fauorem , ad ipſorum exterminium & confuſio-

fuſionem taliter ueſtra prouidentia procedat, quod honoris ueſtri perpetuam cedit ad gloriam, & noſtræ Magnificentiæ ad uindictam.

Domino Thomæ Cardinali, refert grates de miſſo equo. *Cap.* XIX.

EQuum Hiſpanum gratanter accepimus, ab experto probatum. Quem tātò chariorem habemus, quantò gratiora ſunt munera ſacerdotum.

Rex Conradus Panormitanis, de receptione cinguli militaris. *Cap.* XX.

GEminari uidentur in nobis augmēta cōgaudij, ſi feſtinos felicitatis noſtrę ſucceſſus ad fidelium noſtrorū corda trāsferimus: & in aures ueſtras, præcipuè quàs attentas lætitię noſtrę cōfidimus, & ex fidei puritate deuotas, nouis tripudijs deriuamus. Illo nihilominus affectib. noſtris inhęrente propoſito, quod hęc & alia quæ ſcribimus quælibet delectaret: nos potius uobiſcū præſentes Serenitatis noſtræ feſta peragere, quàm interpretis ſcripturæ myſterio nunciare: ut & nos ueſtra uicinitas, diutius affectata, reficeret, & uos noſtrę uiſionis indubitata placiditas refoueret. Sed pro firmo tenētes, quòd

in

in nobis uelut in populo honorificato ſit tanta deuotio, quòd apud uos celebres noſtræ Serenitatis euentus, localis diſtantia nullo intercompede minuat, nec labentis protractio temporis interdicat: ad noticiam ueſtram perducimus, quod, licet ex generoſitate ſanguinis, qua nos à primis cõponentibus natura dotauit, & ex dignitatis officio, quæ duorum regnorum nos in ſolio gratia diuina præfecit, nobis militaris honoris auſpicia non deeſſent: quia tamen militiæ cingulum, quod reuerenda ſanciuit antiquitas, nondum Serenitas noſtra ſuſceperat, die pręſentis menſis Auguſti, cũ ſolẽnitate tyrocinij, latus noſtrũ eligimus decorandum. ut ex hoc ætatis noſtrę uictorioſa floriditas, ſigna maioris ſtrenuitatis induceret, & originalis nobilitatis gratiam renouaret nouæ militiæ claritudo. Qua etiam die, ut honoris noſtri ſolennia dignis militantium ſtudiorum titulis ornaremus, præter celebrata magnificæ feſtiuitatis inſignia, quę tanti boni iucunditas, & perſonæ noſtræ Magnificentia requirebat, ad locum uictorioſi exercitus noſtri caſtra perduximus: ut ab inde ſub felicitatis futuræ præſagio, pace data, plenè fidelibus contra hoſtes noſtros continuatis greſsibus, procedamus.

Regi

Regi Anglorum, ſignificat quod uult ire in Ita liam, dimittendo filium ſuum in regno uicarium generalem.

Cap. XXI.

DVm perfectę dilectionis zelum, cuius indiſſolubili nodo quodam Iſabellam conſortem noſtram chariſſimam, ueſtrę affinitatis identitas lateri noſtro cõiunxerat, in tenacis memorię libro perlegimus: dum amicitię purę conſtantiam, quam ad uos & ueſtros amicabiliter gerimus, ſollicita meditatione penſamus: ad H. dilectum filium noſtrum, nepotem ueſtrum (cuius nomine regem Heinricum auum ueſtrũ, meditatione glorioſę memorię laudabiliter excitamus) quem tanquã durabile inter nos pignus amoris, fœcunda nobis naturę prouiſio contulit, fauoris noſtri gratiã libẽter extendimus, & gratiæ noſtrę fauorẽ libentiùs propagamus. Ecce itaq; pro arduis Excellentię noſtrę negocijs, ad repetendas partes Italicas, tam magnificè quàm potenter accincti, prędfatum Heinricum, ſacro fonte baptiſmatis tripudiali ſolennitate renatum, in regno Sicilię loco, noſtri ac uelut uultus & potentiæ noſtræ ſpeculum relictis ſibi conſiliarijs, de quorum conſilio toti regno diſponat, prouida nuper deliberatione præhabita, prouidimus dimittendũ: facto in ſolenni Curia gene-

generali mandato uniuerſis regni fidelib. ut eidem, quem inter eos uelut imaginari um perſonæ noſtræ relinquimus, tamque perſonæ noſtræ reuerenter obediant, & intendant. De cuius tã longa dilatione baptiſmatis, latere uos nolumus, qđ ad preces quorundam amicorum noſtrorum de papali Curia, quas obaudire neſcimus, & ipſorum conſilio fuerat hucuſq; dilatum, ut in reformatione pacis inter nos & Romanam eccleſiam, in cuius expectatione diutina noſtra ſunt & multorum iam uota fruſtata, eò manifeſtius ſigna perpetui & conſtantis amoris oſtenderet, quò traderetur ſolennius ſummo pontifici baptizandus. Hęc nos profecto ueſtræ Serenitati deſcribimus, ut quantum uobis Magnificentia noſtra placere deſideret, ueſtra ſerenitas à parte conijciat & qualiter inter alios affines noſtros, perſonam ueſtram tenerius diligimus, argumentis euidentib. apprehendat.

Regi Francorum, exiſtenti in partibus ultra marinis, ut reſcribat ei ſui ſtatus & continentiam & proceſſus. Cap. XXII.

GEnerali qua cunctos amplectimur ſi dei participatione Chriſticolas, ſed ſpeciali qua ueſtrã pura diligimus affectio ne perſonam, inter diuerſa tot & tanta cu-

rarum genera, quę cogitationibus noſtris indeſinenter occurrũt, pręcipua reddimur cordis anxietate ſolliciti, & affectamus inſtanter de uobis audire ueridica noua, quę placeant, & ſcire plenariè in Terræ ſanctæ ſubſidium, ueſtrę peregrinationis euentũ uelut qui (teſte Summo iudice) ſemper ipſam amore negocij deſiderauimus proſperam, & affectione perſonę ſemper uotorum conformitate felicem. De cuius etiam aggreſſione negocij, uelut in tam ualida rerum & temporum tempeſtate tentata (res quippe ſolliciti plena timoris amor, quē ad progenitores ueſtros, & uos habuiſſe ſuauiter memoramur illęſum) timidos nos crebrò reddit, & multotiens etiam dubitare coegit, ne uotis communibus abſonum infeſtis auſpicijs exitum ſortiretur. Inter has ſiquidem anxietates & ſollicitudines, quas euentus futuri dubietas noſtris affectibus ingerebat, uolatilis famę garrulitas, uarijs diſcuſſa relatibus, ſuperuenit: quę ueritatis utinam uacuas recitationes eructans, claſſis regię caſtrum, fidelium dudum ſancto propoſito non ſine magnis laborum & ſumptuum profuſionibus congregatum, in tempeſtate maris & fluctuum, quibus non niſi dominicæ poteſtatis autoritas imperat, colluctatione uentorum aſſeruit diſgrega-

diſgregatum. Ex quo tantò uehementioris cauſam turbationis aſſumpſimus, quantò perſonam ueſtram præ cunctis mundi regibus & principibus ſynceriori charitate diligimus, & quantò per id multorum nobiſcum uota fidelium interceſsiſſe ſuſpenſa, Terræ ſanctæ ſubſidio, quæ Gallicarum uirium tam proximum ſubſidium expectabat, deuotis affectibus condolemus. Iſta tamen uaria relatione perplexi, credere ſimpliciter loquacis famæ relationi noluimus, donec ſuper his ueritas, quę dubietatis huiuſmodi turbines abluat, nobis lucidior patefiat: propter quod latoré pręſentium ut ad uos redeat ueſtri proceſſus (utinam felicis) noticia inſtuctus, ad ueſtrá præſentiá duximus deſtinandú. Vellemus nihilominus fluctibus placatis Italicis, uobis eſſe locorum habilitate uicini, & qualitercunque res ipſa ſe habeat, opem non literis tátum, ſed alio ſubſidio uobis noſtræ Magnificentiæ dextera deſtinare: quæ tamen in quantum negociorum & temporum qualitas patitur, non minus libenter uobis offerimus, quàm nobis ipſis, aut uni quem chariorem habemus ex noſtris filijs præſentamus. Dilectionem itaque ueſtrá rogamus attentè, quatenus de ſtatu & continétia ueſtra, ac ſtolij ueſtri proceſsib. anxia noſtrę Serenitatis intrinſeca renouetis.

Eidem, ſignificat quòd mittat dextrarios et uictualia fratri ſuo, in ſubſidium Terræ ſanctæ.

Cap. XXIII.

SEmper hactenus, ut loquamur ad literam, continua propoſiti tenacitate firmauimus, qualiter uos & ueſtros, quos puræ mentis affectione diligimus, operis euidentis indicijs honorare poſſemus. In cuius propoſiti tãtò fortiùs proſecutione perſiſtimus, imò robuſtiùs animamur, quantò uos crucis negocium in Terræ ſanctæ ſeruitijs (de cuius ſuccurſu celeri præ cæteris orbis terræ principibus, præcipua nos cura ſollicitat) tam libẽter quàm uiriliter aſſumpſiſſe uidemus. Ad quod uellet perſonaliter & potenter unà uobiſcum ad præſens (teſte ſupremo Iudice) potentiæ noſtrę uirtus inſurgere, ut ubi maximè res noſtra agitur, tantorum principum ſocietate tam gratifica comitiua ſuffulti, gaudere poſſemus, niſi concepta dudum uel antiquata, quin potiùs papæ noſtri nequitia, tam in his quàm in alijs, prout uniuerſalis iam notio publicat, noſtris deſiderijs obuiaret uel repugnaret. Vellemus nihilominus, dum perſonalia non poſſimus adiuuaméta porrigere uobis & genti ueſtræ, de ſuffragijs alijs & opulentia regni noſtri magnificè prouidere, ſi cariſtia uictualium quæ in regno noſtro duobus iam præteri-

tis annis inualuit, & poteſtatem incluſit uoluntati noſtræ, quam ſuper hoc promptam & paratam offerimus, non obſtaret. Quanquam igitur uobis & ueſtris, ex cauſis quas diximus, noſtræ Serenitatis affectio non ualuerit, ſicut uoluit, amicabiliter prouidere: nihilominus tamen, ueſtra dilectione commoniti, & tam ſalubri commodo perſuaſi, maluimus nobis ipſis & fidelibus noſtris regnicolis, in ipſa uictualium ſubtractione deeſſe, quàm uobis & fidelibus ueſtris, & alijs regni ueſtri nobilibus qui per regnum noſtrum tranſitum habuerunt, in tam utilis & ſancti propoſiti proſecutione deficere, in quibus ueſtris & eorum neceſsitatibus noſtra ſi poſſet liberalitas ſubueniret: nunc etiam ad oſtēdendum puræ dilectionis iudicium, quam ad uos & ueſtros ſemper habuimus & habemus illæſam: Ioanni de Loco nuncio A. comitis Tholoſani chariſsimi fratris noſtri, mille ſaumas de uictualibus Curię noſtrę: & 50. dextrarios fecimus liberaliter aſsignari dicto Comiti pro uiagio ſuo, ex parte noſtræ Celſitudinis prǽſentādos: conceſſa ſibi nihilominus à Maieſtate noſtra licentia, quod ad opus eiuſdem Comitis neceſſaria, in regno noſtro liberè emere ualeat, pro ipſius & familiæ ſuæ uſibus opportuna.

Regi Franciæ, ſuper eiſdem. Cap. XXIIII.

MVlta ſunt quæ uobis & ueſtris libẽter placere nos admonẽt, dum multipliciter hactenus uos & ueſtros nobis placuiſſe recolimus, & placituros in antea firmiter arbitramur. Sed ex his debitum tantummodo mutuæ dilectionis aſſumimus, ut à quibus nos amari conſpicimus eos amicabiliter diligamus. Vnum ueruntamen nos excitat & quodammodo neceſſariò nos inuitat, quòd dum H. illuſtrẽ regem Francorum & alios filios noſtros, quos pura mentis affectione diligimus, nõ ſine prouidentiæ ueſtræ conſilio, quo ſalubriter regnum Franciæ gubernatur, Terræ ſanctæ negocium tam libenter quàm utiliter conſpicimus aſſumpſiſſe, ad præſtãda ſibi ſuper hæc munificentiæ noſtræ ſuffragia tantò libentiùs inuitamur, quantò per id publico bono fidei Chriſtianæ conſulitur, quantoque negocium ipſum nos præ cæteris orbis terræ principibus, quaſi quadam ſpecialitate ſollicitat, ac etiam ſuper hoc noſtrum ſpecialiter intereſſe uerſatur. Vellemus etenim (teſte Deo) ad proſecutionem tam ſancti propoſiti perſonaliter noſmetipſos adducere, ut qualiter & quãtum nos eiuſdem negocij, cura perangit, tantorum principum comitiua ſuffulti, perſonaliter monſtrare poſſemus. Sed concepta iam

iam dudũ,uel obſtinata, quin potiùs papæ noſtri duricies, dirus Chriſtianæ ſedis antiſtes,cui excidia tot & tanta uix diſplicẽt, dum eiſdem uoluntarius ſe immiſcet, prout uniuerſalis hęc notio publicat,& ueſtrę ſerenitatis induſtria, ſicut pro firmo credimus,non ignorat,impedimenta continua noſtris proceſsibus obijcit, & expleri noſtra deſideria non permittit. Vellemus nihilominus, ut,dum ad proſecutionem tanti negocij, perſonalia non poſſumus adiuuamenta porrigere,rerum uictualiũ poſſemus ſubſidio ſubuenire, niſi cariſtia uictualium,quæ duobus iam præteritis annis in regno noſtro inualuit, & præſentẽ etiam non omiſit, noſtræ prouiſionis ordinem, quem ſemper ſuper hoc liberalitas noſtra libenter expoſuit,præpediſſet. Nec tamen propterea pati potuimus,quin ueſtra & filiorum noſtrorum dilectione commoniti, & tam ſalubris negocij cõmodo perſuaſi, uellemus potiùs nobis ipſis & fidelibus noſtris regnicolis, in ipſorum uictualium erogatione deficere, quàm prædictis filijs ueſtris &alijs regni ueſtri fidelibus,qui per ſe uel nuncios ſuos per regnum noſtrum tranſitum habuerunt, in tam laudabili & felici peregrinatione deeſſe. Nuper etiam ueſtrorum interuentu precaminum, quæ nolumus nec nouimus obaudire:A.comi-

ti Pictauienſi, filio noſtro, per nuncios ſuos mille ſaumas frumenti, & totidem hordei de horreis noſtris, & 50. bonos dextrarios, de liberalitatis noſtræ munificentia duximus deſtinãdos: cõceſſa ſibi nihilominus à Maieſtate noſtra licentia, quòd ad opus eiuſdem comitis neceſſaria quælibet in regno noſtro liberè ualeat emere, prout ſuis & familiæ ſuæ uſibus uiderit opportuna. Ad hęc profectò quæ diximus, quæ ueſtra & filiorum ueſtrorũ augmenta reſpiciunt, quantum negociorũ, & temporum qualitas patitur, nos in antea uotis ardentibus promptos & beneuolos offeremus.

Piſanis, commendans eos, quòd proceſſerunt contra occiſores officialis ſui, promittendo eis ſuam gratiam. Cap. XXV.

INter alia deuotionis inſignia, quibus erga progenitores noſtros & nos probabiliter hactenus claruiſtis, illud ſpecialiter noſtris adhæſit affectibus, & ſatis eſt ſuauiter memorialib. noſtris impreſſum, quòd, ſicut uiridica nuper relatione cõperimus, excreſcente fauore fidei, quam in uos pia mater radicauit antiquitas, & grata nouitas ſolidauit, ne de morte magiſtri etc. ſecretarij noſtri Siciliæ, honoris noſtri faſtigijs rubigo remaneret iniuriæ, ſeu nobis infamiæ nubila ſupereſſent, ad fumẽdam de

de ipſius interfectoribus ultionem, deuotio ueſtra non minus audacter, quàm unanimiter aſſurrexit: ex quo ſynceritatis ueſtrę, dum quod nobis in ipſius operis exhibitione complacuit commendamus affectum. Sed præcipuè id gratum gerimus, quod conſcientiæ purę conſtantiá, quam de fide ueſtra iam dudum ex clara parentum ueſtrorum legatione concepimus, firmam ſemper & inuiolabilem inuenimus, propter quod noſtra ſit exinde gratificata Maieſtas, ad ueſtri fauoris gratiam nos inuitat hilariter, ut ſi unquam retroactis temporibus, in prędeceſſoribus noſtris beneuolentiæ plenitudinem inueniſſe recolitis, apud nos pinguiorem ſemper, de bono in melius gratiam inuenire, de cætero firmiter confidatis.

Regi Caſtellæ cognato ſuo, conqueritur ei de filio ſuo, quòd furtiuè receſſit ab eo, exiſtẽdo in Curia ſua.

Cap. XXVI.

VEllemus potiùs tacere, quàm loqui, cum ſit quodámodo de plus quàm ciuili bello materia, dũ alienæ culpæ damnantes infamiá, genus noſtrũ utcunq; notabile cernimus, & pter uerbalis plagę cõuiciũ, quod alijs dánátes infligimus, ex cuiuſdá idétitatis lege, qua iũgimur, in nobis relinqm9 cicatricẽ. Sed ipſi9 caſus inſtátia

ſuggerente, ſilétia rumpimus, & ardui ſtyli myſterio H. primogeniti filij noſtri, nepotica uobis ſorte coniūcti, à genere prorſus generoſa degeneris, proceſſus exponere cogimur, ac eiuſdē ingratitudinis deſcribere uitium, calami pungentis officio, quē non tanquam cuiuslibet nota diſsibulat, inſtanter urgemur. Eſt etenim, quod ignominioſa relatione deſcribimus, in populi conuerſus infamiám, & quibus uirtutum ſpeculum, & morum norma fuiſſe debuerat, nunc imaginarium uitiorum, nūc uulgare ridiculum publicè prædicant: dum mādata noſtra, quib. ipſum ex patris debito ſæpe paſcebamus obaudiens, dū mores & actus nobiles, quos ſapere, natura ſuffragante, debuerat, poſt tergum etiam ſibi iniurioſus reijciens: dum honoris & loci, quibus in noſtra Curia fruebatur oblitus: dum nec diuerſorū more nobilium, quib. ex prætorij noſtri culmine influitur: nec familiaritatis ſolitæ, quæ ipſum noſtri lateris ſæpe participem faciebat, dignitate cō tentus, ad rebelles noſtros & hoſtes, quibus, ut hoſtis potiùs obſtare debuerat: quibus etiam ipſum, ut ſicut debitum ab ætate receperat, ſic ſi qua uirtus in ipſo dormiret, ex otio armorum exercitio ſuffragante reſurgeret, opponere ſtimulum noſtra deliberauerat Celſitudo: perſonæ propriæ
fur

fur factus & prædo ætate ſuccumbēte ma-
liciæ fugitiuus aufugit. Et ſic datus uulgo
ludibrium, infectione ſuorū operum per-
uerſorum cicatrices augûſti ſanguinis ac
regalis inficit. Videat igitur excellentia ue-
ſtra regia, ſi paternis meritis iſta rependere
filius, ſi auunculi beneficijs, imò patris iſta,
nepos debuit compenſare. Attendat rega-
lis induſtria, qualis euentus, qualisque fi-
dei, tam rudis, tam enormis in iuuentute
proceſſus, monimenta promittat, in ſenio
qualis & quantę (ſi uas tenerum tot patris
monita, tot auunculi beneficia continere
non potuit) continētię futurę pręſagia, ue-
tuſtas tēporis pręfigurat. Ab ipſius deniq;
fructib. manifeſtè cognoſcitur, quale fuerit
eius pręconceptæ uoluntatis initiū, quod
tam uilis finis explicuit, qualis eius præ-
gnantis propoſiti tumor extiterit, quem
partus tam fœtidus, tam doloſus excludit.
Vt ſuper his igitur mentem ueſtram, quæ
cùm ad utrumlibet ſit auditus indifferens,
ſiniſtris fortè relatibus rem aliter poſſet
credere, quàm ueritas proteſtatur, rumori-
bus abiectis adulterinis, ueritatis ſcopa
mundificet, uel purificet, nuncios noſtros
latores præſentiū, ad ueſtram præſentiam
duximus deſtinandos, ut quantæ dilectio-
nis iudicia erga eundem filium noſtrum
Magnificentia noſtra ſemper oſtenderit:

 quan-

quantum & qualiter ipſum benignè tracta uerit: quantum per nos & noſtros ſemper extiterit honoratus: quàm acerrimè etiá, quàm latenter, à latere noſtro, & quàm tur piter præſentiam ſubripuerit perſonalem, ijdem nuncij noſtri, tanquá eius hactenus in Curia noſtra continuè participes & fide les interpretes, ſtatus eius regalem animũ ſufficienter reforment.

Senatoribus & populo Romano, confortans eos in fide ſua. Cap. XXVII.

MIſſos nuper ad præſentiam noſtram prouidos uniuerſitatis ueſtrę lega tos gratáter accepimus, hilariter uidimus, & propoſitionis eorum uerba pleno colle gimus intellectu. Quorum induſtria dili gens & intercesſio ſtudioſa, rectè ipſos tan tę urbis nuncios fatebatur, dum oſtenden tes alta mittentium uerbo & opere digni tatem, corá nobis ſuę legationis officium prudenter & fideliter impleuerunt. Cúmque tam ex ipſorum relatibus, quàm ex ipſa experientia rerum, quę quorumlibet teſtium diſpoſitioni pręponitur, firmiter Serenitas noſtra comperit, quòd purum geritis erga nos ſynceritatis affectum, & honor noſter in urbe continuis ſemper & fructuoſis ſucceſsibus procuratur: certos uos eſſe uolumus, quòd ſic nos delectat ge nerali-

neralitatis & ſingularitatis ueſtrę promouere compendia, ſic ſtabili mente concepimus ſtatum ueſtrum ubilibet ampliare: ut nobis ipſis retinere credétes, quicquid in uos honoris & commodi dextera noſtræ liberalitatis effundet, uolũtatem quã erga uos placidam ſemper habere uolumus, gratis igitur inductionib. augeamus. Vos igitur uiri fortes & nobiles, in quos uires & animos grata proauorum generoſitas propagauit, de potentiæ ueſtræ felicitate confidite, & honoré noſtrũ qui ueſter eſt, clarorum operum affectibus promouete: ut uoluntates noſtrę mutuis conceptę profectibus, ſic in nobis ueſtrorũ actuũ claritate tripudient, quod in uobis de noſtræ munificentiæ generoſitate floreſcant.

Cuidam Capitaneo, ut de partibus illis nunciet ſibi aliqua noua. Cap. XXVIII.

AVditis & intellectis benignè rumoribus ipſarum partium, quos ad nos tua cautela perduxit, ſolicitudinem tuam generoſam fauoris affectiõe propterea cõmẽdamus: & quia in noſtris exercitare ſeruitijs ea cõtentione te uolumus, ut à nobis digna pro meritis pręmia retributionis obſequioſus expectes: deuotionem tuã requirimus & rogamus attẽtè mãdantes, quatenus circa indaganda diligentiſsimè noua

ſingu-

ſingula quæ de partibus ipſis, & de alijs Italiæ partibus digna relatu ad noticiam tuam potuerint peruenire, ſtatim ſingulaliter & diſtinctè prout incepiſti, per fidos & frequentes nuncios tuos Excellétię noſtræ ſtudeas renunciare, ut certificati per te exinde, ſicut honori noſtro conuenit, & negocij qualitas exigit, ſuper his procedere conſultiùs ualeamus. Firmiter enim & pro conſtanti tenere te uolumus, quòd ſic fidem & ſeruitia tua, dignæ retributionis examine noſtra munificentia cõpenſabit: ut meritò nobis adhæſiſſe te gaudeas, & labores omnes, quos in te noſtris ſeruitijs ſubire contigerit, reputes ad quietem.

Caloiohanni, Imperatori Græcorum illuſtri, commendat ei quendam. Cap. XXIX.

SCire poteſt ueſtræ ſerenitatis integritas, quòd, cum inter nos & uos uigeat deuotionis affectus, ueſtri honoris augméta non minus quàm propria, totis ſemper deſiderijs appetamus, ad nullius unquam ſupplicis mouemur inſtantiam, uobis preces uel ſcripta dirigere, per quæ forſitan, uel famæ ueſtræ minorari præconia, uel honoris ueſtri uaſtigio detrahi crederemus, utpote qui ueſtris auſpicijs adijci ratione probabili reputamus; quicquid de ueſtris euétibus de gremio ꝓſperę fortunę ſuccedit.

ſuccedit. Credentes igitur fidelẽ noſtrum dignum noſtris apud uos precibus adiuuari, dum ſatis dudum ueſtris ſe aſſerit uacaſſe ſeruitijs, & ueſtram meruiſſe gratiam, rogati nuper attentè pro eo, affectionem ueſtram requirimus fiducialiter, & rogamus, quatenus ſi eius penes uos merita noſtro rogatui non obſiſtãt, uxores & filios quos in partibus ipſis habet, ipſos ad præſens ſine impedimento transfretare ueſtra ſerenitas patiatur. Vel ſi forſan id exigẽte qualitate negocij uoluntati ueſtræ non conſonat, eundem paratum ueſtris inhærere ſeruitijs, ne culpæ ſuæ grauitas aditum procludat ueniæ, & reconciliationis unguenta reſpuat, poſt reatum, præſentis noſtræ hortationis obtentu, & noſtri amoris intuitu, ad ueſtri fauoris gratiam reuocetis.

Cuidã fideli ſuo, ut in continẽti ueniat ad Curiam.
Cap. XXX.

PRæſentiam tuam, pro quibuſdam Excellentiæ noſtrę ſeruitijs, utilem reputantes, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus receptis præſentibus, in continenti ad Curiam noſtram feſtinus accedas, in noſtris ſeruitijs moraturus.

Manuel.

Manuello & alijs fidelibus ſuis, ut non acquieſcant inanibus uerbis cuiuſdam infidelis ſui.

Cap. XXXI.

LIcet N. qui in noſtra Curia moratus eſt, nõ ſuis meritis hactenus, ſed fidei & ſeruitiorum ueſtrorum intuitu, plenæ benignitatis affectũ noſtra Maieſtas oſtenderit, & per euidentiam operum noſtri fauoris gratiam ſibi eſſemus in antea liberaliter monſtrare parati: quia tamẽ idem N. nuper inſani conſilij leuitate deductus, de Curia noſtra, nobis inſcijs inuitis, inconſultè diſceſsit: deuotionem ueſtram requirimus & hortamur attẽtè, quatenus beneuolentiæ noſtrę fauorẽ, quam ad uos gerimus, friuolis ſuis proceſsibus proponentes, ſi quid idem uobis contra beneuolentiam noſtram temeraria forſan oblatione retulerit, deuotionis ueſtræ conſtantia, de qua ſtabili mente cõfidimus relationi ſuæ nullatenus acquieſcat: ſed de liberalitatis noſtræ gratia, quàm ad benemeritos libenter extẽdimus, certam fiduciam uolumus uos habere.

Comiti Tholoſano, affini ſuo, confortans eum ut aſsiſtat ei fidelis. Cap. XXXII.

TVa nuper ad nos litera, partim munimine titulata lætitiæ, quod feliciter agimus, ſed per totum quaſi murmuris obumbrata caligine, quod erga te ſilẽtio deſides

des uiſi fuimus hactenus extitiſſe, peruenit. Et quidem ſi mentis noſtræ conſtantiā diligenter attenderes, partes geſsiſſet pagina ſingulas conformes principio, & in nullo ueniſſet protinus rubricata querelis. Illum enim quē ad te ſemper habuimus dilectionis affectum, nunquam in nobis (teſte Deo) uariare poſſet alteritas, nec accidentium ſuperuenientium qualitas minorare, qua propoſitū noſtrū ea ſemper erga te regere intentione diſponimus, ut doloris reliquias, ſi quæ de obitu alumni tui domini conſperſæ remanſerunt, tam honore quàm beneficijs, quæ ſubſidioſa tibi manu ꝑmittimus, à nobis meritò ſublatas agnoſcas. Tu igitur quem ſic noui thori mollities eneruare non debuit, ut ſic in totum labores ſolitos, ad quos te naturaliter exhibuiſſe debueras, hoc maximè tempore faſtidires, de nobis puro corde confidas, & ſpe certa firmaque fiducia nutriaris, quòd nos, qui te ſemper affectu paterno dileximus, effectum operis erga te curabimus adimplere.

Duci Venetiarum, animans eum ut perſeueret deuotus in fide, numerando multa ſeruitia impenſa ſibi per eum & Venetos. Cap. XXXIII.

HAbet & merito noſtræ benignitatis humãitas, unde tibi gratiarū repēdat xenia,

xenia, unde fauoris multiplicis gratiam re promittat, dum ſicut de tuę ſtrenuitatis a-ctibus ad noſtrę Maieſtatis auditum grati-fica ſemper noua proueniunt, dum ſicut iam ſępe operum experimento probaui-mus, circa honoris auguſti faſtigiũ, & quæ amici ſunt amicabiliter promoues, & quę affinis naturalis ſuaſionis inductiõe diſpo nis. Nec mirũ ſi talem exhibere te ſatagis, cum dilectio te nobis pura coniungat: nec mirum ſi te tanta uirtute conſpicuum prę-ſentium negociorum & temporis habitu-do concedat, cum dilectionis indicia, (quá ad te, tanquam amoris integritate præci-puum hactenus immaculatam habuimus, & habemus) ſic de chariſsima cõſorte tua, nepte noſtra, intercedente pridem affinita te concreuerint: ſic carnis identitas, quę primitùs in uoluntatis gratitudine fue-rat, neceſsitatis quodammodo nexibus an nodarit, ut uerſa iam gratia uoluntatis in debitum, & uelit & debeat tui honoris auſpicia noſtra Serenitas laudabiliter pro-mouere. Studeat igitur tuę circumſpectio-nis induſtria, quam ſecuris profectò uerbis alloquimur, nobilitatis imaginem, circa noſtra negocia laudabilium actuum ope-ratione depromere: ſtudeat ut amicitia pri ma florigera, in affinitatis noſtræ proue-ctu fructificet: ſtudeat ut ſic te nobis tran-

ſcurſus

ſcurſus temporis affinē exhibeat, quòd de nobis tanquam affinis ſtabili mente confidere uidearis, cum præter noſtræ plenitudinem gratiæ: quam tibi fauorabiliter pollicemur, te præ cæteris intimum tenere uelimus amicũ, & colere, uelut chariſsimum deſideremus affinem.

Duci Venetiarum. *Cap.* XXXIIII.

PRæſto nobis eſt cauſa Pocer egregiè, unde deuotionis tuæ ſyncerę conſtantiam, quā in ſeruitijs noſtris obſequioſus exarces dignæ audis titulis, & gratiarum uberum relationibus proſequamur: dum pręter alia puritatis inſignia, quibus te pręcæteris noſtri honoris cognoſcimus Zelatorem, illud uenit præcipuè uotis noſtris accommodum, quod nuncios noſtros per ciuitatem Venetiarum hinc inde trāſitum facientes, à te ac Venetis alijs fauorabiliter comperimus honorari, & quam familiaritatem erga perſonam noſtram oſtendere, locorum intercompede præpediente, non potes, bonæ uoluntatis iudicio prætendis in noſtris. Cumque lex etiam Euangelica doceat, quòd domino cedit ad gloriā, quicquid uni ex minimis eius prona deuotiōe confertur, fauoris noſtri gratia tibi proinde grata cordis noſtri affectione promittimus, & tuæ ſynceritatis obſequia, in retri-

butionem noſtrorum examine magnificè diſponimus,& munificè compenſare. Tu igitur honorem noſtrum ubilibet ſolida magnanimitate procurans,ſic ſtudeas futuros actus tuos continuare præ cæteris, ut gratiæ noſtræ fructum,quem erga te,de præcedentiũ ſeruitiorum exhibitione conceptmus, in poſterum ex proſecutione ſequentium protendamus.

Comiti,ſuper eodem uel quaſi. Cap. XXXV.

INter gratitudines alias, quæ uotis noſtris accedere potuerunt, illam habuit Serenitas noſtra præcipuá, quòd marchia Anconitana & Firmana præcipua ciuitas, quam æmulorum noſtrorum falſa ſuggeſtio à beneplacitis noſtris aberrare coegerat,tuæ interpoſitione uirtutis,ad uiam rectitudinis,& ad cultum noſtræ fidei ſe conuertit. Ex quo præter alia tuæ deuotionis obſequia, quæ te in conſpectu noſtræ Maieſtatis clarificant, hęc ſpecialiter te clariorem efficiũt,& noſtris obnixè uiſcerib. impreſſerũt. Licet igitur tuæ deuotæ uirtutis experiẽtia ſibi ipſa ſit ſtimulus,nec extrinſecæ motu exhortatiõis indigeat:deuotionem tamen tuam monemus, & hortamur attentè, quatenus proceſſum ex præcedẽtibus actibus præſentibusque laudabiliter ad conſummationis gloriam futuram continuan-

tinuando perducas:ut ſicut in his quæ tuę induſtriæ commiſimus, hucuſque quieuimus, ſic in his quæ facienda ſuperſunt in poſterum quieſcamus.

Fidelibus ſuis Terræ laboris, ſuper conſtitutione ciuitatis nouæ. Cap. XXXVI.

FIdelium noſtrorum indefeſſa ſynceritas, in beneplacitis & ſeruitijs noſtris, nullis torpens euentibus, eorum ſemper memorem noſtram munificentiam ſibi facit, ut natiua perſeuerantia gratiora beneficia mereatur. Ipſorũ autem auxilia quantò conſtantiùs, ſic eorum deuotio pronior ad beneplacita noſtra & deuotior reperitur, tantò magis humanitatis noſtræ clementia, licet eam frequenter negociorum diuerſorum pluralitas urgeat, in uita tamẽ multotiens patitur poſtulari. Inter arduas ſiquidem curas, quibus circa ſalutẽ noſtrorum fidelium inclinamur, occurrit, nobis Imperiali meditatione præcipuum regni noſtri pomerium omnium uallari munimine, quò ademptis aditibus hoſtium, fideles noſtri ex omni parte pulchritudine pacis uirentes, ueprium læſione purgata, æmulorum iacturam non timeant, cultui noſtro creſcãt, iuxta morẽ fructificent, & antiqui fructus & puri pariãt ubertatem. Ex quib. reuera cauſa cõſurgat potiſsima,

qua ciuitatem noſtram flagellis ad flagellum hoſtiũ, in eo ſitu fundari prouidimus, quo infidelibus tranſitus habilior cernebatur: ut ex ea feras hoſtibus & hoſtium firmaremus, & in detrimentum eorum noſtris fidelibus pronius refugium habeatur. Quàm cùm ad præſens munire mœnijs noſtra præcepit celſitudo, fidelitati ueſtræ firmiter & diſtriƈtè pręcipiendo mandamus, quatenus uota noſtra ueſtraq; commoda in his fideliter proſequentes, executioni & ordinationi Rogerij de Canalibus, fidelis noſtri, quem (de ſui prouidentia & fidelitate cõfiſi) ſuper huiuſmodi negocio prouidimus deputandum ſuper conſtruƈtione mœniorum ipſorum memori deuotione ac fide ſolita pareatis, in his iuxta ordinationem ipſius ſubuentiones neceſſarias præſtituri: ut pro indeſinenter exhibitis, & deuotius exhibendis, in præmij laudabilioris effeƈtum, munificentiæ noſtræ gratia gaudeatis, dantes ſibi ad requiſitionem ſuam conſilium, auxiliũ, iuuamen, ubicunque ei fuerit oportunum, & à uobis duxerit requirẽdum: ita, quod commiſſum ſibi Curiæ noſtræ officium celeriter & efficaciter exequatur, & uos poſitis per effeƈtum operis meritò commendari.

Elegantiſſimum dictamē, inter magiſtrum Petrum de Vineis & dominum Iohannem archiepiſcopum Capuanum. Et primò conqueritur idem dominus Archiepiſcopus, quòd magiſter Petrus nō uiſitauit ipſum per literas ſuas. Cap. XXXVII.

ABſit mihi domeſtica uinea, quod ita ſit ſterilis animo, ſicut uerbo, quia ſi non eſſet tollerabilius ſuus non dicerer, & ipſa uel ipſe meus competētiùs taceretur. Hoc, inquam, abſit remotius, ut ſuus non dicatur alteruter ex duobus: quos una prouincia genuit, & una terra lactauit, & incrementis ſequentibus non multum diſpar prouectus arriſit: & adhuc etiam abſit & tertium, ut lingua non redoleat inter nos affectum, & hauſtus uocis non auriga ſit operis, ut mutuò ſui dicantur, nec ſint. hæc inquam inter mores homines abdicant, & natura proſcribit. In his itaque ſi Petrum aut Iacobum negligentia feriat, uel maculet culpa perſpicacitas ueſtra mundo iam experta, diſcuciat, nec quaſi patris uerenda rideat, cenſuram reſtringat: non enim pudet argui ſub patre filius, ſi peccauit. Reor tamen, quod me tuetur exceptio, quæ tam peremptorijs, quàm minoribus ſubducit ægrotos, & diem prorogat etiam, dum pœnalis inſtantia moram accuſat. Cum enim multis morer occupatus maioribus, qualē

me dimiſeritis obliuio non obduxit. Collectis ergo per calculos mẽſibus, uſq; num docebit uos ueritas, qualiter non ſolum mihi, ſed & multis in me mors remedium fuerit, & uita tormentũ? Quid itaq; mirũ, ſi tunc non ſalutaui quem diligo? dum in me crebris acceſsibus pullulás ſola deſperatio uiuendi uiueret & ſalutis? Sic igitur in uos inuehor dũ accuſor, & primò ſecundum euangelium infirmus fui, & non uiſitaſtis me. quod utinam in uobis Senatus ſuperior quaſi culpam non arguat, uel neglectum ſolum adiudicans obſtupeſcat. Ha fili, fili, quantum multis eſt amarum ſilentium, quorũ loquela dulceſcit, & probat regula: quid argumentatur per ſimilia à ſimili, & aſſumitur ſecundum materiam quæ tractatur: amaritauit me morb' dũ fremuit, nec minus Petri ſcribentis officium aduerſus me, dum ſuſpẽdit. Sermo tamen prolixior, quem poſſet materia texere, breuiatur, & de culpa uel offenſa ſi extitit, pace data. Rogo quatenus de triumphalib. auſpicijs domini, & proſpero ſtatu ueſtro patrem Petrus frequenter lætificet, nil annectens excuſatorium ſic dicẽdo. Ha pater pater quem gaudia diſtrahunt, hunc alludere calamo nõ permittũt, fateor: ſed tempus in huiuſmodi non per momẽta ſic tollitur, ut quies uel otium non alternet, alioquin

quin defectum cōcluderet ille uerſiculus:

Quod caret alterna requie, durabile non eſt.

Totum ergo remittitur, & nihil ex præteritis imputatur, dum modo Petri per literas ſuus Iacobus confortetur.

Idem, eidem, & ſuper eodem. Cap. XXXVIII.

SEmper creſcit culpa, quam diu differtur emenda, & mora quæ ingruit, donec purgetur, moroſior iudicatur. Olim credo ſcripſi ne diutius ſub hac mora langueſcere, & in uobis clauſtra ſilentij precatus ſum reſerari, quę mihi longo iam tēpore dum oſtiarius clauſit patri, filius amarū uulnus inflixit, cui recta medela nunc paratur, ut prę ſcripto ſilentio mutus hactenus iam loquatur.

Excuſat ſe magiſter Petrus de Vineis ſi nō ſcripſit, eò quod idem archiepiſcopus ſibi non ſcripſerit, cum ſcripſiſſet alijs ut patebat. Cap. XXXIX.

FAteor pater, quod iuſtè redarguor, ſed iniuſtè condemnor, eatenus ueruntamen iuſticię notá porrigitur, quatenus efficacia iuſtæ petitionis extēditur. Sed & tolerādus eſt filius ſi peccauit, paternę decet condēnationis mole non obrui, quá, licet appellationis lima prōptè non lateret, ſupportationis tamen remedio reuerēter euitat. Etenim qđ in taciturnitate filialis obſequij expergefacta memoria paternę dilectionis obſtupuit, quá in obliuionē unius

pauperis filij & deuoti, oblectamenta nobilium, & ſublimium amicorum deliramenta ſubduxerant ſtupentem patrem natura cogente, non arguo, ſi ſomnolentus à filio uoluit per frequentis uocis inſtātiam excitari. Crudelis tamen & impia conditio ſequeretur, ſi ſeueri patris iudicium filius ſentiat, quem iuſta timoris allegatio protegit, & ignorantia paternę uoluntatis excuſat. Quieti tamen natura, non homine terminum imponēte, euigilatus eſt pater, filium pauidum & tacitum inuenit, ac lacte paternę dulcedinis præ ſomni longitudine ſitientem confortat, pauidum famelicū educat ſed tacentem accuſat, paterna pietas reuerētiam arguit filialē: Confortatus filius loquitur, timoris exceptione ſe protegit, redargutus, ſed tamen à patre nō reſpuit nutrimentū. Sufficit ne nobis iſtud ò pater? quod cauſam ueſtram ego ipſe qui notor, pietate iuſtifico: quod me timoris ac reuerentiæ ſolum exceptionē defendo: quod condemnationis paternæ ſentētiam filiali ſupportatione deuito, Dicet fortè pater non ſufficit: ſed mentem exiget à filio meliorem, ut fortè culpam fore confitear ubi culpa non ſubeſt. Quid faciam? cedam patri, culpam confitebor & dicam, peccaui pater in cœlum & coram te. Sed, ut ſcelus omne proſcribam, negligenter me habui: luxurio-

luxurioſè tamen non uixi:ſacra paternę re uerentię nullo meretricio pollui,quanquã obſequium filiale præſtare deuotius, prout pater exiſtimat,debuiſſem: ueſtra pater eſt uinea,etſi dignemini non uelle,contrarium dicetur,ad uineæ ueſtrę palmites ſeu radices,nulla corruptionis mixtura peruenit:nullum ſaporem alterauit inſitio:nulla colorem alteritas uariauit. Talem uindemiam habetis ex uinea, qualem plantationis materiam contuliſtis. Cauſamini pater,quod uinea ueſtra botros indebita quãtitate non afferat, quod arefacta ſit uinea, Reſpondeo:Et uos cur manum ſubducitis cultui,& fontis irrigui copiam denegatis? Cauſamini priuignum in filio, detrimentum in alumno:reſpondeo, & uos cur lactis dulcedinem alumno ſubtrahitis,&cur in filium ita crudeliter nouercatis. Excuſa tionibus ueſtris, & incuſationibus meis manum ueſtram ſomnolentam & debilem à ſcriptura abducitis propter morbum.Vtinam,chare pater,nec mihi fuiſſet hactenus ſomnolenta, nec alijs expedita: ſed ut uidi frequenter & prouidi, dormitauit hæc filio,ſed alijs uigilauit. Super his omnibus,pace data, petijſtis quod nullo prętextu excuſationis propoſito,proſperũ ſtatum meum (ſi tamen caſtra ſequentem ſequeretur proſperitas)& principalia Prin

cipis nunciarem. Durum & impoſsibile pe titur, quòd me ueſtra redargutio ſic ꝓſtratum, ſic iacentem inuenerit, ſic relinquat, ut ad increpanda patris eloquia non aſſurgam. Pacem propterea nobis dare poſſumus inuicem: ſed nullatenus ego mihi & cordi meo, quin doleat, ſed & oculis quòd non fleant, dum ſubreptum mihi patris animum uideo & cauſſam ignoro. Vinea mea quid fecit uobis? uel noſtra potiùs: quod irrigationem eius ad aliam, quæ demum uobis labruſcas afferet, tranſtuliſtis? Denique quantumcunque dolentis ingenio dolor, & doloris materia ſeu iuſticia ſubtrahat uoluntatem, imperio tamen patris obediam, & epiſtolæ, quæ poſtquam Germaniam circuiuit, tandem ad me nouiſsimo menſis Auguſti fatigata peruenit, reſpondeo, quod corpore ualeo: labore tamen continuo laboro dum inter Charybdim & Scyllam, inter Cardinalium ſcilicet & Lombardorum aſtutias, nauicula filij tumidis fluctibus fatigatur. Cęſarea geſta magnifica uos epiſtola Principis frequenter edocuit, cuius chartã ſcribẽtis filij manus, nudam & uacuam aliquando tetigit, & ingenium uirginem deflorauit.

Item ſcribit ei dominus Capuanus, & iſta epiſtola laudat eum, & poſtea mordaciter reprehendit.

Cap. XL.

NOndum me ſalutauerat epiſtola quã miſiſti, cum ex duabus miſsis à me non leuis querela perſtreperet, tanquã eas in incertum direxerim, ut per arida climata gelidum aera ſalutarent. Ideoque ſe relegatas potiùs cauſabantur quàm miſſas, dum ab illo receperant legationis officium, cui ſenſus & probitas quietem inuident, magiſque ſibi domeſticant diſcurſus, quam ſtatus: quẽ ſic per ueſtigia ſublimia diſtrahunt, quòd modicum ex eo minoribus familiaritatib. relinquunt. Igitur dum querelis huiuſmodi mentem diuellerent, ac ſi mihi ueris obiectionibus concluſiſſent, tua ſubitò reſponſalis ſe obtulit, & indicto ſilentio murmuri, ſpiritum in me pacificauit quieti. Nec mora, nexus tarditatis rumpitur, facies epiſtolæ reuelatur: ridet ſpecies, quia niſi defuerit colorum uarietas, figurabat picturam. Sed quam primum per clauſulas diffunditur oculus, miratur legẽtis ſtudium, ſi potuit in homine tale ingenium concipi, quod tantã uerborum pareret maieſtatem. Volebam (fateor) turbam quæ aderat poſtico fallere, ut familiariùs mecum eſſet, ne tam dulciloquij uel ſtilla deflueret, quæ legentis ſenſibus rape-

raperetur. Credis ne potuerim, quin citius odor uineæ domum repleuerit, quandoquidem in facie Iacobi, quam aliqui nondum uiderant, Petri paginam iam legebāt. Si conuerſus ad lectionem, urgeor, obleɛtat ſeries, mulcetur auditor, ſed ſudant ingenia, dum ſatagunt prouehi ad alta tribunalia ſtyli occurrit tandem ille uerſiculus:

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum.

Sed beatus qui intelligit, neq; curam negligit, ſed dum uacat ſurculis inſeri, & ſurculos ſibi inſerit ex electa uinea Petri: erit tandem ut talis inſitio propaginetur inuitem, quādoquidem ex magiſterio Iudicis quisquis familiariter legerit acinos, citò, certo certius germinabit racemos. Hæc credo pauca ſufficiunt, ne ſcribentis glória penes me uideatur neglecta, ſiue quod humiliatur ad ueniam, ubi conſcientiam non arguit culpa, ſiue quod in uerbi cythara patrem filius, ſanus languidum fortis debilem confortauit. In finibus tamē iſtis, quia metam ſibi non aſsignauit epiſtola, fortè geſtiens calcibus laſciuire, cogor longiùs progredi, ne mihi quid inhæreat ex illius ſcoria dicti: ubi ſcilicet durum & impoſsibile iactitas, ut ad increpanda patris eloquia, non exurgas. Pudet uerbi, quo ſibi contrarius pungitur & cum quiſquis poſt ueniam contumelioſus offertur, pręſertim ſi pa-

ſi patrem increpet filius, quæ contumelia non redimitur hirco uel pecude, ſed tanquam crimen maximum, corripitur morte. Et certè ſi terrerent pleroſque filios tonitrua ſcripturarum, etiam ſi facies eorum patres cõſpuerent, oculos irreuerẽtiæ non leuarent. Redeat igitur ad ſe filius, & ſic ſecũ cognoſcens, quòd extra ſe lapſus eum linguæ portauit. Hoc enim rectius eſſe potuit cordi flebile, & oculo lachrymoſum, ne ſurreptum tibi patrem uana cauſaretur opinio, tanquam in te didicerim euentus ſecernere, ut plauderem proſperis, & terga darem aduerſis. Dic tamẽ, ſi recolis, huiuſmodi ſcholæ limina, ſicubi uideris plantis Iacobi trita? Audeo dicere, poterit in amicis ei ſpecialiter in te, fili mi, de conſtantia crimen ingeri. Sed nunquid mutabilitas exprobrari? non credo tale imaginẽ quod de me ſculpat ueritas: etiamſi penes te mens ingenioſa coloret. Ideoque potuit ſequẽs clauſula de cordis atrio non erũpere, ut irrigationem domeſticę Venię tranſlatam in alias diceret, ex quibus ſic labruſcas colligo, quod de uuis fameſco. Amẽ dico tibi tales neſcio, quãquam ex labruſcis non ſemper ſit uſus ſterĩlis: dum uinum liquor colorat pallidum, & in floris ſubſtantia gratum ſaporat odorem. Cæterùm non intelligo unde locus fuerit, tam graui querelæ,

relæ, ubi nil ſum conſcius, quòd inter amicos & proximos in me debilitaretur affe-ctus, quin Iacobum Petri, & Petrum Iacobi profiterer. Quę ſanè profeſsio firmis pro uecta radicibus, ita ſenuit olim in iuuentu te, ut quotidie pubeſcat in ſene. Valeat ergo Petrus meus, & Vinea mea, & quieſcat in hoc calamus, ut inter amicos & proximos uel uicinos, Petrus apud me nulli ſcri batur ſecundus.

In hac epiſtola magiſter Petrus de Vineis confitetur ſe culpabilem, unde petit ueniam. Cap. XLI.

PAter mi, quàm terribilia in uerborum ueſtrorum ſublimia mittis, quorū nec tactus ardorem manus ſuſtinent, nec oculi poſſunt tolerare fulgorem, non ſint hominis oculi lintei, nec humeri gigantei, quòd ſermonum ueſtrorum profunditatem inſpicere, & ſententiarum pondera ualeant ſuſtinere. Vix aliquando poſtquam à uobis abfui, lingua ueſtra ſe mihi leuem exhi buit, uix ſe manus ueſtra pacificam, quin contentionem uerborum proferret epiſto la, uel correctionem uirgæ dextera minaretur. O' quam blandus & efficax fuit, ille primus meæ culpæ delator? O' quam ueridici teſtimonij teſtis exceptione qualibet maior? qui ſic atrocem iniuriam filij detulit, ſic atrociter comprobauit, ut radicatam

catam infundo puri cordis offenſam euellere filius, proh dolor, iam fruſtra laboret? Certè pater ſi uidiſſent oculi ueſtri corá ſe de filio, quod aure alijs dicentibus audiuiſtis, non ſic irremediabiliter uiſa uiſu colligere, quàm audita concipere debuiſſetis auditu. Sed ut manifeſtiſsimè pateat, nimis decliuis & fluxibilis uia eſt auris, nimis tenax, dum facilè uerbum ingreditur, & ingreſſum digeritur citiùs quàm uomatur. Indulgeat ei Deus, qui patrem ſic credulum commouit in filium innocentem, nec miremini, quòd ignoſco tam leuiter circa me tam grauiter delinquenti. Induxit hoc etenim non culpæ uel ueniæ leuitas, ſed exempli cupido, quo potiri uos pater libentiſsimè cuperem, ut ſicut ego deferenti miſereor, uos delato ſimiliter ignoſcatis, ac ſi forſan (quod abſit) in tãtum offenſa circa cordis ueſtri neruos radicata conualuit, ut aliquatenus erui uel euelli non poſsit, utq́ue quod eſt ſeuerius, defenſionis copiam, quam nulla delatis calamitas abſtulit, denegetis, in hoc ſaltem mihi ueſtra paternitas, licet irata conſentiat, ut ſuppreſſo quantum libet nomine delatoris, cuius aut quorum non ſum ego prorſus ignarus, delati criminis qualitas detegatur. Et ſi de me licet taciti quæritis, quid exinde poſtqnam

ſciue-

ſciuero, niſi cauſam amaritudinis conſequar, reſpondebo. quia uel in uero motus ueſtri laudabo iuſticiam, quanquam forſan ueniam laudare non poſsim, uel in falſo meam innocentiam commendabo. Cōſequar etiam adhuc aliud, quod cum audita commiſsi facinoris qualitate, uel deſperabo de uenia, uel ſatisfactionem quamlibet imparem reputabo: nec uobiſcum poſtea ſed mecum ipſe confligam, & pugna ueſtra, etiam me iacente, deſideratum uictoribus exitum ſortietur. Deſinetis poſtmodum aures meas uerborum ueſtrorum tonitruis propulſare, nec uoluntatē meam accuſabitis amplius, nec prouocabitis uoluntatem, dicentes: quòd ſiue uelim ſiue nolim patrem compatriotam, conciuem uos habeam, dominum & amicū: nec præſenti ſub uirga nō diceretis hoc filio, quòd abſenti per literas intonatis. Dicite mihi quæſo pater & domine, quando & qualiter ego unquam hoc uolui, quod beneficium patris, conuerſationē ciuis, & puritatem amici, ſi placet uobis hoc ſcribere, recuſam: imò ſi in aliquo patri dicenti, liceat contra dicere filio prorſus, & prorſus contrarium procuraui adeò, quod de hoc ſolum uereor, ne me apud uos amici mei uel inimici potiùs detulerint, quòd circa me patris affectum, conciuis gratiam, & amici
purita-

puritaté à diebus aliquibus circa aut eneruatam inuenerim, aut (ut mihimet blandiar) retardatam. Finiam igitur, & iucundiori fine perficiam quàm incœpi, ueniam expeto ſi loquendo profuſius, ſi ſcribendo forſan amariùs dolentis filij & innocentis conſcientiæ uena defluxit: & aperta uoce clamabo, quòd uos me habere patrem oporteat, conciuem expediat, & delectet amicum.

In hac epiſtola concludit dominus Capuanus, & conſolatur, laudando eum de dictamine.

Cap. XLII.

INter nos iam ſufficit uerbis agi, Petrus ſit Iacobi, & Iacobus Petri: imò ſic ſit utriusque alteruter, ut proſpera dum contigerint, quaſi plena promptuaria eructent ex hoc in illud, & inter unum & reliquum uerus amor diuidat per ſemiſſem. Super his hactenus luſit inuicem calamus, ſed lyra dulciſona iuuenis, pſallere ſenem fecit, per quod patris diſcuſsit rudia, filij docta manus. Sint igitur hæc inter nos, quaſi terrã cordis pręſciderit uerbi uomer ad cultũ, ſemenque ſparſerit affectus ad fructum, ut herba deinceps coaleſcat in ſegetem, & in culmo ſpica proficiat, ut graueſcat. Fient autem hæc, ſi ſuſcipiat formam materia, & circa nos ſi quis eſurit, ſpicam quam pro-

duximus, colligat, qua fruatur. An non ſic habet ſcriptura, qui frumẽtum abſcondit, male dicetur in populis? Abſit ergo quod Petrus uel Iacobus ut frumentum fauoris & operis cum alteri expedit alter obtegat ſub ariſtis, quæ ſunt detractionum aculei, & mendacij punctiones. Stillent ergo montes dulcedinem quaſi tales fecerit nos Deus in noſtris, quia lac & mel colles fluent, ſi ex nobis quos caro proximat, carnis debitus uigor alat. Salua tamen fide per omnia, ne quid uolũtatis pereat, nec quid de iuſsis prætereat dominantis, contrà quẽ ſi quis impetit, mundi & ſanguinis neceſsitudo pellatur pro Deo, fili, quia Deo ſeruies, nullus apud te, qui meus es, ſcribatur extraneus.

Capitulum Capuanẽſium regratiatur magiſtro Petro de Vineis, quòd aliquid petit ab eis, & recommendat ſe ſibi. Caput XLIII.

VTinam in magnis à nobis gratiam ſentiretis, quam in minimis ex innata nobis beneuolentia memoratis. Bonarũ quippe mẽtium eſt, non quid fiat, ſed quo animo fiat attendere, & obſequentiũ debitum gratiam reputare. O' quantum debet uobis Eccleſia: O' quantum uobis ciuitas Capuana tenetur: quia non à ciuitate uel prouincia laudẽ, ſed ciuitati & prouinciæ

laudis

laudis titulum acquiſiſtis: ut iam non Petrus à Capua, ſed à Petro Capua latiùs agnoſcatur. felix radix quæ fructiferum protulit palmitem, felix uinea quę uinum pręcipuum germinauit. Grates ergo uobis referimus, quod à nobis requiritis gratiam: & quod mandaſtis impleuimus gratioſè: rogantes ut Eccleſiæ, matris ueſtrę, non ſitis immemores. cuius uos in ſacramentis eccleſiaſticis ubera lactauerunt.

Magiſter Petrus de Vineis cum magnis præconijs extollit nomen Imperatoris. Cap. XLIIII.

QVęſtionis arduę petita reſponſio, in quantum reſpondenti permittitur, enodatur. Grandis namq; progreſſus materiæ, infinitis terminandæ limitibus, rancoris propinat iudicia, & ex telæ diffuſæ contextu, quæ de præconio ſummi Cæſaris hoſtes cedentes orditur, ne quid ex contingentibus obmittatur, manus ſcribentis tremeſcit & ſtupet. Quis enim poſſet amplo famine præpotentis tanti principis inſignia promere? in cuius pectus confluunt quicqnid uirtutes habent, quem nubes pluerunt iuſtum, & ſuper eum cœli deſuper rorauerunt. non Plato, non Tullius non filij tenebrarum, qui ex ore ſedentis in trono, in generatione ſua prudentiores lucis filijs nuncupantur.

Hunc ſiquidem terra, Pontus, adorant, & æthera ſatis applaudunt, utpote quæ mundo uerus Imperator à diuino prouiſus culmine, pacis amicus, charitatis patronus, iuris conditor, iuſticiæ cõſeruator, patien-
Ezechiel. 17. ciæ filius mundum perpetua relatione gubernat. Hic eſt de quo Ezechielis uerba proclamant. Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis & uarietate multiplici. Hic eſt de quo loquitur Ieremias: Replebo te hominibus quaſi botro, & ſuper te celeuma cantabitur. Talis ergo præſidio Principis protectus mundus exultet, talem namque totus orbis uocabat in dominum: talem requirebat iuſticiæ defenſorem, qui in potentia ſtrenuus, in ſtrenuitate prȩclarus, in claritate benignus, in benignitate ſapiens, in ſapientia prouidus, in prouidentia foret humanus. In eo denique inſita forma boni, tanquam liuore carens, climata ligat, & elementa coniungit: ut conueniant flammis frigora, iungantur arida liquidis, planis aſſocientur aſpera, & directis inuia maritentur. ſub eius nanque partibus deſtruuntur fomenta malitiæ, uirtus ſecuritatis inſeritur: itaque gladij conflantur in uomeres, pacis fœdere ſuffocante timorem, & eius metus inſtinctu quicquid libertas negligit & licentia moderata præſumit, ui-

ctoriæ

uictoriæ cenſura caſtigat. O' miranda diui na clementia, faſtum compeſcere prompta, perituro mundo de tam mundo Principe tam conſultè quàm utiliter prouidiſti, qui ex omni parte beatus, ſtrenuus, in toto cuiuslibet turbationis pacator iuſtiſſimus, ſine cura populi ſolus eſſe neſciret, quem ſupremi manus opificis formauit in hominē, ut rerū habenas flecteret, & cūcta ſub iuris ordine limitaret. O' utinam diui na prouiſio, per parēthesin dierum noſtrorum numerum reſecans, & Cæſareæ manui fulcimenta contribuens, annos Auguſti regnantis augeret. O' naturæ felicitas, quanti priuilegij prærogatiua Principem ditaſti felicem, concedens alijs quod deficit in te ipſa. Hunc trames rationis antiſtitem, hunc exigebat iuſticiæ defenſorem: quæ congruam ſeruans utrobique temperiem, conatus cupiditatis infringeret, & eius morſus illicitos refrenaret. Cui iam uirtutum incipiunt myſteria inuidere: ea uidelicet inuidiæ ſpecie, quæ non ardore liuoris æmulantis deſtruit animum, ſed in ſuauitatis odorem flatibus incitat charitatis. Viuat igitur, uiuat ſancti Friderici nomen in populo, ſuccreſcat in ipſo feruor deuotionis à ſubditis: & fidei meritum, mater ipſa fidelitas, in exemplum ſubiectionis, inflammet.

Magna laudum præconia, de bonitate magiſtri Petri de Vineis. Caput XLV.

SAtis præclaros alumnos longè lateq; per orbem naturæ prægnantis peperit uterus, & plurimorũ pectoribus partẽ ſuæ ſecũditatis infudit: ſed propter cõmunem opinionem omnium, in ſingulari ſubiecto congerens, quicquid cõtulerat uniuerſis, magiſtrum Petrum de Vineis cunctis pepe rit clariorem. Nec ſine merito ſic ipſum ſua liberalitate dotauit, cum uirtutum congeriem, perſonarum uarietas ſępe confunderet, ſententiarum erraret autoritas, & iura prompta ſoluere, buccis lacerata domeſticis, ordinarium iudicem non haberet. Multum etenim ut requiem quæreret ſapientia felicis ingenium, & in gyro cœli, & abyſſi profundo circumquaque uagauerat: ſed in hoc demum ſua fixit tentoria, in hoc ſui motus circuitũ limitauit. cum quo factum cor unum, & anima una in eo ferrum de terra tranſtulit, & lapidem calore reſoluit, ut quicquid eſſet terrena groſsities, in doctrinæ ſubſtantiam uerteretur. Per cuius nanque uirtutis inſtinctum iuſticia mortificata reſurgeret & eclipſati iuris qualitas ſuę diſcretionis induſtria ſupplementa ſentiret? qui uelut nouus legifer Moyſes de monte Synai, legum copiam conceſſam

ſibi

ſibi cœlitùs hominibus reportauit: ut quorum noxius appetitus per luſtra deuia oberrarat ad induſtriæ fabricam, qua impoſita quælibet diriguntur, eius luce præuia dirigatur. Hic eſt ſiquidem alter Ioſeph, cui tanquam fideli interpreti, eius ſtudio magnus ubique Cæſar (de cuius potentia ſol & luna mirantur) circularis orbis regna gubernanda commiſit: qui tanquam Imperij clauiger claudit, & nemo aperit, & nemo claudit: cuius eloquentię tuba dulciſonans, orationis uoce mellifluę audientium corda demulcet, utpote cui quicquid erat ſub pallio ſolis abſconditum, præter clauſi libri ſeptem ſignacula diuinus intuitus reuelauit. Ipſe eſt etenim Petrus fundatus in petra, ut cęteros fidei ſtabilitate fundaret, & ſynceritatis ſoliditate firmatus, foret alijs fundamentum. Relictis quidem retibus, princeps Apoſtolorum, Petrus ille piſcator nimirum, ſecutus eſt Deum. Sed Petrus hic legiferà ſui domini latere non diſcedit: curam gregis dominici, paſtor ille curabat antiquus: ſed iſte nouus athleta iuxta latus ſummi principis uirtutes inſerens, & errores extirpans, in ſtatera iuſticiæ ponderat, quicquid dicit. Galilæus ille tertia dominum ſua uoce negauit: ſed abſit quod ſemel abneget Capuanus. O' felix uinea, quæ felicem Capuam tam ſuauis

fructus ubertate reficiens, Terram laboris irradiás, & remotos orbis terminos inſtantia tuæ fœcunditatis irradiare non ceſſas: à cuius ſtipite palmites non diſcrepant. Ex te namque prodijt hic Petrus, quem commendabiliter eius effectus laudabilem exhibet, eò quòd habuit tam nobiliſsimum creatorem, & quem ornauit qualitas habitus, ipſum amictu decoris adornat. Nam legis armatus peritia, Digeſta digerit, & Codicis ſcrupuloſitates elimat, dū in quadrigis ſedens Imperij, ſuper emergētes quoſlibet caſus & cauſas in libro iudicij, quotiens ponderat & appendit, toties eos dirimit & decidit, quaſi ueritas ſub nube non lateat, quæ uidentibus non celatur, angelum ſe fore ſanctum lucidiùs repræſentat. Hæc fuit itaque uinea, quam Philoſophiæ manus multo ſudore plantauit, & coluit, ipſam ſuæ irriguitatis amœnitate fœcundans: in qua tabernaculum eruditionis erexit, ut ex eo mentes indoctæ doctrinæ reciperent ſpiritum, & ex eius fructu mellifluo biberent ſitientes. Hæc eſt uinea, cuius radices grādis aquila, in terra negociationis de Libano aſportatas ſecus decurſus aquarum, cum diligenti prudentia transplantauit: ad cuius uirtutes eximias explicandas etiā lingua Tullij laboraret, ne forſan balbutiens in proſequendo deficeret & ſic di-
ſplicen-

ſplicendo placeret. Telæ finis imponitur, quam ſtupendo contexuit Nicolaus.

Reprehenditur amicus, qui promiſſum enſem non dederat. Cap. XLVI.

AMico uocali amicus realis ſalutem & fidem ſine operibus non ualere: quod illa dilectionis imago, quæ per ſynceritatis ænigma uigere facietenus in uobis hactenus uidebatur, in ſubiecto peccauerit, ex ſtudijs ueſtris fructus colligitur euidenter, & ex opere probatur ſatis efficax argumentum: dum immodico polliciti rupta promiſsio minus in multis fidei prædicat, & nihil in ſimilibus repromittit. Et ſic nedum amicum efficit in amore retrogradum, ſed præter omne fiduciæ meritum turbationis iudicia prouocat, & odiũ cum fœnore recompenſat. Scire poteſtis enim, & ſcire debetis, quãto cordis affectu quanto q; animoſitas in conſtantia, de enſe mihi per uos prægnãs facta extitit promiſsio, quæ à prægnantium ſimilitudine diſcrepans, nec diẽ produxit fœtui, nec horá partui cõmodauit: imò (ut loquela ſit uerior) ex promittẽtis deſidia, ſicut pro firmo creditur, abortiuit. Frater, cur euanuit ſic illa promiſsio? Cur amicum præcipuum, qui propoſitum iñ enſe firmauerat, ſic per friuola uerba deduxit? Nunquid enſis potui eſſe retributor? Nunquid ad ſimile reſpon-

dere? Conſidera igitur frater, & penſa quid feceris, ut ſi amicum, qui fidem ex fide promiſſa conceperat, decepiſti,, nunc te ipſum ſentias redargutum.

Regratiatur communi Mutinenſi, dolenti de caſu regis Sardiniæ. *Caput* XLVII.

EX relatione literarũ ueſtrarum, quas ſuper euentu H. regis Sardiniæ, dilecti filij noſtri, nuper noſtro culmini deſtinaſtis, tantò clariorem nouimus fidem ueſtram, quantò per euidentiora ſigna cognouimus, non minus de caſuum noſtrorum aduerſitate, uos deprimi, quàm de ſucceſſuum proſperitate lætari. Hęc ſunt etenim deuotionis iudicia, quæ mater fidelitas requirit in ſubditis, ut qualitercunque fortunæ dubietas ſucceſſura proueniat, qualitercunque tempora promittentur, fidelium ſemper corda ſint eadem, & in laudabilium iugiter operum exhibitione perſiſtant. Synceritatis itaque ueſtræ conſtantiam proinde laudum titulis eò libentiùs extollimus, quò plena de uobis uotis noſtris reſpondente fiduciâ, uos ad noſtra ſeruitia promptos ſemper & beneuolos inuenimus. Licet igitur caſus ipſe, ſi caſus dici debeat, ex quo negocia noſtra non cadũt, fabuloſè grauis & uulgariter horridus uideatur: nos tamen ipſum pro leui ſeu minimo

nimo reputantes, altitudinem mentis noſtræ propterea in nullo deflex imus, nec ulla uel modica cauſa nos proinde turbationis affecit. Sed cum bellorum facta ſint dubia, & Serenitatis noſtræ gremium abundet copia filiorum, ęquanimiter huiuſmodi noua ſuſcipimus, & noſtræ potentiæ dexteram, tantò propterea fortiùs in rebellium noſtrorum excidium incitamus, & erigimus ad uindictam, quātò propter hoc uidentur apertiùs inanis gloriæ uentum & friuolam reſiſtendi materiam aſſumpſiſſe. Cumque caſus huiuſmodi, gladium noſtrum potenter acuerit, & in detrimenta nos hoſtium ardentiſsimè prouocarit: deuotionem ueſtram hortamur attentè, mandantes, quatenus rancoris cuiuslibet ſpeciem abigentes ſic more ſolito circa noſtra ſeruitia laudabiliter inſiſtatis, quòd ſpem, quam de uobis ſtabili mente concepimus, ſentiamus in nobis in opere commodoſam. Nos enim temporis habilitate capta, ſic ultimæ depreſsioni rebellium, apertis theſauris noſtris, & fideliū noſtrorum ſubſidijs aggregatis, uacare diſponimus, quod ne dum cogantur à cœptis inuiti deſiſtere, ſed potiùs pœniteant incœpiſſe.

Quod

Quod regnicolæ qui regnum exiuerant, & in Imperio commorantur, ſecuriùs reuertantur.

Cap. XLVIII.

INnata cordi noſtro benignitas, circa fidelium noſtrorum compendia cōtinuis intenta uigilijs, tantò maiori cura de non minuendo, quin potiùs augendo regno noſtro Siciliæ nos ſemper ſollicitat, quantò regnum ipſum præ cæteris auguſtæ fortunæ bonis carius æſtimamus. Audito igitur quàm plures regnicolas de proprijs profectos iam laribus, in locis ignotis & peregrinis affligi, & fortaſſe dubitantes de reditu, dum timorem eis incutit, quæ potuit oriri ſuſpicio de receſſu: nos pietate ſolita eorum in hac parte formidinem ſubmouentes, omnibus prædictis redeundi ad propriam licentiam indulgemus. Illis tamen præſentis indulgentiæ noſtræ gratia carituris, quos uel participatio nuper in perſonam noſtram concepti ſceleris, uel aliàs in Maieſtatem noſtram commiſſa uel tractata proditio, cùm iſtis, ne dum patria, ſed cūctus terrarum etiam claudendus ſit orbis, irremediabiliter de patria profugauit. Illis etiam ueniç præſentis beneficium denegamus, quos propter præteritam uel pręſentem inter nos & papam diſcordiam, peruerſorum operum nobis iudicia manifeſta notauere perfidia: uel noſtræ Celſitudini

dini fecere ſuſpectos: uel poſt nimis obduratam ipſorum contumaciam, ex maleficijs alijs forbannitionis ſententiam incurrerunt. Quapropter uillicationi tuæ mandamus, quatenus omnibus de regno, quos in quibuslibet iuriſdictionis tuæ partibus inueneris receptatos, præſentis indulgentiæ noſtræ ſeriem facias publicare.

Cuidam communitati, commendatio de ſeruitiis exhibitis, & ut credant nuncijs.

Caput XLIX.

GRatum gerimus & acceptum, & ueſtræ deuotionis ſtudium fauorabiliter commendamus, quod ſicut ex inſinuatiõe Friderici de Antiochia ſacri Imperij in Thuſcia, & ab Amalia uſque Cornetum & per totam Maritimam uicarij generalis, chariſsimi filij noſtri, noſtra nuper Serenitas intellexit, quòd ad depopulationem noſtrorum rebellium Peruſinorum, & Caſtrorum diſtrictus deuotè, & concorditer ad ipſius requiſitionem uiriliter proceſsiſtis. Vt igitur fidelitas noſtra per effectum operum, de bono in melius clareat inceſſanter, deuotionem ueſtram ſollicitãdam duximus & hortandam, mandantes, quatenus ad executionem ſeruitiorum noſtrorum, & depreſsionem rebellium, & ſpecialiter ad Peruſinorum proteruiam edomandam,

mādam, ad requiſitionē & ordinationem prędicti filij noſtri, iuxta ſolitū uires & animos unanimiter aſſumatis, & ſic ad honorem noſtrum, & Imperij & ueſtri fauoris augmentū, proſequamini uiriliter & potēter, ut quod in ipſius exhibitione ſeruitij laudabiliter incœpiſtis, laudabilius finiatis. Præterea, quia T. de N. & iudicem R. de N. fideles noſtri, ſuper quibuſdam negocijs pro bono & ſalubri ſtatu ueſtro, ad honorem, & fidelitatem ueſtram uobiſcum tractando, prout in capitulis, ſub ſigillo eis à Maieſtate noſtra commiſsis, pleniùs continetur, ad uos nuncios deſtinamus: fidelitati ueſtræ mandantes, quatenus ea, quæ idem nuncij noſtri ſuper his oretenus ex parte noſtri culminis uobis retulerint, firmiter credere, tanquam ab ore noſtro prolata, & efficaciter ob noſtram reuerentiam adimplere curetis: ut deuotionē ueſtram quæ ſemper beneplacitis noſtris ſe promptam exhibuit, proinde meritò commendemus.

Reſpondet cuidam nobili fidei ſuo, ſuper petitis.
Caput. L.

BEnignitate ſolita recepit noſtra Serenitas literas, quas noſtro culmini deſtinaſti, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Ad quorum ſignificata

cata, deuotioni tuæ taliter reſpondemus, quod quia de ſancto Iacobi de N. per alias ſacras ueſtrę Maieſtatis literas tibi ſcripſiſſe recolimus, noſtræ beneplacito uoluntatis expedire non uidemus, ad præſens aliud exinde dare reſponſum. de alio uerò quod ſcripſiſti te iuxta mādatum noſtrum: filiam tuam marchioni de Homburg, per coniugalem copulam tradidiſſe, ueſtræ ſatis complaceat Maieſtati.

Capitaneo, ut concedat licentiam Abbati uendendi de bonis ſui monaſterij, pro debitis monaſterij exoluendis. Caput LI.

PRo parte Abbatis & cōuentus monaſterij ſancti Seueri de Rauenna, noſtrorum fidelium, noſtrę fuit Celſitudini humiliter ſupplicatum, ut quia ipſum monaſterium plurimorū debitorum oneribus prędgrauatur, cum ratione collectarū, quas ob ueſtræ reuerētiam Maieſtatis, de mandato nunciorum & officialium noſtrorum ipſarum partium, ipſis nuncijs noſtris, ad opus noſtræ Curiæ, hactenus ſe aſſerunt perſoluiſſe: tum ratione aliarum expēſarum, pro ipſorum, & ipſius monaſterij neceſsitatibus multipliciter ſolutarū per eos, de uendendis & alienādis ex poſſeſsionib. eiuſdē monaſterij, pro ipſorū debitorū ſatisfactione, modo debito facienda, de noſtra gratia conce-

concedere dignaremur licentiã ſpecialem: præſertim cum pro parte ipſorum, Abbatis, & Conuentus, in noſtra præſentia proponatur, per te dudum ipſis fore prohibitum, de ipſis poſſeſsionibus nullatenus detrahendis, ſine mandato noſtrę Celſitudinis ſpeciali: nos ipſorum ſupplicationib. benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiẽdo mandamus, quatenus pro eiſdem debitis exoluendis, ex quibus facta tibi fuerat plena fides, & quę pro eiuſdem monaſterij utilitate, & ipſorum, Abbatis, & conuentus, neceſsitatibus ſint contracta, uſque ad eorum debitorum exonerationẽ, præfatos, Abbatem & Conuentum, de poſſeſſionibus antedictis, iuris ſolennitate ſeruata, uendere & alienare permittas: ne ipſius monaſterij bona ulterius ab uſurarum uoragine incumbente, inutiliter lapidentur.

Reſcribit quibuſdam fidelibus ſuis, commendans eos de præteritis, & animans ad futura. Cap. LII.

FIdelitatis ueſtræ literas benignè accepimus, & ipſarum tenorem intelleximus diligenter, fidelem ſolicitudinem & probatam diligẽtiam, quam in noſtris ſeruitijs, per eaſdẽ literas ueſtras accepimus, & per rerum euidentiam habere uos ſcimus, non immeritò commendantes. Propter quod grata ſeruitia quę multipliciter erga

erga Maieſtatem noſtram geritis, inceſſanter alta mente concepimus: in firmo gerentes propoſito, ea uobis dignis meritis cõpenſare. Volumus itaque, ut in defenſione fidelium, & offenſione noſtrorũ rebellium, more ſolito, tam fideliter quàm uiriliter intendat ueſtra deuotio cum effectu: ita, quòd ipſa ſemper operum efficacia patens, præſens & continua deuotio, uos in Excellentiæ noſtræ oculis commendabiles repręſentet. Et ecce, quòd ad oppreſsiõnem & exterminium noſtrorum rebelliũ, & defenſionem noſtrorum fidelium ipſarum partium, H. Illuſtrem regẽ Sardiniæ, dilectum filium noſtrum, ad ciuitatem Rauennæ prouidimus deſtinandum.

Reſcribit ad uotum cuidam nobili, petenti filium ſuum captum inter Parmenſes protinus liberari. Cap. LIII.

FIdem ſolitam & deuotionem euidentem, quàm ab experto in noſtris ſeruitijs te habuiſſe inceſſanter habere cognouimus, meritò commendantes, ad futura culmini noſtro commendanda obſequia, animare ſic te uolumus cum affectu, ut tam de præteritis gratis ſeruitijs, quàm de futuris, tuæ deuotionis ſtudium, hilariter dignis retributionibus compenſemus.

mus. Super liberatione uerò filij tui, qui ꝑ fide Maieſtatis noſtræ ſeruanda, cum quibusdam alijs noſtris fidelibus captus detinetur in Parma, pro quo liberando, culmini noſtro humiliter ſupplicaſti, ſcire te uolumus, quòd cũ firmum propoſitum habeamus eundem filium tuum, & alios fideles ueſtros, per Parmenſes proditores noſtros detentos, in proximo liberare, ſic eueſtigiò, pro eiusdem filij tui liberatione fauorabiliter intẽdemus, ſicut de reliquo alio, quem chariorem nobis exiſtere reputamus.

Reſcribit cuidam nobili, petit certificari de quibusdam. Cap. LIIII.

Solita benignitate recepit Serenitas noſtra literas, quas tua deuotio noſtro culmini deſtinauit, & ipſarum tenorẽ intelleximus diligenter, ſuper eo uerò, qđ in literis continetur de facto Caſtrorum epiſcopatus Aquenſis, quæ munita dicis per N. electum epiſcopatus ipſius: ecce quod per P. de Cyra fidelem noſtrum intimaſſe tibi recolimus, noſtræ beneplacitũ uoluntatis. Et quia per te certificari uolumus, qui fuerunt illi nuncij, de quorum uoluntate & licentia electus ipſe epiſcopatum Aquenſem dicitur intrauiſſe: fidelitati tuæ præcipimus, & mandamus, quatenus

nus de prædictis nuncijs, per quos prædi cta ſunt acta, tuis literis noſtram quàm ci tiùs poteris, inſtruas Maieſtatem.

Reſcribit Capitaneo, & redarguit eum de ſimplicitate, quia detinuit quendam uocatum ad Curiam. Cap. LV.

Literas tuas, nuper noſtræ Maieſtati tranſmiſſas, benignè recepimus, & ipſarum tenore diligenter attento, ſuper eo quod R. de &c. fidelem noſtrum, tam pro cuſtodia Caſtri clauſi, quàm pro montanis Aretinis defendẽdis, ad noſtram Curiam accerſitum detinuiſſe te dicis, quod in detentione ipſius te ſimpliciter geſſeris ſimplicitatem tuam duximus arguẽdam: fidelitati tuæ mandantes, quatenus poſtpoſitis omnibus, dictum R. debeas ad noſtram Curiam deſtinare.

Mandat expreſſè cuidam nobili, quod ueniat ad eum, ſicut alias multotiens ſibi ſcripſit. Cap. LVI.

Satis poteſt tua deuotio manifeſtè per pendere, quòd niſi præſentia tua foret noſtris inſtantibus ſeruitijs plurimum opportuna, Celſitudo noſtra ſcripta tibi totiens non utique direxiſſet. Cum igitur inſtantium negociorum qualitas hoc expoſcat, fidelitati tuæ iteratò firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus,

Item eidem, ſuper eodem, uel quaſi.

Cap. LIX.

QVanquam fides & deuotio Pergamenſium, noſtrorum fidelium, in conſpectu noſtri culminis ſe claram oſtendat: eorum tamen operam nunquam ſine noſtris hortamentis & ſtudijs, erga noſtra ſeruitia magnificè recolimus prodijſſe. Cũ igitur magiſtrum Ia. & R. fideles noſtros, pro magnis arduis & nouis negocijs, ad Communem & cõſilium Parmenſe, & ad uos præcipuè duximus deſtinandos, fidelitati ueſtræ præcipiendo mãdamus, quatenus ea, quæ præfati nuncij noſtri uobis, ex parte culminis noſtri, duxerint exponẽda, ac ſi nos præſentialiter diceremus, indubitabiliter credere, & pleno debeatis effectui mancipare: ſcientes, quòd nullus unquam caſus ſe nobis obtulit ſeu offerre poterit in futurum, in quo, ſicut in iſto, Celſitudini noſtræ ſeruire ac placere poſſitis.

Item cuidam ſuper eodem, reprehendit eum, quia negligenter ſe habuit.

Cap. LX.

NVper Papienſ. ex parte noſtri culminis requiſitis, obtinuiſſemus ab eis uotũ noſtrum, ſi tu per te ac tuos ſuper eodem negocio non tepidè proceſſiſſes. Vt igi-

igitur negligentiæ præteritæ culpam redi mas ſolicitudine uirtuoſa: fidelitati tuę ꝑcipiendo mandamus, quatenus ad requiſitionẽ iudicis Maioris de Iuuenatio, magnę Curiæ noſtræ iudicis, & notarij R. fidelium noſtrorum, quos pro magno, nouo, & arduo negocio, ad conſilium ciuitatis Papiæ, & ad te præcipuè deſtinamus, circa obtinendum à cõſilio ipſo quòd uolumus, in præſenti prudentem diligentiam ſolicitus & uigil apponas: ita, quod diligentię tuæ ſtudium dignis præmiorum laudibus proſequamur.

Regratiatur cuidam Communitati, de oblata pecunia, & uult quod cedat in collecta eis impoſita. Cap. LXI.

NVper ad audientiam noſtram, R. comitis Caſertani, dilecti generi & fidelis noſtri nunciatione peruenit, quod uos zelo puræ deuotionis accenſi, præter uniuerſitatis ueſtræ grauamina, quę ꝓ nobis continuè prompta mẽtis alacritate ſuſcipitis: & prętre labores innumeros, quos animorũ clara ſemper affectione portatis, ſolitę deuotionis affectũ, quẽ ad Excellen. noſtram uos gerere, ſine cuiuslibet uerbo uel literis plenè ſcimus: nuꝑ fructiferis ꝓficiẽtes iudicijs, ꝓ reſtauratiõe Camerę noſtrę, quã pridẽ caſꝰ ille nobis (ut creditur)

dere? Conſidera igitur frater, & penſa quid feceris, ut ſi amicum, qui fidem ex fide promiſſa conceperat, decepiſti,, nunc te ipſum ſentias redargutum.

Regratiatur communi Mutinenſi, dolenti de caſu regis Sardiniæ. *Caput* XLVII.

EX relatione literarũ ueſtrarum, quas ſuper euentu H. regis Sardiniæ, dilecti filij noſtri, nuper noſtro culmini deſtinaſtis, tantò clariorem nouimus fidem ueſtram, quantò per euidentiora ſigna cognouimus, non minus de caſuum noſtrorum aduerſitate, uos deprimi, quàm de ſucceſſuum proſperitate lætari. Hęc ſunt etenim deuotionis iudicia, quæ mater fidelitas requirit in ſubditis, ut qualitercunque fortunæ dubietas ſucceſſura proueniat, qualitercunque tempora promittentur, fidelium ſemper corda ſint eadem, & in laudabilium iugiter operum exhibitione perſiſtant. Synceritatis itaque ueſtræ conſtantiam proinde laudum titulis eò libentiùs extollimus, quò plena de uobis uotis noſtris reſpondente fiducia, uos ad noſtra ſeruitia promptos ſemper & beneuolos inuenimus. Licet igitur caſus ipſe, ſi caſus dici debeat, ex quo negocia noſtra non cadũt, fabuloſè grauis & uulgariter horridus uideatur: nos tamen ipſum pro leui ſeu minimo

nimo

nimo reputantes, altitudinem mentis noſtræ propterea in nullo deflexímus, nec ulla uel modica cauſa nos proinde turbationis affecit. Sed cum bellorum facta ſint dubia, & Serenitatis noſtræ gremium abundet copia filiorum, ęquanimiter huiuſmodi noua ſuſcipimus, & noſtræ potentiæ dexteram, tantò propterea fortiùs in rebellium noſtrorum excidium incitamus, & erigimus ad uindictam, quātò propter hoc uidentur apertiùs inanis gloriæ uentum & friuolam reſiſtendi materiam aſſumpſiſſe. Cumque caſus huiuſmodi, gladium noſtrum potenter acuerit, & in detrimenta nos hoſtium ardentiſsimè prouocarit: deuotionem ueſtram hortamur attentè, mandantes, quatenus rancoris cuiuslibet ſpeciem abigentes ſic more ſolito circa noſtra ſeruitia laudabiliter inſiſtatis, quòd ſpem, quam de uobis ſtabili mente concepimus, ſentiamus in nobis in opere commodoſam. Nos enim temporis habilitate capta, ſic ultimæ depreſsioni rebellium, apertis theſauris noſtris, & fideliū noſtrorum ſubſidijs aggregatis, uacare diſponimus, quod ne dum cogantur à cœptis inuiti deſiſtere, ſed potiùs pœniteant incœpiſſe.

Quod

Quod regnicolæ qui regnum exiuerant, & in Imperio commorantur, ſecuriùs reuertantur.

Cap. XLVIII.

INnata cordi noſtro benignitas, circa fidelium noſtrorum compendia cõtinuis intenta uigilijs, tantò maiori cura de non minuendo, quin potiùs augendo regno noſtro Siciliæ nos ſemper ſollicitat, quantò regnum ipſum præ cæteris auguſtæ fortunæ bonis cárius æſtimamus. Audito igitur quàm plures regnicolas de proprijs profectos iam laribus, in locis ignotis & peregrinis affligi, & fortaſſe dubitantes de reditu, dum timorem eis incutit, quæ potuit oriri ſuſpicio de receſſu: nos pietate ſolita eorum in hac parte formidinem ſubmouentes, omnibus prædictis redeundi ad propriam licentiam indulgemus. Illis tamen præſentis indulgentiæ noſtræ gratia carituris, quos uel participatio nuper in perſonam noſtram concepti ſceleris, uel aliàs in Maieſtatem noſtram commiſſa uel tractata proditio, cùm iſtis, ne dum patria, ſed cũctus terrarum etiam claudendus ſit orbis, irremediabiliter de patria profugauit. Illis etiam ueniꝙ præſentis beneficium denegamus, quos propter præteritam uel pręſentem inter nos & papam diſcordiam, peruerſorum operum nobis iudicia manifeſta notauere perfidia: uel noſtræ Celſitudini

dini fecere ſuſpectos: uel poſt nimis obduratam ipſorum contumaciam, ex maleficijs alijs forbannitionis ſententiam incurrerunt. Quapropter uillicationi tuæ mandamus, quatenus omnibus de regno, quos in quibuslibet iuriſdictionis tuæ partibus inueneris receptatos, præſentis indulgentiæ noſtræ ſeriem facias publicare.

Cuidam communitati, commendatio de ſeruitiis exhibitis, & ut credant nuncijs.

Caput XLIX.

GRatum gerimus & acceptum, & ueſtræ deuotionis ſtudium fauorabiliter commendamus, quod ſicut ex inſinuatiōe Friderici de Antiochia ſacri Imperij in Thuſcia, & ab Amalia uſque Cornetum & per totam Maritimam uicarij generalis, chariſsimi filij noſtri, noſtra nuper Serenitas intellexit, quòd ad depopulationem noſtrorum rebellium Peruſinorum, & Caſtrorum diſtrictus deuotè, & concorditer ad ipſius requiſitionem uiriliter proceſsiſtis. Vt igitur fidelitas noſtra per effectum operum, de bono in melius clareat inceſſanter, deuotionem ueſtram ſollicitādam duximus & hortandam, mandantes, quatenus ad executionem ſeruitiorum noſtrorum, & depreſsionem rebellium, & ſpecialiter ad Peruſinorum proteruiam edomandam,

mãdam, ad requiſitioné & ordinationem prędicti filij noſtri, iuxta ſolitũ uires & animos unanimiter aſſumatis, & ſic ad honorem noſtrum, & Imperij & ueſtri fauoris augmentũ, proſequamini uiriliter & potẽter, ut quod in ipſius exhibitione ſeruitij laudabiliter incœpiſtis, laudabilius finiatis. Præterea, quia T. de N. & iudicem R. de N. fideles noſtri, ſuper quibuſdam negocijs pro bono & ſalubri ſtatu ueſtro, ad honorem, & fidelitatem ueſtram uobiſcum tractando, prout in capitulis, ſub ſigillo eis à Maieſtate noſtra commiſsis, pleniùs continetur, ad uos nuncios deſtinamus: fidelitati ueſtræ mandantes, quatenus ea, quæ idem nuncij noſtri ſuper his oretenus ex parte noſtri culminis uobis retulerint, firmiter credere, tanquam ab ore noſtro prolata, & efficaciter ob noſtram reuerentiam adimplere curetis: ut deuotioné ueſtram quæ ſemper beneplacitis noſtris ſe promptam exhibuit, proinde meritò commendemus.

Reſpondet cuidam nobili fidei ſuo, ſuper petitis.
Caput. L.

BEnignitate ſolita recepit noſtra Serenitas literas, quas noſtro culmini deſtinaſti, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Ad quorum ſignificata

cata, deuotioni tuæ taliter reſpondemus, quod quia de ſancto Iacobi de N. per alias ſacras ueſtrę Maieſtatis literas tibi ſcripſiſſe recolimus, noſtræ beneplacito uoluntatis expedire non uidemus, ad præſens aliud exinde dare reſponſum. de alio uerò quod ſcripſiſti te iuxta mãdatum noſtrum: filiam tuam marchioni de Homburg, per coniugalem copulam tradidiſſe, ueſtræ ſatis complaceat Maieſtati.

Capitaneo, ut concedat licentiam Abbati uendendi de bonis ſui monaſterij, pro debitis monaſterij exoluendis. Caput LI.

PRo parte Abbatis & cõuentus monaſterij ſancti Seueri de Rauenna, noſtrorum fidelium, noſtrę fuit Celſitudini humiliter ſupplicatum, ut quia ipſum monaſterium plurimorũ debitorum oneribus pręgrauatur, cum ratione collectarũ, quas ob ueſtræ reuerẽtiam Meieſtatis, de mandato nunciorũm & officialium noſtrorum ipſarum partium, ipſis nuncijs noſtris, ad opus noſtræ Curiæ, hactenus ſe aſſerunt perſoluiſſe: tum ratione aliarum expẽſarum, pro ipſorum, & ipſius monaſterij neceſsitatibus multipliciter ſolutarũ per eos, de uendendis & alienãdis ex poſſeſsionib. eiuſdẽ monaſterij, pro ipſorũ debitorũ ſatisfactione, modo debito facienda, de noſtra gratia conce-

concedere dignaremur licentiā ſpecialem: præſertim cum pro parte ipſorum, Abbatis, & Conuentus, in noſtra præſentia proponatur, per te dudum ipſis fore prohibitum, de ipſis poſſeſsionibus nullatenus detrahendis, ſine mandato noſtrę Celſitudinis ſpeciali: nos ipſorum ſupplicationib. benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiẽdo mandamus, quatenus pro eiſdem debitis exoluendis, ex quibus facta tibi fuerat plena fides, & quę pro eiuſdem monaſterij utilitate, & ipſorum, Abbatis, & conuentus, neceſsitatibus ſint contracta, uſque ad eorum debitorum exonerationẽ, præfatos, Abbatem & Conuentum, de poſſeſſionibus antedictis, iuris ſolennitate ſeruata, uendere & alienare permittas: ne ipſius monaſterij bona ulterius ab uſurarum uoragine incumbente, inutiliter lapidentur.

Reſcribit quibuſdam fidelibus ſuis, commendans eos de præteritis, & animans ad futura. Cap. LII.

FIdelitatis ueſtræ literas benignè accepimus, & ipſarum tenorem intelleximus diligenter, fidelem ſolicitudinem & probatam diligẽtiam, quam in noſtris ſeruitijs, per eaſdẽ literas ueſtras accepimus, & per rerum euidentiam habere uos ſcimus, non immeritò commendantes. Propter quod grata ſeruitia quę multipliciter erga

erga Maieſtatem noſtram geritis, inceſſanter alta mente concepimus: in firmo gerentes propoſito, ea uobis dignis meritis cōpenſare. Volumus itaque, ut in defenſione fidelium, & offenſione noſtrorū rebellium, more ſolito, tam fideliter quàm uiriliter intendat ueſtra deuotio cum effectu: ita, quòd ipſa ſemper operum efficacia patens, præſens & continua deuotio, uos in Excellentiæ noſtræ oculis commendabiles repręſentet. Et ecce, quòd ad oppreſsionem & exterminium noſtrorum rebelliū, & defenſionem noſtrorum fidelium ipſarum partium, H. Illuſtrem regē Sardiniæ, dilectum filium noſtrum, ad ciuitatem Rauennæ prouidimus deſtinandum.

Reſcribit ad uotum cuidam nobili, petenti filium ſuum captum inter Parmenſes protinus liberari. Cap. LIII.

FIdem ſolitam & deuotionem euidentem, quàm ab experto in noſtris ſeruitijs te habuiſſe inceſſanter habere cognouimus, meritò commendantes, ad futura culmini noſtro commendanda obſequia, animare ſicte uolumus cum affectu, ut tam de præteritis gratis ſeruitijs, quàm de futuris, tuæ deuotionis ſtudium, hilariter dignis retributionibus compenſe-

mus. Super liberatione uerò filij tui, qui ꝓ fide Maieſtatis noſtræ ſeruanda, cum quibusdam alijs noſtris fidelibus captus detinetur in Parma, pro quo liberando, culmini noſtro humiliter ſupplicaſti, ſcire te uolumus, quòd cũ firmum propoſitum habeamus eundem filium tuum, & alios fideles ueſtros, per Parmenſes proditores noſtros detentos, in proximo liberare, ſic eueſtigiò, pro eiusdem filij tui liberatione fauorabiliter intẽdemus, ſicut de reliquo alio, quem chariorem nobis exiſtere reputamus.

Reſcribit cuidam nobili, petit certificari de quibusdam. Cap. LIIII.

SOlita benignitate recepit Serenitas noſtra literas, quas tua deuotio noſtro culmini deſtinauit, & ipſarum tenorẽ intelleximus diligenter, ſuper eo uerò, qđ in literis continetur de facto Caſtrorum epiſcopatus Aquenſis, quæ munita dicis per N. electum epiſcopatus ipſius: ecce quod per P. de Cyra fidelem noſtrum intimaſſe tibi recolimus, noſtræ beneplacitũ uoluntatis. Et quia per te certificari uolumus, qui fuerunt illi nuncij, de quorum uoluntate & licentia electus ipſe epiſcopatum Aquenſem dicitur intrauiſſe: fidelitati tuæ præcipimus, & mandamus, quatenus

nus de prædictis nuncijs, per quos prædicta ſunt acta, tuis literis noſtram quàm citiùs poteris, inſtruas Maieſtatem.

Reſcribit Capitaneo, & redarguit eum de ſimplicitate, quia detinuit quendam uocatum ad Curiam. Cap. LV.

Literas tuas, nuper noſtræ Maieſtati tranſmiſſas, benignè recepimus, & ipſarum tenore diligenter attento, ſuper eo quod R. de &c. fidelem noſtrum, tam pro cuſtodia Caſtri clauſi, quàm pro montanis Aretinis defendēdis, ad noſtram Curiam accerſitum detinuiſſe te dicis, quod in detentione ipſius te ſimpliciter geſſeris ſimplicitatem tuam duximus arguēdam: fidelitati tuæ mandantes, quatenus poſtpoſitis omnibus, dictum R. debeas ad noſtram Curiam deſtinare.

Mandat expreſſè cuidam nobili, quod ueniat ad eum, ſicut alias multotiens ſibi ſcripſit. Cap. LVI.

Satis poteſt tua deuotio manifeſtè perpendere, quòd niſi præſentia tua foret noſtris inſtantibus ſeruitijs plurimum opportuna, Celſitudo noſtra ſcripta tibi totiens non utique direxiſſet. Cum igitur inſtantium negociorum qualitas hoc expoſcat, fidelitati tuæ iteratò firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus,

quatenus ſicut felices proceſſus noſtros di ligis, & gratiam noſtram charam habes, ſtatim receptis præſentibus, qualibet mora & occaſione ceſſantibus, ad perſonam noſtram feſtines uenire, à facie noſtra citiùs & hilaris receſſurus, &c.

Communi Papienſium, ut non grauent conciues ſuos, exiſtentes in ſeruitijs Curiæ. Cap. LVII.

SVpplicauit Excellentiæ noſtræ R. de Papia, fidelis noſter, quòd, cùm ipſe de mandato noſtri culminis ſpeciali, in regimine Parmẽſium, fidelium noſtrorum, qui ſunt extra terminos Papienſium, pro noſtris ſeruitijs exiſtat ad præſens, ſecũq; quoſdam alios Papienſes, fideles noſtros, ſicut dicit, uelut neceſſarios officiales retineat in officio antedicto, uobis mandare de noſtra gratia dignaremur: quòd tam ipſum, quàm præfatos ad dicta officia & ſeruitia cum ipſo morantes, ab exactione dictarum collectarum, & aliorum ſeruitiorum communis eiuſdem, ſicut alios ciues Papienſes, qui in ſimilibus regiminib. extra ciuitatem Papiæ hoc tempore morantur, haberetis immunes. Nos itaq; ſupplicationibus ipſius benigniùs inclinati, fidelitati tuæ pręcipiendo mandamus, quatenus memoratum R. fidelem noſtrum, & prędictos cõciues ſuos, quos ſecũ neceſſarios

rios retinet,ad regimen prelibatum, ab ex actionibus & preſtationibus ciuitatis,qui bus alij Papienſes in ſimili regimine commorantes,per nos ſunt exempti, ulteriùs habeatis immunes:nec ea occaſione,quouſq; cum præfatis Papienſib. officialibus ſuis,in regimine remanſerint ſuprà dicto, de mandato noſtri culminis ſpeciali, domos,familias,&bona eorum non grauetis uel patiamini per ordinarios Communis ipſius indebitè moleſtari.

Cuidam Communitati,ut credant nuncijs,quos mittit pro arduis negocijs. *Cap.* LVIII.

MAgnum nimis, nouum & arduum eſt negocium,pro quo legatos & literas ad uos compellimur iterare. Cum igitur iudicem R. de N. & Notarium C. de &c.pro prædicto ad uos negocio, præſentialiter deſtinemus:fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus,quatenus ea,quæ præfati nuncij noſtri uobis ex parte noſtri culminis duxerint exponenda, ac ſi nos ipſi præſentialiter diceremus,indubitabiliter credere,& pleno debeatis effectui mancipare.ſcientes, quod niſi congregatio exercitus,ad cuius accelerationem intendimus obſtitiſſet,nos ipſi ad uos, pro eodem negocio,perſonaliter ue niſſemus.

fructus ubertate reficiens, Terram laboris irradiás, & remotos orbis terminos inſtantia tuæ fœcunditatis irradiare non ceſſas: à cuius ſtipite palmites non diſcrepant. Ex te namque prodijt hic Petrus, quem commendabiliter eius effectus laudabilem exhibet, eò quòd habuit tam nobiliſsimum creatorem, & quem ornauit qualitas habitus, ipſum amictu decoris adornat. Nam legis armatus peritia, Digeſta digerit, & Codicis ſcrupuloſitates elimat, dũ in quadrigis ſedens Imperij, ſuper emergẽtes quoſlibet caſus & cauſas in libro iudicij, quotiens ponderat & appendit, toties eos dirimit & decidit, quaſi ueritas ſub nube non lateat, quæ uidentibus non celatur, angelum ſe fore ſanctum lucidiùs repræſentat. Hæc fuit itaque uinea, quam Philoſophiæ manus multo ſudore plantauit, & coluit, ipſam ſuæ irriguitatis amœnitate fœcundans: in qua tabernaculum eruditionis erexit, ut ex eo mentes indoctæ doctrinæ reciperent ſpiritum, & ex eius fructu mellifluo biberent ſitientes. Hæc eſt uinea, cuius radices grãdis aquila, in terra negociationis de Libano aſportatas ſecus decurſus aquarum, cum diligenti prudentia tranſplantauit: ad cuius uirtutes eximias explicandas etiã lingua Tullij laboraret, ne forſan balbutiens in proſequendo deficeret & ſic di-

ſplicen-

ſplicendo placeret. Telæ finis imponitur, quam ſtupendo contexuit Nicolaus.

Reprehenditur amicus, qui promiſſum enſem non dederat. Cap. XLVI.

AMico uocali amicus realis ſalutem & fidem ſine operibus non ualere: quod illa dilectionis imago, quæ per ſynceritatis ænigma uigere facietenus in uobis hactenus uidebatur, in ſubiecto peccauerit, ex ſtudijs ueſtris fructus colligitur euidenter, & ex opere probatur ſatis efficax argumentum: dum immodico polliciti rupta promiſsio minus in multis fidei prædicat, & nihil in ſimilibus repromittit. Et ſic nedum amicum efficit in amore retrogradum, ſed præter omne fiduciæ meritum turbationis iudicia prouocat, & odiũ cum fœnore recompenſat. Scire poteſtis enim, & ſcire debetis, quãto cordis affectu quantoq; animoſitas in conſtantia, de enſe mihi per uos prægnãs facta extitit promiſsio, quæ à prægnantium ſimilitudine diſcrepans, nec diẽ produxit fœtui, nec horã partui cõmodauit: imò (ut loquela ſit uerior) ex promittẽtis defidia, ſicut pro firmo creditur, abortiuit. Frater, cur euanuit ſic illa promiſsio? Cur amicum præcipuum, qui propoſitum iñ enſe firmauerat, ſic per friuola uerba deduxit? Nunquid enſis potui eſſe retributor? Nunquid ad ſimile reſpon-

dere? Conſidera igitur frater, & penſa quid feceris, ut ſi amicum, qui fidem ex fide pro miſſa conceperat, decepiſti,, nunc te ipſum ſentias redargutum.

Regratiatur communi Mutinenſi, dolenti de caſu regis Sardiniæ. Caput XLVII.

EX relatione literarũ ueſtrarum, quas ſuper euentu H. regis Sardiniæ, dilecti filij noſtri, nuper noſtro culmini deſtinaſtis, tantò clariorem nouimus fidem ueſtram, quantò per euidentiora ſigna cognouimus, non minus de caſuum noſtrorum aduerſitate, uos deprimi, quàm de ſucceſſuum proſperitate lætari. Hęc ſunt etenim deuotionis iudicia, quæ mater fidelitas requirit in ſubditis, ut qualitercunque fortunæ dubietas ſucceſſura proueniat, qualitercunque tempora promittentur, fidelium ſemper corda ſint eadem, & in laudabilium iugiter operum exhibitione perſiſtant. Synceritatis itaque ueſtræ conſtantiam proinde laudum titulis eò libentiùs extollimus, quò plena de uobis uotis noſtris reſpondente fiducia, uos ad noſtra ſeruitia promptos ſemper & beneuolos inuenimus. Licet igitur caſus ipſe, ſi caſus dici debeat, ex quo negocia noſtra non cadũt, fabuloſè grauis & uulgariter horridus uideatur: nos tamen ipſum pro leui ſeu mi-

nimo

nimo reputantes, altitudinem mentis noſtræ propterea in nullo deflexímus, nec ulla uel modica cauſa nos proinde turbationis affecit. Sed cum bellorum facta ſint dubia, & Serenitatis noſtræ gremium abundet copia filiorum, ęquanimiter huiuſmodi noua ſuſcipimus, & noſtræ potentiæ dexteram, tantò propterea fortiùs in rebellium noſtrorum excidium incitamus, & erigimus ad uindictam, quātò propter hoc uidentur apertiùs inanis gloriæ uentum & friuolam reſiſtendi materiam aſſumpſiſſe. Cumque caſus huiuſmodi, gladium noſtrum potenter acuerit, & in detrimenta nos hoſtium ardentiſsimè prouocarit: deuotionem ueſtram hortamur attentè, mandantes, quatenus rancoris cuiuslibet ſpeciem abigentes ſic more ſolito circa noſtra ſeruitia laudabiliter inſiſtatis, quòd ſpem, quam de uobis ſtabili mente concepimus, ſentiamus in nobis in opere commodoſam. Nos enim temporis habilitate captata, ſic ultimæ depreſsioni rebellium, apertis theſauris noſtris, & fideliū noſtrorum ſubſidijs aggregatis, uacare diſponimus, quod ne dum cogantur à cœptis inuiti deſiſtere, ſed potiùs pœniteant incœpiſſe.

Quod

Quod regnicolæ qui regnum exiuerant, & in Imperio commorantur, ſecuriùs reuertantur.

Cap. XLVIII.

Innata cordi noſtro benignitas, circa fidelium noſtrorum compendia cõtinuis intenta uigilijs, tantò maiori cura de non minuendo, quin potiùs augendo regno noſtro Siciliæ nos ſemper ſollicitat, quantò regnum ipſum præ cæteris auguſtæ fortunæ bonis carius æſtimamus. Audito igitur quàm plures regnicolas de proprijs profectos iam laribus, in locis ignotis & peregrinis affligi, & fortaſſe dubitantes de reditu, dum timorem eis incutit, quæ potuit oriri ſuſpicio de receſſu: nos pietate ſolita eorum in hac parte formidinem ſubmouentes, omnibus prædictis redeundi ad propriam licentiam indulgemus. Illis tamen præſentis indulgentiæ noſtræ gratia cariturus, quos uel participatio nuper in perſonam noſtram concepti ſceleris, uel aliàs in Maieſtatem noſtram commiſſa uel tractata proditio, cùm iſtis, ne dum patria, ſed cũctus terrarum etiam claudendus ſit orbis, irremediabiliter de patria profugauit. Illis etiam uenię præſentis beneficium denegamus, quos propter præteritam uel pręſentem inter nos & papam diſcordiam, peruerſorum operum nobis iudicia manifeſta notauere perfidia: uel noſtræ Celſitudini

dini fecere ſuſpectos: uel poſt nimis obdu ratam ipſorum contumaciam, ex maleficijs alijs forbannitionis ſententiam incurrerunt. Quapropter uillicationi tuæ mandamus, quatenus omnibus de regno, quos in quibuslibet iuriſdictionis tuæ partibus inueneris receptatos, præſentis indulgentiæ noſtræ ſeriem facias publicare.

Cuidam communitati, commendatio de ſeruitijs exhibitis, & ut credant nuncijs.

Caput XLIX.

GRatum gerimus & acceptum, & ueſtræ deuotionis ſtudium fauorabiliter commendamus, quod ſicut ex inſinuatiõe Friderici de Antiochia ſacri Imperij in Thuſcia, & ab Amalia uſque Cornetum & per totam Maritimam uicarij generalis, chariſsimi filij noſtri, noſtra nuper Serenitas intellexit, quòd ad depopulationem noſtrorum rebellium Peruſinorum, & Caſtrorum diſtrictus deuotè, & concorditer ad ipſius requiſitionem uiriliter proceſsiſtis. Vt igitur fidelitas noſtra per effectum operum, de bono in melius clareat inceſſanter, deuotionem ueſtram ſollicitãdam duximus & hortandam, mandantes, quatenus ad executionem ſeruitiorum noſtrorum, & depreſsionem rebellium, & ſpecialiter ad Peruſinorum proteruiam edomandam,

mādam, ad requiſitionē & ordinationem prędicti filij noſtri, iuxta ſolitū uires & animos unanimiter aſſumatis, & ſic ad honorem noſtrum, & Imperij & ueſtri fauoris augmentū, proſequamini uiriliter & potēter, ut quod in ipſius exhibitione ſeruitij laudabiliter incœpiſtis, laudabilius finiatis. Præterea, quia T. de N. & iudicem R. de N. fideles noſtri, ſuper quibuſdam negocijs pro bono & ſalubri ſtatu ueſtro, ad honorem, & fidelitatem ueſtram uobiſcum tractando, prout in capitulis, ſub ſigillo eis à Maieſtate noſtra commiſsis, pleniùs continetur, ad uos nuncios deſtinamus: fidelitati ueſtræ mandantes, quatenus ea, quæ idem nuncij noſtri ſuper his oretenus ex parte noſtri culminis uobis retulerint, firmiter credere, tanquam ab ore noſtro prolata, & efficaciter ob noſtram reuerentiam adimplere curetis: ut deuotionē ueſtram quæ ſemper beneplacitis noſtris ſe promptam exhibuit, proinde meritò commendemus.

Reſpondet cuidam nobili fidei ſuo, ſuper petitis.
Caput. L.

BEnignitate ſolita recepit noſtra Serenitas literas, quas noſtro culmini deſtinaſti, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Ad quorum ſignificata

cata, deuotioni tuæ taliter reſpondemus, quod quia de ſancto Iacobi de N. per alias ſacras ueſtrę Maieſtatis literas tibi ſcripſiſſe recolimus, noſtræ beneplacito uoluntatis expedire non uidemus, ad præſens aliud exinde dare reſponſum. de alio uerò quod ſcripſiſti te iuxta mãdatum noſtrum: filiam tuam marchioni de Homburg, per coniugalem copulam tradidiſſe, ueſtræ ſatis complaceat Maieſtati.

Capitaneo, ut concedat licentiam Abbati uendendi de bonis ſui monaſterij, pro debitis monaſterij exoluendis. Caput LI.

PRo parte Abbatis & cõuentus monaſterij ſancti Seueri de Rauenna, noſtrorum fidelium, noſtrę fuit Celſitudini humiliter ſupplicatum, ut quia ipſum monaſterium plurimorũ debitorum oneribus prægrauatur, cum ratione collectarũ, quas ob ueſtræ reuerẽtiam Meieſtatis, de mandato nunciorũm & officialium noſtrorum ipſarum partium, ipſis nuncijs noſtris, ad opus noſtræ Curiæ, hactenus ſe aſſerunt perſoluiſſe: tum ratione aliarum expẽſarum, pro ipſorum, & ipſius monaſterij neceſsitatibus multipliciter ſolutarũ per eos, de uendendis & alienãdis ex poſſeſsionib. eiuſdẽ monaſterij, pro ipſorũ debitorũ ſatisfactione, modo debito facienda, de noſtra gratia conce-

concedere dignaremur licentiã ſpecialem: præſertim cum pro parte ipſorum, Abbatis, & Conuentus, in noſtra præſentia proponatur, per te dudum ipſis fore prohibitum, de ipſis poſſeſsionibus nullatenus detrahendis, ſine mandato noſtrę Celſitudinis ſpeciali: nos ipſorum ſupplicationib. benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiẽdo mandamus, quatenus pro eiſdem debitis exoluendis, ex quibus facta tibi fuerat plena fides, & quę pro eiuſdem monaſterij utilitate, & ipſorum, Abbatis, & conuentus, neceſsitatibus ſint contracta, uſque ad eorum debitorum exonerationẽ, præfatos, Abbatem & Conuentum, de poſſeſſionibus antedictis, iuris ſolennitate ſeruata, uendere & alienare permittas: ne ipſius monaſterij bona ulterius ab uſurarum uoragine incumbente, inutiliter lapidentur.

Reſcribit quibuſdam fidelibus ſuis, commendans eos de præteritis, & animans ad futura. Cap. LII.

FIdelitatis ueſtræ literas benignè accepimus, & ipſarum tenorem intelleximus diligenter, fidelem ſolicitudinem & probatam diligẽtiam, quam in noſtris ſeruitijs, per eaſdẽ literas ueſtras accepimus, & per rerum euidentiam habere uos ſcimus, non immeritò commendantes. Propter quod grata ſeruitia quę multipliciter erga

erga Maieſtatem noſtram geritis, inceſſanter alta mente concepimus: in firmo gerentes propoſito, ea uobis dignis meritis cõpenſare. Volumus itaque, ut in defenſione fidelium, & offenſione noſtrorũ rebellium, more ſolito, tam fideliter quàm uiriliter intendat ueſtra deuotio cum effectu: ita, quòd ipſa ſemper operum efficacia patens, præſens & continua deuotio, uos in Excellentiæ noſtræ oculis commendabiles repręſentet. Et ecce, quòd ad oppreſsionem & exterminium noſtrorum rebelliũ, & defenſionem noſtrorum fidelium ipſarum partium, H. Illuſtrem regẽ Sardiniæ, dilectum filium noſtrum, ad ciuitatem Rauennæ prouidimus deſtinandum.

Reſcribit ad uotum cuidam nobili, petenti filium ſuum captum inter Parmenſes protinus liberari. Cap. LIII.

FIdem ſolitam & deuotionem euidentem, quàm ab experto in noſtris ſeruitijs te habuiſſe inceſſanter habere cognouimus, meritò commendantes, ad futura culmini noſtro commendanda obſequia, animare ſic te uolumus cum affectu, ut tam de præteritis gratis ſeruitijs, quàm de futuris, tuæ deuotionis ſtudium, hilariter dignis retributionibus compenſemus.

mus.Super liberatione uerò filij tui, qui ꝑ fide Maieſtatis noſtræ ſeruanda,cum quibusdam alijs noſtris fidelibus captus detinetur in Parma,pro quo liberando, culmini noſtro humiliter ſupplicaſti,ſcire te uolumus, quòd cũ firmum propoſitum habeamus eundem filium tuum, & alios fideles ueſtros, per Parmenſes proditores noſtros detentos,in proximo liberare, ſic eueſtigiò,pro eiusdem filij tui liberatione fauorabiliter intẽdemus, ſicut de reliquo alio, quem chariorem nobis exiſtere reputamus.

Reſcribit cuidam nobili, petit certificari de quibusdam. Cap. LIIII.

SOlita benignitate recepit Serenitas noſtra literas, quas tua deuotio noſtro culmini deſtinauit,& ipſarum tenorẽ intelleximus diligenter,ſuper eo uerò,qđ in literis continetur de facto Caſtrorum epiſcopatus Aquenſis, quæ munita dicis per N. electum epiſcopatus ipſius : ecce quod per P.de Cyra fidelem noſtrum intimaſſe tibi recolimus, noſtræ beneplacitũ uoluntatis. Et quia per te certificari uolumus,qui fuerunt illi nuncij,de quorum uoluntate & licentia electus ipſe epiſcopatum Aquenſem dicitur intrauiſſe: fidelitati tuæ præcipimus,& mandamus, quatenus

nus de prædictis nuncijs, per quos prædicta ſunt acta, tuis literis noſtram quàm citiùs poteris, inſtruas Maieſtatem.

Reſcribit Capitaneo, & redarguit eum de ſimplicitate, quia detinuit quendam uocatum ad Curiam. Cap. LV.

Literas tuas, nuper noſtræ Maieſtati tranſmiſſas, benignè recepimus, & ipſarum tenore diligenter attento, ſuper eo quod R. de &c. fidelem noſtrum, tam pro cuſtodia Caſtri clauſi, quàm pro montanis Aretinis defendēdis, ad noſtram Curiam accerſitum detinuiſſe te dicis, quod in detentione ipſius te ſimpliciter geſſeris ſimplicitatem tuam duximus arguēdam: fidelitati tuæ mandantes, quatenus poſtpoſitis omnibus, dictum R. debeas ad noſtram Curiam deſtinare.

Mandat expreſſè cuidam nobili, quod ueniat ad eum, ſicut alias multotiens ſibi ſcripſit. Cap. LVI.

Satis poteſt tua deuotio manifeſtè perpendere, quòd niſi præſentia tua foret noſtris inſtantibus ſeruitijs plurimum opportuna, Celſitudo noſtra ſcripta tibi totiens non utique direxiſſet. Cum igitur inſtantium negociorum qualitas hoc expoſcat, fidelitati tuæ iteratò firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus,

rios retinet,ad regimen prælibatum, ab ex actionibus & præſtationibus ciuitatis,qui bus alij Papienſes in ſimili regimine commorantes,per nos ſunt exempti, ulteriùs habeatis immunes:nec ea occaſione,quouſq; cum præfatis Papienſib. officialibus ſuis,in regimine remanſerint ſuprà dicto, de mandato noſtri culminis ſpeciali, domos,familias,&bona eorum non grauetis uel patiamini per ordinarios Communis ipſius indebitè moleſtari.

Cuidam Communitati,ut credant nuncijs,quos mittit pro arduis negocijs. Cap. LVIII.

MAgnum nimis, nouum & arduum eſt negocium,pro quo legatos & literas ad uos compellimur iterare. Cum igitur iudicem R. de N. & Notarium C. de &c.pro prædicto ad uos negocio, præſentialiter deſtinemus: fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus,quatenus ea,quæ præfati nuncij noſtri uobis ex parte noſtri culminis duxerint exponenda, ac ſi nos ipſi præſentialiter diceremus,indubitabiliter credere,& pleno debeatis effectui mancipare.ſcientes, quod niſi congregatio exercitus,ad cuius accelerationem intendimus obſtitiſſet,nos ipſi ad uos, pro eodem negocio,perſonaliter ueniſſemus.

Item eidem, ſuper eodem, uel quaſi.

Cap. LIX.

QVanquam fides & deuotio Pergamenſium, noſtrorum fidelium, in conſpectu noſtri culminis ſe claram oſtendat: eorum tamen operam nunquam ſine noſtris hortamentis & ſtudijs, erga noſtra ſeruitia magnificè recolimus prodijſſe. Cũ igitur magiſtrum Ia. & R. fideles noſtros, pro magnis arduis & nouis negocijs, ad Communem & cõſilium Parmenſe, & ad uos præcipuè duximus deſtinandos, fidelitati ueſtræ præcipiendo mãdamus, quatenus ea, quæ præfati nuncij noſtri uobis, ex parte culminis noſtri, duxerint exponẽda, ac ſi nos præſentialiter diceremus, indubitabiliter credere, & pleno debeatis effectui mancipare: ſcientes, quòd nullus unquam caſus ſe nobis obtulit ſeu offerre poterit in futurum, in quo, ſicut in iſto, Celſitudini noſtræ ſeruire ac placere poſſitis.

Item cuidam ſuper eodem, reprehendit eum, quia negligenter ſe habuit.

Cap. LX.

NVper Papienſ. ex parte noſtri culminis requiſitis, obtinuiſſemus ab eis uotũ noſtrum, ſi tu per te ac tuos ſuper eodem negocio non tepidè proceſſiſſes. Vt igi-

igitur negligentiæ præteritæ culpam redimas ſolicitudine uirtuoſa: fidelitati tuę p̄cipiendo mandamus, quatenus ad requiſitioné iudicis Maioris de Iuuenatio, magnę Curiæ noſtræ iudicis, & notarij R. fidelium noſtrorum, quos pro magno, nouo, & arduo negocio, ad conſilium ciuitatis Papiæ, & ad te præcipuè deſtinamus, circa obtinendum à cõſilio ipſo quòd uolumus, in præſenti prudentem diligentiam ſolicitus & uigil apponas: ita, quod diligentię tuæ ſtudium dignis præmiorum laudibus proſequamur.

Regratiatur cuidam Communitati, de oblata pecunia, & uult quod cedat in collecta eis impoſita. Cap. LXI.

NVper ad audientiam noſtram, R. comitis Caſertani, dilecti generi & fidelis noſtri nunciatione peruenit, quod uos zelo puræ deuotionis accenſi, præter uniuerſitatis ueſtræ grauamina, quę ꝓ nobis continuè prompta mẽtis alacritate ſuſcipitis: & pręter labores innumeros, quos animorũ clara ſemper affectione portatis, ſolitę deuotionis affectũ, quẽ ad Excellen. noſtram uos gerere, ſine cuiuslibet uerbo uel literis plenè ſcimus: nuꝑ fructiferis ꝓficiẽtes iudicijs, ꝓ reſtauratiõe Camerę noſtrę, quã pridẽ caſꝰ ille nobis (ut creditur)

 hor-

horridus,repentè ſurripuit, de bonis ueſtris,quantitatem nobis placitam, promptis affectibus obtuliſtis. De quo fidei ueſtræ conſtantiam eò laudibus gratioſis extollimus, quò ſuper his uoluntatis ueſtræ promptitudiné experimur. Volentes itaq; uobis ſuper hoc,quorum ſumptus& onera paſſiua quodammodo participatione ſentimus,gratiam facere ſpecialem: ecce oblata per uos pecunia pro receptis habuimus,quam ſic uobis cum gratiarú placida relatiõe remittimus,ut in noſtris ceſſiſſe profectib.uideátur, de quibus, ſi quid jam uoluntatis ardore ſuggeréte ſoluiſtis, in quantitate generalis collectæ,uobis nuper impoſitæ,ſi minor uel æqualis eſt oblatio,uolumus cõputari. Quod ſi oblatio generalis fortè collectæ ſuperet quantitatem,eam occaſione oblationis huiusmodi nolumus ſoluere uos teneri. Vos igitur pręſentem munificentię noſtrę gratiam ſuſcipientes hilariter,firmamſpem fiduciamque concipite,quod de rebellibus noſtris quos habemus in manibus, uotiua nobis prouueniente uictoria, noſtris ueſtrisq; laboribus,ſumptibus & ſumptuoſis laboribus, finem laudabilem imponemus.

Cui-

Cuidam Communitati, commendatio de deuotione, cum inſinuatione proſperi ſtatus.
Cap. LXI.

DEuotionis tuæ literas, quas noſtro nuper culmini deſtinaſti, benignitate recepimus conſueta. Per quas, quia noſtrá conſcientiam inſtruxiſti, de rumorib. quos intellexeras de Theutonicę partib. affectionem & induſtriam tuam plurimũ commendamus. Et quia te ad ſeruitia noſtra promptis affectib. obtuliſti, fidem tuá digna proſequimur gratiarum actione. Inſuper, quia de felicitate Maieſtatis noſtræ, per easdem literas recreari deuotiùs poſtulaſti, licet per longam ſeriem proſperitatem noſtrorum ſucceſſuum tibi, tanquam ſpeciali fideli noſtro, duxerimus de ſcribendam, tua tamen nouiter ſyncera fidelitas, per pręſentes nos tam felicitate ꝓpria, quàm noſtrorum proditorum oppreſſione optata, iuxta uotum (per Dei gratiá) congaudere: nec non & Theobaldum, & Franciſcum, omnesque alios proditores noſtros, qui ſe in caſtro Capuacij temerariè intruſerunt, uelut coactos ſe pœnæ & non miſericordię reddidiſſe. Quorum pœna docebit atrocitatem criminis, quod coniurando in necem noſtram temerariè, imò nefandiſſimè commiſerunt. Propter

quod ſtatu regni noſtri in omni quiete & tranquillitate diſpoſito, iuxta uotum liberi reddimur: & reſumpta uictoria fortiores ad negocia regni noſtri ſic magnificè promouenda, quod omnium rebellium contumacia ad ima deflexa, plena pax & tranquilla quies noſtris fidelibus miniſtretur: & qui ſedem ab Aquilone ponere nititur ſpe fruſtratus, in irritum deducatur. Et dũ cauſam noſtram Rex regum, & Dominus uirtutum, & iuſticia defenſabunt, per Maieſtatis noſtrę potentiam, noſter cõuictus aduerſarius comprimetur. Supplicationi uerò tuę, quam pro liberatione R. de Placentia Excellentię noſtrę tuis literis obtuliſti, taliter reſpondemus: Quòd cum tractatus quoſdam prę manibus habeamus, honori & profectui noſtro plurimum fructuoſos, propter quod liberatio prędicti R. Curiæ noſtræ nullatenus expediret, ad præſens non ferat ægrè tua deuotio, ſi nũc preces tuas ex cauſa prædicta duximus ſuſpendendas.

Capitaneo, quod mittat nomina Poteſtatum, Vicariorum *& Caſtellanorum ſuæ iuriſdictionis, & ſalaria eis debita annuatim.* Cap. LXIII.

Contigit interdum, dum quod ſeruitia grata fideliũ præmiorũ retributione proſequimur: dum terris noſtro domino

mino ſubditis, ad eorū ſalubre regimē de
rectorib. ꝓuidemus, beneficia noſtra quo
debēt, & uolumus euentu nō gaudent: dū
frequēter magna promeritus ad parua prę
ficitur, & minus idoneus ad maiora plerū
que leuatur: locorū etiam quandoq; regi-
mina prouiſionis huiuſmodi perplexitas
ſępe cōfundit, dū indignis digna rectorib.
debita dignitate falluntur, & ad minus di
gna digni aliquando deputantur. Illud in
elegans etiam perſępe contingit, quod de
eiusdem loci regimine à nobis prouiſio-
ni factæ per noſtros uicarios inſcios, & ꝑ
eos noſtri proceſſus ignaros, pro eodem tē
pore ſimul & ſemel diuerſis rectorib. pro-
uidetur: ſic, quòd dum non ſine laboribus
& expenſis ad regimen quis paratus acce
dit, ad propria confuſus reuertitur, dum lo
cum ab alio reperit occupatum. Cum igi-
tur non ex alia cauſa, ſi diligenter aduerti-
mus, huiusmodi morbus inualeat, niſi ꝙ
fidelium qualitates, & noſtrorum officia-
lium geſta ſunt uobis incognita, ac locorū
conditiones & circumſtātias ignoramus:
ſalubri quadam conſideratione prouidi-
mus, ut loca quęlibet, uicarios ſeu pote-
ſtates habentia, & quæ ſint ſalaria ſin-
gulorum in quaternionibus noſtræ Cu-
riæ debeat annotari. ut nobis de huiusmo
di dubietatis inuolucro facta fide, cautiùs
in

in antea beneficia metiamur in ſubditis, & in terris regimina diſcretiùs moderemur. Mandamus igitur fidelitati tuę, quatenus terras quaslibet iuriſdictionis tuę, uicarias ſeu poteſtarias habentes, & ſalaria ſingulorum qui, quot, & quales ſint, & in quibus uicarijs uidelicet, poteſtarijs, & caſtellanijs, ſub quibus ſalarijs uel expenſis officiales hactenus extiterint ab eo tempore, quo Capitaniam ipſam in illis partibus exercuiſti: poteſtates etiam terrarum omnium iuris dictionis tuę, quę demanio noſtro ſunt, ſalaria ſtatuta, quibus liber, & quibus temporibus remouentur, fideliter & ſigillatim ſub tuo ſigillo Curiæ noſtræ ſcribas: ut ad exemplar ſcripti, quod inde direxeris, mandemus, prædicta omnia in quaternionibus noſtræ Curiæ annotari. Volumus etiam ut in locis, quę, prout ſuperiùs dictum eſt, tua fidelitas Celſitudini noſtræ deſcripſerit amodo præter ſpeciale noſtræ Serenitatis oraculum, poteſtates ſeu quoſcunque uicarios nullatenus ordinare præſumas: uerùm, cum priſtinum Maieſtatis noſtrę mandatum non fueris executus iterato fidelitati tuæ pręcipiendo mandamus, quatenus forma & tenore ſubſcripti noſtri mandati, diligenter & fideliter obſeruatis per ſingula ipſum mădatum diligentiùs exequaris: tandem

dem ex inde ſeriatim Excellentiam noſtram tuis literis edocturus, cauens, ne de negligentia ſecundi mandati ualeas reprehendi.

Magiſtris rationalibus ſuis, de executione mandatorum & alijs rationibus ſui officij, ab officialibus exigendis. Cap. LXIIII.

INter accidētium multiplices diuerſosque modos, qui regnantes inſigniunt, adeſt de magis participantib. prouida modeſtia mandatorum. Nam ſiue pro mera gratia, quam aliquibus conferant, uel mixta iuſticiæ mandata, per literas dirigant ad ſubiectos motum interioris hominis (quo medio in actum, uelut de potentia ſingula prodeunt) literis credita, metallo uel cera figurata, mandantis ſpecies authorizat. Quantumcunque ueruntamen dominātis exornat mādata modeſta directio, accidit præcipuè adeſſe domini fidelis & diligens executio eorundem, à quibus tutiùs creditur, & minus indecens reputatur quod imperantes abſtineant à mandatis, quam per patientiam nullius executionis eorum, indebitè uel improuidè ſe eludant. Conſiderato propterea uerecundiæ notam culmini noſtræ Maieſtatis incurrere, quam regnantes debere proſpicimus quoslibet euitare, diſpoſitionis rectæ materiam

teriam in hoc ſingulis tradimus,dum hæreditarium regnum noſtrum Siciliæ, parere nobis in his,ſicut in quibuslibet alijs omnium genere deuotionis obſequitur,ordinamus. Quanquam autem dum pridem feliciter ab eodem regno ſeceſſimus, euidentis utilitatis gratia Germaniam reuiſuri,officiales omnes & Capitaneos per noſtram Excellentiam ordinatos,poſt depoſitum commiſſæ ſibi adminiſtrationis officium, in magna Curia nobis feliciter in regno præſentibus,uel in abſentia noſtra coram eo, qui uices noſtras ibidē pro tempore gereret,iuſſerimus præſentādos: ut ſuper executionib. mandatorum, quæ ad eos fiſcali uel priuatorum utilitate poſcente,officio durante peruenerant, ponerent rationem.prout ex literis noſtris ad H. dilectum filium noſtrum, & ipſius olim conſiliarios deſtinatis,quas per ipſos per totum regnum publicare mādauimus, ad uos conijcimus perueniſſe. Quia tamē temporis ac rerum uarietate poſcente,quibus oportet captari conſilia, fortunæ noſtræ felicitas prorogato itinere ad Germanos, in Liguriæ partibus nos aliquandiu moraturos inſtituit: ut auguſtæ potentiæ noui triumphi materia non deeſſet, ex prædicti filij noſtri conſiliarijs,coram quibus officiales comparere propterea debuiſſent,

iſſent, aliquibus in alleuiatione noſtrorum onerum, ad noſtram præſentiam euocatis, & quosdam alios alijs noſtris ſeruitijs duxerimus promouendos: cum fidelibus noſtris regnicolis ſolitam Excellẽtiæ noſtræ manſuetudinem exercentes, ueniendi propter hoc ad partes Imperij ea neceſſitate ſubmouimus, ne damnoſa ſibi propterea noſtræ Maieſtatis officia reputarent. Vobis igitur de quorum experta fide confidimus: quorum induſtriã in alijs experimur: quos examinatores eſſe uolumus de prædictis, præſentium autoritate præcipimus mandãtes, quatenus ut quàm primum officiales tranſacti tẽporis, per Excellentiam noſtram principaliter ordinati, poſituri rationem de geſto p ipſos officio: uel ſe nobis ultroneos offerẽt, uel ad id uocati, ſe etiã præſentabunt: tactis ſacroſanctis Euangelijs, corporale præbeant ſacramentum, quod mandata omnia & literas, quas à Maieſt. noſtra, propter officium creditum exercendum receperant, uobis debeant integrè pręſentare. Quibus exhibitis coram uobis quantitatem omniũ mandatorũ & reſponſaliũ, ſicut ad quemlibet ſingulis menſib. ſunt directa, diſcretis, his quæ fiſcalia merè continent à priuatis faciatis, officiali p̃ſente, in quaterno aliquo memorialiter annotari.

Sicq;

Sicque inſtanter, ſi hora uel tempus patitur,& alia noſtra maior utilitas non repugnat,legatis cum ſumma diligentia literas quę ad officiales ſpecialiter pro noſtris ſeruitijs ſunt directæ:ordine menſium , ſicut diximus,ordinato, uel officiali præſente, de executione illorum , quæ uideritis per nos mádata fuiſſe , per literas exquirédo: q̃ ſi uideritis per eũ executioni debitæ demandata, commendetis eundem : & bonum proceſſum eius,in ſpeciali quaterno, quem facere uos inde præcipimus redigi faciatis, noſtræ conſcientiæ poſtmodum applicandum. Quod ſi uobis de ipſorum executione idonea non conſtaret, requiratis ab eo,quare hoc potuerit accidiſſe? Qui ſi iuſtam excuſationis ſuę cauſam prætenderit,audiatis eundem & ſimiliter annotetis:ſi uerò non iuſtam, aut nullam excuſationem prætendere poterit,in peccato,negligentia uel culpę ſuę ſiue defectus per uos noſtrę conſcientiæ applicetur:ubi uerò damnũ euidens fuerit per officialis defectum,noſtræ Curiæ uel priuato,inflictum:illud per officialẽ eundem,tam fiſco quàm fidelib. noſtris lęſis,uolumus reſtaurari.Sicque diſcuſsis mandatis & reſponſalibus , primò quæ fiſcalia merè continent , idem uos facere uolumus de noſtræ literis Maieſtatis , quæ ad eum pri-

uatis

uatis ſupplicationibus ſunt directæ: reſpõ ſalium ad hoc noſtrarum tenore & uerbis diligenti prouiſione penſatis, quæ multa uobis de commodis noſtris aperient: præſertim in notificationibus expenſarum, & in alijs officialium noſtrorum proceſsibus, de quibus uobis aliter in proceſſu ratiocinij non conſtaret. Generalia uerò mandata noſtra, quæ ſpecialiter in fauorem fiſcalium, contra ſuſpectos nobis aliquãdo proditores noſtros, & eorum conſanguineos, qui in Maieſtatem noſtram nouiter deliquerunt, dreximus, ſuper inquiſitionibus faciendis de fidelitate illorum, quibus literæ à nobis de mera gratia impetrantur, de ordinatione feudorum: detenendis, & reddendis iumentis: de immunitatibus, quæ anno proximo præterito indultæ ſunt à Maieſtate noſtra Eccleſijs, & prælatis: & de manerijs, qualiter ſunt ſoluendæ, & ſuper actionibus: de inquirendis & reuocandis ſtabilibus & mobilibus proditorũ, in Curiæ noſtræ præiudiciũ occupatis: de forma & locationibus fiſcaliũ, & armis etiam: & de quibuslibet alijs quæ à noſtra Curia emanauerunt, & in fiſci noſtri uel fidelium noſtrorum fauorem generaliter duratura: excepto etiam de alijs, ſicut ad quemlibet nouorum officialium dirigenda uideritis, auditis & admiſsis iuſtis & moderatis

I expen-

expenſis, ſi quas in eorum executionibus debitis, officialis ad quē directa ſunt, ſe feçiſſe monſtrabit, ad officiales noſtros, circa portas Roſeti, ut eorum tempore, ea ſimiliter exequantur, mittere non tardetis. Quibus etiam per literas patētes iniungimus, quod à uobis ea recipiant, & ipſa tanquam ad eos directa clauſa retineant, & fideliter exequantur. Poſt exquiſitam uerò plenè rationem ſuper executionibus mandatorū, ſuper reſiduis inueniendis, quod eſt Curię noſtræ perutile, ſeruata forma uobis anno prçterito per Curiam noſtram data, cuiuslibet ratio ciuium ad Curiæ noſtrę prçfectū, & fidelium noſtrorum expeditionē, ſicut officium ueſtrum decet, ſtudioſè diſcutite, ac diſcuſſum & expeditum finaliter iuxta ſolitum in deſcribendo noſtro culmine terminate. prædictis omnibus uſque ad aliud mandatum noſtri culminis duraturis, & à uobis annexa ſuperius, ſine alio ſpeciali mandato noſtro, annis ſingulis, quibus officiales mutari mādauimus efficaciter ſeruaturis. Ne autem officiales de quibus ſuperiùs diximus, ſi de mandatis noſtris uel reſponſalibus aliqua retinere, uel potiùs occultare non exhibendo præſumpſerint, poſt præſtitū iuramentū, fraudem uel eorum malitiam tranſire ſe gaudeant impunitam, officialem qui Curiæ noſtræ regiſtra, quorum

quorum exempla ſemper habebitis, obtexerit, prudentiæ ueſtræ committimus puniendum.

Eiſdem, ſuper ratiocinijs ab officialibus exigendis uel audiendis. Caput LXV.

AD expeditionem celeré noſtrorum fidelium, ratiocinia ponentiũ corá nobis, ut fiſci noſtri profectus in eis faciliùs, & celeriùs procuretur, utiliter & neceſſariò prouidimus ſtatuendum, ut omnes ſimili diſtinctione temporis non attenta ſuper recipiendis ratiocinijs inſtanter & efficaciter intendatis. ut ibi ſit multa ſalus, ubi multa conſilia, ne aliquid inexpeditum pertráſeat, ſeu remaneat imperfectum, ex multarum perſpicacia mentium, & intuitu quàm plurium oculorum. Quocirca fidelitati ueſtræ firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus non obſtáte quod quoſdam ex uobis pridem mandatum noſtrum ad audiendũ ratiocinia certi & determinati temporis ſpaciũ deputauerit, ſimul amodo & communiter incitandis ab omnibus officialibus ratiocinia poſituris, & eorũ ratiocinijs, tam nouis quàm ueteribus audiendis, prout meliùs poteritis & ſalubriùs intendatis, ſuper eorum deciſione celeri, quantumcunq; poteritis ſolicitudiné impenſuri. Cæterùm poſt collationẽ in talib. habitam, unuſquiſque ueſtrum, cum uno

notario per ſe, & ſinguli ſigillatim eadem ratiocinia plenè diſcutiant: ut ex hoc celerior expeditio procuretur. Super qua ſi dubitatio ulla emerſit, ad alterutrũ recurret, & communiter conferatur, ſecũdum quod inter omnes conuenerit terminando. Si uerò ſuper aliquo uos omnes dubitare contigerit, Curiam noſtram per ueſtras literas conſulatis, receptis dudum ſigillatim per duas ex uobis ratiocinijs, & per uos ſimiliter coram quibus acta ſunt hactenus finiendis.

Magiſtro Maſſariorum ſuorum in Apulia, de ipſorum reformatione. *Caput* LXVI.

Maſſarij uulgo uocantur ſerui, qui fructuũ cõſernãdorũ gratia comparãtur. quales ſunt quos Labeo ſaltuarios uocat L. Quęſitum § Saltuariũ ff. de fun. inſtit. Sed hic ſignificatione nonnihil alia dicuntur, qui cuſtodiæ animaliũ reficiuntur, & qui uillis principum

DE tua fidelitate, prudentia & ſtudio confidentes, te prouiſorem Maſſariarum Curiæ noſtræ infrà ſcriptorum locorũ ſcilicet N. & N. duximus ſtatuẽdũ: tibi præſentibus cõmittentes, quòd recepto exemplo quaterni, quod eſt in Camera noſtra de Maſſarijs ipſis, pro ſeruitio noſtro recepto, à tempore quo facta ſunt inuentaria in eiſdem, à procuratiõibus Curię noſtrę in Apulia præſentibus & futuris: & exemplo eorum quæ receperunt & recipiẽt, de eiſdem dederunt & dabunt etiam annis ſingulis, menſis Octobris annuatim, donec placuerit nobis durare præſentẽ commiſsionem, exinde tibi factam inſtrumentis confectis de

de proceſsibus eorũdem, & inuentarijs factis ſolenniter de ſingulis rebus in Maſſarijs ipſis, à tempore habitis, & inuentis inuentarijs, & quaternis redactis ad noſtram Curiam deſtinandis, uidebis & conſiderabis in quibus eorum Curia noſtra augmétum ſeu diminutionem receperit. ut de augmento quod Celſitudini noſtrę ſcribi uolumus, cuiuslibet diligẽtia commendetur: & ſi diminutionem inueneris in eiſdem indagabis quare cõtigerit: ut ubi fortè peſte adueniente acciderit, procures ad id debitum & poſsibile remediũ adhiberi. Quod ſi diminutioné eandé culpa ſeu negligentia Maſſarij, qui præeſt, reperieris cõtigiſſe, ſtudeas eum inde conuincere coram alijs Maſſarijs conuicinis, iudice loci, ubi Maſſa ria fuerit, ſi habetur, uel iudice uicini caſtri ſeu loci in defectu prædicto, & coram alijs bonis hominibus pręſente altero de magiſtris procuratoribus Curiæ noſtræ, in prouincia conſtituto, ſi eiuſdem culpæ qualitas conuinci Maſſarij non poterit in prædictis. Videas etiam & diligéter inquiras de qualitate & quantitate famulorum, quos ſinguli Maſſariorum retinét, ne inſufficientes habeant, uel ſuperflua multitudine delectentur: item, ſi ſunt bonæ famæ, fideles & ſoliciti circa ſeruitia ſibi commiſſa fideliter exercenda; &, ne fortè conſanguinei

præſunt, ac uillici uocantur. Vide in conſtitutionibus regni Siciliæ, ſub tit. de officio magiſtrorũ Maſſariorũ.

ſint Maſſariorum:&,ne prodigalitate utantur: &, ne defraudēt Curiam noſtrā in reb. uel animalibus quæ cuſtodiunt,& eorum prouentibus:uel, ne prouētus poſſeſsionū uendant,uel alijs largiantur:uel ex cambio mala pro bonis recipiant in Curiæ noſtræ damnum. Videas præterea, ne Maſſarij ipſi poſſeſsiones noſtræ Curiæ, ſuæ Maſſariæ propriè debitas uſurpare pręſumant:ſi conuenticias integrè ſoluāt: ſi poſſeſsiones excoli faciunt temporibus opportunis: ſi eorum fructus bene reponūt. Exquiras etiam à ſingulis eorundem de quātitate ſeminis, & uictualiū recollectorū:ut ſciatur per te,ſi labores fructibus compenſentur:ſi uinum in mundis & bonis uaſcellis & aptis reponunt:ſi domus procurantur, & conſeruantur ut decet & ſi reparatione indigent. Et ſi egent inſtes apud Maſſarios, quòd Maſſarias faciant reparari. Si Maſſariæ ipſę munitæ ſunt lignis,palea & fœno:ſi ſunt in eis loca fertilia: ſi habetur in eis ſufficientia do apibus: ſi de ſurco, auena, milio, panico, ſpelta alijsque leguminibus, bombice, & canabe, de quibus placet nobis ut in ſingulis Maſſarijs debeant ſeminare:ſi de anſeribus,gallinis,columbis, anetibus, caponibus & pauonibus ſimiliter competentem ſufficientiam habeant. Si de pennis ipſarum auium Maſſarij faciunt fieri lectos, &

quod

quod per ſingulos requiras, inſuper eos de plantandis uineis, oliuis & alijs arboribus fructiferis in aptis locis Maſſariarum ipſarum. Quod faciant fieri caſtratos, arietinos, caprinos & bouinos: & de fructibus quos habent faciant impinguari, ut ſi præſentes in regno aderimus, ipſorum carnibus Curia noſtra ueſcatur, uel nobis abſentibus, ex uenditione ipſorum, noſtræ Curiæ utilitas procuretur. Generalis autem defectus, qui ſuppleri per Maſſarios non ualebunt, ſignifices per literas tuas magiſtris procuratoribus noſtræ Curiæ in Apulia, fidelibus noſtris. Quibus ex ipſis ſupplendis ad requiſitionem tuam, mandatum noſtrum per literas deſtinamus. Pro prædictis autem omnibus implementis, ſic fidelem & ſtudioſum exhibeas, ut proinde à Maieſtate noſtra digna beneficia merearis.

Mittit magiſtris & ſcholaribus Bononienſibus libros Ariſtotelis, de Græco & Arabico in Latinum per eum nouiter translatos.

Caput LXVII.

IN extollendis regię pręfecturę faſtigijs, quibus congruēter officia, leges & arma communicāt, neceſſaria fore credimus ſcientię condimēta: ne per huius mundi ſuaues & mulcebres ſemitas, nube ignorantię

commiſcente, uires ultra licitos terminos effrenatè laſciuiant, & iuſticia circa debiti regulas diminuta lãgueſcat. Hinc nos profectò, qui diuina largitione populis præſidemus, generali qua omnes homines naturaliter, ſcire deſiderant, & ſpeciali, qua gaudent aliqui utilitate proficere, antè ſuſcepta noſtri regiminis onera, ſemper à iuuentute noſtra quæſiuimus, formam eius indeſinenter amauimus, & in odore unguentorum ſuorum ſemper aſpirauimus indefeſſè. Poſt regni uerò noſtri curas aſsũptas, quanquam operoſa frequenter negociorum turba nos diſtrahat, & ciuilis ſibi ratio uendicet, ſolicitudinis noſtrę partes, quidquid tamen temporis de rerum familiarium occupatione decerpimus, tranſire non patimur ocioſum: ſed totum in lectionis exercitatione gratuitè libenter expendimus, ut animę clarius uigeat inſtrumẽtũ in acquiſitione ſcientiæ, ſine qua mortaliũ uita nõ regitur liberaliter. Dum librorum ergo uolumina, quorum multifariè multiſque modis diſtincta chirographa, noſtrarum armaria diuitiarum locupletant, ſedula meditatione reuoluimus, & accurata cõtemplatione penſamus, compilationes uariæ ab Ariſtotele alijſque philoſophis, ſub Græcis Arabiciſque uocabulis antiquitùs æditę, in ſermocinalibus & mathematicis diſci-

diſciplinis noſtris aliquando ſenſibus occurrerunt. Quas adhuc originalium dictionum ordinatione conſertas,& uetuſtarum ueſtium, quas eis ætas prima conceſſerat, operimento contectas, uel hominis defectus aut operis,ad Latinę linguę noticiam non perduxit. Volentes igitur,ut ueneranda tantorum operum ſimul authoritas, apud nos non abſque commodis communibus,uocis organo traducere innoteſcat: ea per uiros electos & in utriuſque linguæ prolatione peritos, inſtanter iuſsimus,uerborum fideliter ſeruata uirginitate tranſferri.Quia uerò ſcientiarum generoſa poſſeſsio,in plures diſperſa non deperit,& diſtributa per partes minorationis detrimenta non ſentit: ſed eò diuturniùs perpetuata ſeneſcit,quò publicata fœcũdiùs ſe diffundit:huiuſmodi celare laboris emolumẽta nolumus, nec æſtimauimus nos eadem retinere iucundum,niſi tanti boni nobiſcũ alios participes faceremus.Conſiderantes ueruntamen,quorum conſpectibus, quorumq; iudicijs operis cœpti primitiæ poſſent detentiùs deputari: ecce uobis potiſſimè, uelut Philoſophię pręclaris alumnis: de quorum pectoribus promptuaria plena fluunt:libros aliquos, quos curioſum ſtudium translatorum lingua non potuit fidelis inſtruere,conſultè prouidimus præſen-

tandos uel deſtinandos. Vos igitur uiri, qui de ciſternis ueterib. aquas nouas prudenter educitis, qui fluenta melliflua ſitientibus labijs propinatis: libros ipſos tanquam exennium amici Cæſaris, gratanter accipite: & ipſos antiquis philoſophorum operibus, qui uocis ueſtræ miniſterijs reuiuiſcunt, quorumque nutritis famam, dum dogmata ſternitis ſapienter, ut expedit aggregantes eos in auditorio ueſtro, in quo gratia uirtutũ fructificat, erroris rubigo cõſumitur, & latentis ſcripturæ uarietas aperitur, cùm mittentis fauore commoniti, tum clari tranſmiſsi operis meritis perſuaſi, ad communem utilitatem ſtudentiũ & euidẽtis famę noſtrę præconiũ, publicetis.

Reprehendit Iuſticiarium & acerbè minatur eidem, quia nimis tepidè ſe gerit in officio ſibi cõmiſſo.

Caput LXVIII.

VT iuſtorum & delinquentiũ merita digni cenſura iudicij tractarentur, prouidit ex alto iuſticia, reges & præſides orbis terræ actìbus humanis præficere, ut iuſtis per retributionis tramitem reſponderetur ad gloriam: & delinquentibus, qui iuris regulas abdicant, reſponderetur ad pœnam. Igitur diuinæ bonitatis arbitrium diſſolutum hactenus, regni regimen dignè comitans, ipſius perfecturæ faſtigiũ in

in nobis, uelut in ſucceſſore legitimo, collocauit: ut tranſgreſſorum inſolentias poteſtas nobis tradita flecteret, & puniret, ac ſubditorum fidelium, qui à ſemita mandatorum noſtrorum non deuiapt obſequia, dignæ retributionis commercio compenſaret. Cumque ad id exequendum non poſſumus per uniuerſas mundi partes perſonaliter intereſſe: licet ſimus potentialiter ubique nos: prouidimus tamen de felicioribus regni aliquos, uelut noſtri membra regiminis, determinatis & certis prouincijs præſidere, ut quod in potentia gerimus per eos uelut miniſtros, iuſticiæ deduceretur ad actum. Nuper enim exclamantium & conquerentium fidelium noſtrorum ad audientiam noſtram ſedulo clamore peruenit, quòd in decreta tibi prouincia iuris ordine non ſeruato, & timore noſtræ Maieſtatis abiecto, exceſſus perpetrantur illiciti, & tranſgreſsionũ inſolentiæ aſsiduę committuntur, ſtatus regni pacifici dulcedine laceſsita. Eſt ne iſtud de laude prouidi præſidis? qđ nũc prouincia cui pręficeris prædicat, quòd ſtratę uiolantur & prædia, homines occidũtur, committuntur & furta, mouẽtur rixæ, excitantur & iurgia, die noctuque perpetrantur enormia, ferũtur & arma, nec per te plectuntur exinde tranſgreſſores; imò, ut auribus noſtris

noſtris innotuit,cum ad te deferuntur ſcelerum patratores, huiuſmodi reſeruantur, & qui perſonali ſupplicio ſunt plectẽdi,pecuniario apud te interueniente ſuffragio à pœna pro commiſsis ſceleribus debita liberantur. Ad quorum exemplar alij elationis ſpiritum ſumentes,in uiros iuſtos deſæuiunt, & pacificos indeſinenter offendunt: dum impunes tranſire reſpiciunt, quos ad perſonalẽ pœnã iuris ſanctio meritò condẽnaret. Certe ſi honorẽ tuum attenderes, ſi beneplacitum noſtrum obſeruares, procederes ſolertiùs in prædictis, & in cõmiſſo tibi regimine accuratiùs uigilares. attẽdendo, quicquid inde laudis tibi acquiritur,quod præmium à dextera noſtræ Maieſtatis expectas:cum te incraſſante,in ciuitate qualibet iuriſdictionis tuæ,ubi uiget fertilitas & uictualium copia afflueter exuberat,per partes alias iuriſdictionis eiuſdem ſcelerum nequitia perpetràtur. Deponas nempe nutrire cutem, & Epicuri ſtudeas uitam eijcere. Et ut ad exercendum tibi commiſſum officium fias agilior,poſtponas etiam quæ corpus nutriunt,ad quietem. cum non ſit quieſcendum prę ſidi,ſed continuè ſit agendum. Et ſic commiſſum tibi modicum regimen uigilanter & prudenter exerceas, quod in decreta tibi prouincia, præmiſſæ tranſgreſsiones & uitia depel-

depellantur. Quare fidelitati tuæ,ſub obtentu noſtræ gratiæ, firmiter & expreſsè præcipiendo mãdamus,quatenus per partes prouinciæ iuriſdictionis tuæ ſine diſpēdio more diſcurras, tã prouincialib.quàm indigenis ſingulis, quàm aduenis & concurrentibus uniuerſis iuſticiam miniſtrando: & ſic à præfatis tranſgreſſoribus, prouinciam ipſam optimè purgare procures, & exinde tribulos læſionis euellere, quod præfata facinora & tranſgreſsionum enormitas deleantur, trãſgreſſores, homicidas & fures,ac publicorum uiolatores itinerũ, ac armorum illicitorum etiam delatores, tam pręteritos quàm futuros, ultionis debitæ gladio audacis,more præſidis, uiriliter puniẽdo. ut per te hucuſque commiſſa iniuria,per curæ ſolerciã redimatur:& ſoporis hucuſque habiti abiecta grauedine ſtatus pacis & iuſticiæ, per uigilantię ſolertis excubias reformetur. Sic autem te gerere ſtudias ſtudioſè ſolicitum,quòd ex effectu laudabilium operum,in conſpectu noſtro commendandus occurras. Sciturus, quod ſi aliter inde feceris, præter indignationẽ noſtri culminis quã incurres,ſic contra te ad inflictionem pœnalẽ noſtra procederet autoritas, quod dolore meritò poteris,noſtrũ te ſpreuiſſe mandatum,& tantæ negligentiæ inertiam commiſiſſe.

Reſpon-

Reſponſiua Iuſticiarij ad Imperatorem, & excuſat ſe de obiectis. Caput LXIX.

DEbita reuerentia Maieſtatis ueſtrę receptis & intellectis apicibus, in quibus euidentem innocentiæ meæ cauſſam perpendi, negligentis iniuriæ pernicioſis maculis obfuſcatam, ſtatim obſtupui. Sed ſtupore tractu temporis, expoſcente ueritatis indagine, ab irreptione corporis recedente aliquantulum meus animus reſpirauit ſic, quod inflictæ maculæ cogitationis opacæ cumulum ſubiens, non niſi conqueſtionis materiam potuit eructare. En per ueſtrę Maieſtatis apices eſt aſſertum, quod in regenda prouincia ocioſum inertémque me gero, tepidum pariter & remiſſum. Sicque peruigil cura mea dormienti ceſsit incuriæ, ſolicitudo ceſsit inertiæ, quieti labor ceſsit continuæ, dum prætenſæ incurioſitatis opaca caligo luculentam mei laboris operam operit, & falſæ accuſationis obiectio ueritatis inſtantiam obfuſcauit, de quo ſi dicere liceat, Nulla labis contagio polluit nec ſecreta cordis offenſio me remordet. Vellem itaque quod ſi relata ueritatis fulcimento quomodolibet fulcirentur, quod ſeuerus iuris aculeus æqua lance iudicij percurreret mentem meam, nam quod de iure uenit ſuppliciũ leui-

leuiter eſt ferendum. Sed quia teſte uero Dei iudicio, nulla macula negligétiæ aſperſus, de neglecta cura decretæ mihi prouinciæ nulla iuſta cauſſa ſuadente percutior, dolore ſatis admoneor, & pro tanta calamitate doloris attributæ mihi ſine cauſſa deſidiæ, compellor emittere ſpiritũ rationis, niſi forſan hanc tantũ dixero ultimam eſſe aduerſæ fortunæ ſarcinam, quia dum miſeris aliquod crimen infligitur, quę ſine cauſſa perferunt, meruiſſe creduntur. Scio quòd ipſa rerum neceſsitate cogente, nec minus diuinæ prouiſionis inſtinctu principes gentium ſunt ſtatuti: quò uitæ neciſque arbitri gentibus, ſuper quas quiſque fortunam ſortem ſtatumque habet, alios uelut executores diuinæ ſcientiæ ſtabilirent: quod ubi perſonaliter eſſe non poſſent, adeſſe potentialiter crederẽtur per loca remota ſui regiminis officiales idoneos, quos ſui lateris comitatus illuſtrat quaſi partes ſui corporis deſtinarent. Per quos purgarentur cõmiſſa facinora, contentioſa coartarentur, & iurgia iniqua ſupplantarentur: exceſſus, eorumq; fautores, actores, & complices, perſonarum & criminum qualitate pẽſata, pœna debita dãnarentur, & traderentur morti, potiſsimè publicorũ itinerũ aggreſſores. cũ interſit Reipublicæ ſecurè quẽlibet ꝑ itinera publica cõmeare.

Conue-

Conuenit enim ut in delinquentem pro qualitate delicti ſententia tribuatur, ne ſi delinquentibus indulgeatur ex indulgentia crimina ſubleuētur. Et eſt à ſummo præſide ſumma humanarum atq; diuinarum rerum data nobis inſtructio, ut iniquis hominibus impium nō remaneat præſidium, nec quis peccandi locus delinquentib. relinquatur: ſed ille ſeruetur innocēs, qui reuera innoxius eſt in culpa, nec reputetur improb', ſi quis proba ſe poſsit allegatione tueri: quid pro puritate prætēdens. Nec ignoro ſimiliter, quòd cùm ex alto iuſticiæ ſolio media ſtatera iudicij actus filiorū hominum compēſabit, nec boni præmijs, nec carebunt ſupplicijs malefactores. Scio etiā quod officiales qui ſcelera reperta non iudicant, uerè conſcij uelut criminoſi feſtināt, & in eos meritò ſeuerus exercetur gladius ultionis, ut in ſua nequeant nequitia gloriari. Cum igitur unuſquiſq; bene iudicet, quæ cognoſcit, & horum iudex optimus cenſeatur, qui diſcuſsione debita non omiſſa, ſub diligentis examinis lima legitimo teſtimonio comprobatur, miror tam inſtructum iudicem tam leuiter commoueri, ad tam leuem dilationem, qua de malorum deliberatione deſcribor, & de funeſta pecuniæ præceptione cōpulſor: ut ſic uendere precio iuſticiæ myſterium aſſeueror,
ut

ut ueri iudicium circa mundi limites, relegetur. Siquidem hoc in me concurrente in ea ſententia cōdemnarer, quia ipſe contra me teſtis & iudex exiſterem, & locus teſtibus exteris laxaretur. Eſt itaque nequaquam facilè credere, quod quis ſibi fodiat foueam, in quam cadat: iudex contra ſe ferat ſententiam, & in ſui diſpendium ſic terribile teſtimonium introducat. Quod idem ipſe feciſſem, ſi criminis obiecta potentia, ueritatis fomite foueretur. Diſcutiat ergo, ſi placet, ueſtra Serenitas, iuxta quod iacet ipſius rei ueritatis effectus. Circuiui etiam continua diſcuſsione decretā mihi prouinciam, & ipſam malis hominibus expurgaui, ſtratas inueni tutas, & præ dia tutiora, & tutiſſima corpora ciuitatū: & nunquam adeò inter ueſtros ſubditos decretæ mihi prouinciæ, quietis & pacis uidi ſtare concordiam: armorum cruenta ſpectacula cerno quieſcere, quæ in ipſius officij mei principio efferuebant. Supplex igitur quæſo, quod delata non placeant, uidelicet quod frequentaui loca fertilia, ſterilia uerò ſicco pede tranſiui, cutem colere non poſtpoſui, nec eſſe deſij de genere Epicuri, quia nunquam fui de tali ſchola diſcipulus, nec de tali diſciplina magiſter. Nam quis rei poſſet eſſe finalis exitus, quem nullum principium antecedit,

quis deſperat poſſe deſinere quod non cœpit? aut quis aſſeritur ab eo incipere in quo finitur? Sæuiat in delatores tam improbos ira Dei, & detrahentes mihi non pertranſeat furor ueſter. Et quia conſcientiæ meę ſynceritas puritatem lucis deſiderat clarioris, Maieſtati regiæ humiliter ſupplico cõſternatus ad pedes, quatenus diligentis inquiſitionis officium obiecta diſcutiat per quam contra me ſi probationis argumenta præualeant, uindictam pœnæ non fugio, cui uoluntate ſpõtanea me ſubmitto. Præſto ſum etenim, ſi quid impium indebitè geſſerim, corporalibus expiare piaculis, & quodcunq; per improuidentiam ſenſualitas attulit rationis imperio reformare. Quod ſi delatorum labia, quæ ardentis inuidia liuor exacuit, falſitate farcita ueritas ipſa monſtrabit, cum ſe triſti ſupplicio dignos effecerint, regalis indignationis fulmine feriantur, &c.

Panormitanis fidelibus ſuis ſignificat læticiam de nato filio. Cap. LXX.

EXpectationum ueſtrarum uotis, libẽter & ſæpe ſucceſſiua noſtrorum ſucceſſuum inſinuatione concurrimus, crudele non minus, quàm inelegans æſtimãtes, ſi nos, qui ꝓſperitatis guſtu reficimur, uos odore læticiæ fraudaremus. In participium

cipium igitur gaudiorum noſtrorum uos gratanter aſſumimus,& ex chariſſima conſorte noſtra natum nobis nuperrimè filiū, duodecimo ſcilicet præſentis menſis Februarij,ſub felicis auſpicij ſydere, ueſtris deſiderijs nunciamus. Quod quanquā uobis ſolūmodo nunciare uideamur ad gaudium,rectiùs tamen & digniùs refertur ad commodum communiter omnium: per quod uobis ſalus promittitur, & poſteris: dum fœcunditate propaginis noſtri regiminis ſolium roboratur. Etenim ſi regnorum omniū ſtatus & demolitiones attendimus,profectò uidebimus quòd ſtatum cuiuslibet ſeruat & roborat regię ſobolis continuata ſucceſſio, per quam prouenit populis perpetua tranquillitas , & ſucceſſorum defectus regna cōminuit,& Imperium demolitur. Lætare igitur regum patria, terra dulcedinis, experti diſpendij uita periculum,ſpes uos pulcherrima foueat:quod dum Serenitatis noſtræ gremium numeroſę prolis fœcundat ęditio, diſpendioſam iam pati penuriam de regib. nō poſſitis. Ad uos deniq; gratiſſima ueniat pręſentis inſinuatiōis epiſtola,quę uos in gaudiorum noſtrorum conſortium euocat,& ueſtrum uobis in ſolidum commodum repreſentat:imò ſi uerum inſpicimus &ſubtiliter intuemur,ex noſtra natiuitate

filij,uos à nobis uberius commodum, & fructum percipitis ampliorem, nobisq; enim & cæteris orbis terræ principibus, filij naſcuntur ad gaudium, ſed ſubditis ad ſalutem. Subeſt tamen adhuc communis & ultima cauſa læticiæ, quod dum ſub uictoriæ noſtræ tempore, quam de publicis hoſtibus & aucta diſcordia gladius Imperialis obtinuit, de naturæ gremio ſumma prouiſio prodijt, hominem uictorioſum nobis filium, & uobis regem & dominũ repromiſit. Votis igitur omnium exorabitur diuina clementia, ut quem naſci præſtitit, diu uiuere præbeat: & cui uiuere contulit, conferat & uirtutes.

Eiſdem de nata filia, &c. Cap. LXXI.

Communem & debitam omnium populorum regiminis noſtri læticiam, expectationum ueſtrarum uotis ſpecialiter deducentes, ad uos Imperialium apicũ certa deſcriptiõe deferimus, quod ad aliorum noticiam, fama tantummodo, ueritatis aliquando neſcia, nunciante defertur. Singularis tamen & purus noſtræ familiaritatis affectus, quem ad uos uelut ad noſtrum populum ſpecialem, & peculiarem habemus, nõ iniuſtam çæteris cauſam inuidiæ de nobis uel admirationis adducit. Vos etenim clariſſima prædeceſſorum noſtro-

ſtrorum hæreditas, ſucceſſorum indubitata patria aula regum, uos exultationis noſtræ fidele principium, & ſublimationis proceſſus egregius, præcipuam gratiam meruiſtis. Propter quod ſicut de manu Domini continuatur nobis bona continuè, ſic proſpera proſperis ſucceſſiuè ſuccedũt. Sicq; deſideria ueſtra prouidè meritò recreamus, de chariſſima conſorte noſtra natam nobis nuperrimè filiam, uotiuis expectationibus ueſtris hilariter nunciantes: utpote qui felicitatis noſtræ, nec minus ueſtræ læticiam uobiſcum uolumus domeſtica participatione ſortiri. Inter cætera namq́ue, de quibus diuina potentia gratificari ſe nobis communiter eodem beneficio poſſet, & uobis nullum munus cõmuni uoto communius, nullum noſtris & ueſtris profectib. efficacius arbitramur, quàm cùm noſtrę fœcunditatis gremium prolis nouæ fœtu multiplicat, cum qua tranquillitatis ueſtræ ſtatus ſecundiori robore noſtri dominij roboratur, & petita pax uobis & poſteris confirmatur. Hinc quippe eſt regnorum omnium ſalus, hinc uita pacifica populorum, cum regalis menſæ circuitus legitima ſobole circumdatur. Hęc ſunt affectionis certiſſima pignora principis ad ſubiectos, cum circa latera filiorum generoſæ propaginis ſuæ incrementa circum-

ſpicit, quibus fidem & gratiam præparat ſubditorum. Nam cum uitæ propriæ terminos finiri præcogitat, propagari gaudet in ſobole gratiam principatus. Et quanquam in prole fœminea regnorum iura & regnantium ſolia non quieſcant, grata tamẽ hæc filia debet eſſe cum maſculis: quæ uelut tempeſtiua paranympha ſequentiũ, & ara certiſſima maſculorum, ex Imperatricis nouæ conſortio indubitatam nobis & uobis (Domino faciente) de regibus copiam repromiſit.

Senatori & populo Romano, ut mittant proconſules ſuos ad eum, quibus honores & officia uult conferre. Cap. LXXII.

ARdens ſemper fuit cor noſtrũ ab ętatis noſtrę principio, poſtquã regalẽ indolem illuſtris natura Cęſarũ de uirtute cõtingente præuenit: & eadẽ continuata uoluntas cũ dignitate ſuccedente concreuit, ſicut nũcij ueſtri ad noſtrã frequẽter ꝑſentiam deſtinati (cum quib. de corde puro & conſtantia nõ ficta cõtulimus) potuerunt ad publicam ueſtram noticiam pertuliſſe noſtrum conſtans propoſitum & affectum: ut autorem pariter & auctricem imperij Romani reformaremus Romã, in ſtatũ dignitatis antiquę, ac proceres ac ciues ſuos, cũ quib. Reſpubl. cõſueuit hactenus lon-

longè lateq́; magnificis titulis exaltari, ex cōmiſſo nobis Imp.honoris onere,non in dignè ad partes ſolicitudinis uocaremus quoſdā pręficiētes circa latus noſtrum publicis officijs aulæ Cæſareę: quoſdam ad præſidiatus regionum pariter & regnorū ac prouinciarum adminiſtrationes & regimina ſtatuentes:alijs per diuerſa officia præfecturarū prout nobilitas exigit,& induſtria ſingulorum,propenſiori ſtudio deputatis.ut quæ in principē Rom.cūcta officia & ſua tranſtulerat,eadem felix Roma nihilo minus particeps onerum & laborū coadiutrix accedat,nec ſit expers honorū quorum ipſa contulit incrementa. Non patientes igitur conceptæ uoluntatis cōmoda diutius prorograri, ſed ut ad decus & honorē urbis nobiles Romani præſideant officijs,& dignitatib.illuſtrentur:uniuerſitatem ueſtram monemus, ſollicitamus,& hortamur attentiùs, quatenus prę conſules noſtros, Nepuleonem Ioannem de Polo, Ottonem Frangepanem & Anglum Malabrancham,dilectos noſtros,abſque difficultate moræ ad noſtram præſentiam tranſmittatis : honores & onera ſubituros,quibus ſingulos eorum duxerimus deputandos . ut felici noſtro tempore in urbe Romana Romulei ſanguinis honos appareat, Romanum diadema

uel idioma præfulgeat, & antiqua renouetur dignitas Romanorum, & fiat nexus indiſſolubilis gratiæ noſtræ inter Romanũ Imperium & Romanos: quam nos & noſtra tota Cæſarea ſucceſſura progenies, circa Romani ſtatus honorificentiam, & augmẽtum teneamur perenniter ampliare. Cæterùm quæ Theodemus iudex Curiæ noſtrę, fidelis noſter, ex parte noſtra uobis dixerit, credere debeatis fideliter.

Significat quibusdam magnatibus ſe citò iturum ad partes eorum, corroborans eos in fide ſua. Cap. LXXIII.

QVanta ſit fidei ueſtrę conſtantia, quã erga nos, & Imperium prompta mẽtis alacritate protenditis, euidentibus operum experimentis agnoſcimus, & crebra Richardi comitis Th. fidelis noſtri relatio patefecit. Ex quo ſynceritatis ueſtrę zelum tantò fæcundioribus titulis laudum extollimus, quantò præſentium negociorum & temporum qualitate penſata, gratiora nunc noſtrorum fidelium obſequia reputãtes, deuotionem ueſtram ſynceram in nubibus firmiorem præ alijs in fide noſtri culminis experimur. Cum igitur in partibus Pedemontis, ubi terram marchionis Montis ferrati, proditoris noſtri, quã continuę depopulationi ſubijcimus, ut ſingula

gula nobis ad placitum grata ſucceſſione reſpondeant, expeditis in proximo quibusdam arduis & magnis ſacri Imperij negocijs, pro quibus ibidem moram neceſſario hucuſq; protraximus, conſiderationis noſtræ intuitus dirigatur, partesque ipſas uictorioſè repetere firmiter diſponamus: fidelitatem ueſtram, de qua plenè confidimus, monemus attentè, mandantes quatenus de felici aduentu noſtro, quem uobis proximum pollicemur, firmam fiduciam obtinentes, ſic interim in fide noſtra uires & animos augeatis, quod uobiſcum placida uiſione præſentes, deuotionem ueſtrã pro meritis proſequi ualeamus affectibus, & ad ſtatum ueſtrum dignis beneficijs ampliandum, quaſi per debitum inuitemur.

Significat Cremonenſibus fidelibus ſuis proceſſum ſuum de regno in Romaniolã, & ſe liberatum ab infirmitate. Cap. LXXIIII.

TAntus nos amor & cura Italię ſe dandę ſollicitat, tanta ſolicitudo comitatur & peruenit curas noſtras de fidelibus noſtris à perſecutione hoſtium releuãdis, quod nullę regni noſtri delitię, nulla quies, nec aliqua poterunt nos ſolatia detinere: quin expeditis in regno cum conſtantia & anxietate magnis negociis, quę tanto expetendo & expediendo negocio

congruebant, ad egreſſum regni celeritet properantes, omiſſa qete motib. noſtris in feſta æſtiuis coloribus & Caſtrẽſi pulueri nos daremus: perſonæ ueſtrę ac fideliũ noſtrorum periculis nõ parcẽtes: ut inter paluſtres oras montiũ orbe circundatas, depopulationes & cædes hoſtiũ agerentur, nobis ad ſalutẽ & quietẽ fideliũ diligentibus deliberato cõſilio greſſus noſtros. Accidit igitur inter occupationes & curas publicas, quib. inuitus curarũ animus nõ potuit obſtitiſſe, perſonã noſtram prę infirmitate corporis incurriſſe diſcraſiam, quã cũ uirtute ſic uicimus ut Imperialiter exiſtẽtib. nobis in caſtris, die cretica terminata, uictorioſum proceſſum & felicem uictoriam Cæſareã non præſumeret ulterius impedire &c. Quapropter authore Domino, qui regib. & principib. dat ſalutẽ, in priſtinam cõualeſcentiam reſtituti, fortiores facti, & timores æſtiui tẽporis cõtemnentes cœptũ iter adductis uirib. & undiq; potentia noſtra congregata, proſequimur: & in Romaniolam procedẽtes, quocunq; rebelles occurrerint, per noſtram potentiã ſub pedib. noſtris oppreſſuri. Et ut uos omnes & ſinguli, tam de reſumpta cõualeſcentia quàm de ſucceſſib. ſubſecutis cõfortari uelitis plenius & lætari, iſtud uobis ſignificamus ad omnẽ dubietatem penitus amouẽ-

dam,

dam, quia (Rege regum cum ſuo miſericor diter Principe diſpenſante) optata ſalus & ſperata hoſtium uictoria ſubſequuntur.

Regratiatur ciuitati, quod ſuũ familiarẽ in Poteſta tem eligẽtes multipliciter honorarũt. Cap. LXXV.

PVra fides & experta deuotio, quib. inter alios imperij Romani fideles clarius in conſpectu noſtræ Celſitudinis præfulgetis, argumentum nobis firmæ fiduciæ præbuerunt, ut in omnibus quæ decus Excellentiæ noſtræ reſpiciunt, uos ſecuriſſimè requirentes, de uobis amodo firmius & fiducialius confidamus. Latere namq; conſcientiam noſtram, uel à tenacitate memoriæ noſtræ nullatenus cecidiſſe credatis, qualiter uos præ cæteris Arelatenſibus regni fidelibus, H. de Rauello, Seneſchallum noſtrum & ipſius regni uicarium, ob honorem culminis noſtri gratius & honorabilius pertractaſtis, exhibentes uos eidem in omni ſynceritate deuotos, quæ grata nobis extitit & Imperio fructuoſa. Nec nos præterijt, quod T. de &c. militem Papienſem, & nobis tam probabili præſumptione fidelem, rectorem ueſtrũ anni prȩteriti, de noſtra familia prouidère cepiſtis. Ex quib. omnib. laudabiliter infor mati, q uos inſeparabiliter uoluiſtis nobis glutino deuotionis & fidei glutinari, ad uos oculũ prouidẽtiȩ noſtræ uerſa uice di rigi-

rigimus, de proſpero ſtatu ueſtro nec non & de ſalubri regimine præcipua ſolicitudine cogitantes. Et cum inter curas ſolicitudinis noſtrę reuoluimus, qualiter p nos uobis poſſet in ipſo ſalubriùs & cautiùs ꝓuideri, illud tandē tenaci meditatione tanquam honorificentius nobis & uobis duximus eligēdum, quòd ad hoc uires & potētiam noſtrā ueſtris profectib. ſtrictiùs & peculiariùs obligetis. Ad quod, prout perſpicaciter intueri poteſtis, nulla nos inducit ambitio, quod curam regiminis ciuitatis unius quantumcunq; nobis ſynceritate experta fidelis aſſumere cupiamus, qui ferè totiꝰ orbis habenas uniuerſaliter moderamur: ſed ut affectionis noſtræ zelum uobis ſingulariter oſtendamus, & ut ad cōſideratione omniū manifeſtiſſimè deducatur: quod dū humeris noſtris ſarcinā regiminis ueſtri libenter imponimus, regi uos prouidè ac ſalubriter affectemus, ut ſine culminis noſtri læſione lædi per aliquem non poſſitis.

Communitati, quod parent nūcios mittendos Cremonam, ubi intendit Curiā celebrare. Cap. LXXVI.

QValiter iura Imperij pro uarietate tēporis pręcedētis cōculcata iaceāt & depreſſa, qualiter eius trāquillitas fuerit olim & ſit uſq; ad hęc felicia noſtra tēpora (quòd anxiè dicimus) perturbata, uniuerſi de

de Imperio cuiuscunq; officij, uel cõditio
nis in oppreſſionibus proprijs perſonarũ,
& rerum diſpendijs ſenſerunt, & ſentiunt
inceſſanter. Nec immeritò membra in capi
te patiũtur, ſine cuius integritate, ſicut ab
experto cognoſcitis, nequit membrorum
cõpago illęſa ſeruari, & uix ſperãt reforma
tionẽ admittere ſui ſtatus: niſi redintegra-
tio præparetur capiti, à quo ſubſiſtẽtia uiri
um recipiunt firmitatem. Sic enim eſt per
fas & nefas deductũ Imperium, ſic eſt neq-
ter deducta cõditio ſubditorũ, ut expedi-
at penitùs illicitos exceſſus, aliquãdo no-
bis uidentib. ꝑpetratos, conniuentib. ocu
lis pertrãſire: &, quod omnino eſt grauius
ab imminẽtis ruinę ꝑiculo nonnunquam
abſtinere licitũ, uelle quod nolumus coge
remur. Volentes itaq; iura Imperij in ſtatũ
optimũ reformare, ſubditorũ oppreſſioni-
bus cõdolentes, apud Cremonã, proximo
die feſtiuitatis Reſurrectionis Dominicæ
nũc inſtãtis, de cõſilio principũ Palatino-
rũ ſolennẽ indiximus Curiã celebrãdam.
Quapropter uobis ſub debito fidelitatis,
quo nobis aſtricti tenemini, firmiter & di-
ſtrictè pręcipiẽdo mãdamus, quatenus ue
ſtros milites armis & equis, qua conuenit
diligẽtia, ꝑparetis, ut quũ ad finitimas par
tes Imp. noueritis nos feliciter dirigere i-
ter noſtrũ, eoſdẽ ante noſtrã pręſentiã trãs
mitta-

mittatis: de condigna retributione ſecuri, quia nobis & ueſtris benemeritis curabimus reſpondere.

Rex Conradus ſignificat aduentum ſuum de Alamannia in regnum cuidam Magnati. Cap. LXXVII.

VOlentes deuotioné tuá felicib. noſtræ Maieſt. recreare proceſſib. fidelitati tuę duximus ad gaudiũ intimandũ, q̃ de negocijs omnib. in partib. Alamánię & ſubſequéter in Lõbardia, pro uoto diſpoſitis, & ad honoré culminis noſtri ſalubriter ordinatis, die lunæ quarto inſtátis mẽſis Decemb. greſſus noſtros feliciter de Verona mouétes, apud Lugnaniá die ipſo uenimus pnoctare: ſequẽti die Martis Vicentiá accedétes: & exinde uerſus portũ Piſanũ cõtinuatis proceſſuri dietis, die lunę 11. Mẽſis eiuſdé felici agmine galeas intrabimus in hæreditariũ regnũ noſtrũ Sicilię eueſtigio acceſſuri. Vbi applicátes Deo duce ſalubriter, quá iam per præcedentes indiximus Excellent. noſtrę literas, in feſto Natiuitatis Dominicæ proximo ueniente, pro reformatione ipſius prouinciæ, & fideliũ noſtrorũ ſtatu ſalubri, apud Foggiá tenere propoſuimus Curiá generalé. Quare fidelitaté tuam hortamur attentiùs & mandamus, quatenus felicium ſucceſſuũ noſtrorũ uotiua recreatiõe lætatus, circa Maieſt. noſtrę negocia uel ſeruitia more ſolito, ſic lau-

laudabiliter & ſtrenuè ac deuotè te geras,
ut in cōſpectu noſtri culminis gratioſ9 ap
pareas, & cōmendabilis præſenteris. Nos
.n. alta mente cōcepimus, tam de ſeruitijs
quæ diuę memorię genitori noſtro, nobis
& Imperio, tua inceſſanter fidelitas contu
lit fideliter & gratanter, quàm de his, quæ
ueſtræ te ſperamus Celſitudini gratioſius
in ante acollaturum, deuotionem tuam di
gnis extollere præmijs meritorum.

*Idem ſignificat ſe iturum contra rebelles, & ani-
mat in fide fideles, narrando magnitudinem ſui exer
citus.* Cap. LXXVIII.

Fidē & deuotionē noſtrorū fidelium, &
quondā feliciſſimi patris noſtri (diuæ
memoriæ) recolendā, quā poſt eius obitū
inuiolatā permāſiſſe cognouim9, & ad ꝓ-
ſperū honorē noſtrū noſtræq; ſublimitatis
augmētū, placidæ ſucceſſiōis ordine ardē
tius anhelare uolētes, & eorū bonis exigē
tib. meritis ad ſtatū pacificū & magnificū
ꝓmouere, ut perſeuerantiā fidelitatis ue-
ſtræ nobis gratā & uobis utilē cognoſca-
tis: ecce quod ad partes Imp. pro extermi-
natiōe hoſtiū ueſtrorū, noſtrorūq; rebelli-
um q maximè Celſit. noſtræ ſpōtanei no-
luerūt ſubiacere, nec aſſiſtere nobis ꝓ trā-
quillitate durabili conquirenda, cū felici
& innumerabili exercitu noſtro feſtini di
rigimus greſſus noſtros. Quare dilectionē
ueſtram monemus attentiùs & hortamur

quatenus uos armis & equis & aliis exercitui neceſſariis, prout tanti negocii cura depoſcit, laudabiliter præparetis: non tamen neceſſitate aliqua exigẽte, ſed ut propriis manib. de inimicis noſtris, in eorum pertinacia cõmorantib. gaudeatis ad uota recipere ultionẽ: procul dubio cognoſcentes, quod ſi quos mãdatorũ noſtrorũ inuenerimus contẽptores, de aduẽtu noſtri terrore dũtaxat eos diſpergi poteritis intueri nec nõ q à primo euaſionis noſtrę impetu euadere uiderentur, receptaculis in quib. latẽt penitus deſtituti ſpiritu, animata corpora pro uolatiliũ & ferarũ eſca tanquã cadauera derelinquẽt. niſi diuina potẽtia aliquo inſperato caſu (qđ abſit) noſtris ꝓceſſib. opponatur. Pręterea de potentia noſtri exercitus, nõ ampliato nomine ueritatis, ſed potius anguſtato uolentes uos reddere certiores, ut in fidei uerbo teneatis q; noſtrorum agminum fortitudo, 20 milia militum electorum, quantumcunq; fortiùs poſſent obſiſtere, non timeret.

Idem ſignificat Cremonenſibus ſe regnum pacificè poßidere, & ſe iturum in Lombardiam, & ut pareant uicario. *Cap.* LXXIX.

FRequenter uobis deſcribere uolumus altitudinẽ ſtatꝰ noſtri, ut dũ in ꝓſperis ſucceſſib. quos diuina nobis largitur potẽtia, ueſtra deuota fides & fidelis deuotio glorie-

tietur:nobis etiam fuerint ipſa gaudia gratiora, ſi uobiſcũ participamus eadem quos in exaltatione noſtra pro certo nouimus exaltari. Accedat ad uos igitur pręſentium uerborum compages, ueſtris ſenſibus firmiter relatura, quòd H. comite Caſertano, dilecto ſororio noſtro, unà cum ciuitate Capuæ, ad mandata noſtri culminis iam conuerſo, totum regnum habemus pacificè: ita, quòd noſtro dominio taliter conculcatum nihil ibi iam ſupereſt noſtræ contrarium Maieſtati, nihil ibi reſiſtit de cætero uotis noſtris. Ideoque collecto robore, uiribus undique congregatis, reſumpto ſpiritu fortiori, tota mente proponimus intẽdere negocijs Lõbardiæ: & perſonam noſtram, regna, diuitias, & theſauros exponere pro noſtris rebellibus edomandis. Ad cuius propoſiti finem uotiuum, ut poſſimus ſalubriùs peruenire, ad ueſtram & aliorum fidelium ſalutem perpetuam, noſtramque gloriam & honorem, illo proditore nefario Marchione uocato Lãcea damnato finaliter & in conditione publica forbannito, miſsiſque in exilium ſuis omnib. qui morabantur in regno: fidelem & ſolicitum uirum, qualibet ſuſpicione carentem, de quo ſicut de nobiſmetipſis confidimus, Vbertum marchionẽ Palatinum, dilectum familiarem & fidelem noſtrum, à Papia ſu-

periùs,ſicut inferiùs per totã Lombardiam ſtatuimus in officio uicariæ. Fidelitati ueſtræ firmiter iniungentes,quatenus eidem tanquam perſonæ noſtrę,noſtram in eo potentiam figurãtes, ad honorem & fidelitatem noſtram intendere ac parcere curetis. Præcipuè autẽ diebus iſtis in defenſionem ciuitatis noſtrę Terdonenſis,& requiſitionem &mandatum ipſius oſtendere uos beneuolos,& paratos, ut ciuitas ipſa poſſe fidelium defenſa, offenſam infidelium non formidet. Amen etc.

Ciuitati,ut faciant guerram Mediolanenſibus, donec iuerit ad eos,cum paratus ſit ad iter.

Caput LXXX.

EXpectãtes expectaſtis, & deſiderio deſideraſtis hactenus, ut in manu forti Italiam ingredi perſonaliter deberemus. Ecce uenimus, & tam cum honorabili militũ comitiua,quàm à longè retroactis temporibus Romani principes in Italiam non duxerunt. Propter quod non iniuſtè credidimus,ut noſtri Imperij rebelles,ad iura, nec minus ad uires noſtras reſpectum habẽtes, mandatis noſtris exponere ſe deberẽt: qui tam antiquæ ſpiritu rebellionis aſſumpto, noſtris contradicere uiribus moliuntur. Et quia pugnæ diſcrimine cãpeſtria bella nobiſcum aggredi reformidant, per locorum anguſta & fluminũ uada uictorioſi exercitus

tus noſtri tranſitum præpedire nituntur, armatorum ſuorum globos militibus noſtris obijcere molientes: ut ad commune certamen liberum & expeditum nequeant habere progreſſum. Mediolanenſes pręterea, qui inter cæteros rebelles noſtros, contra nos & Imperiũ noſtrum uexillũ ſibi nequitię erigere præſumpſerunt, militũ ſuorum turmas, per ſingula loca iter noſtrũ debilitatũ deſcribũt, per quę ad nos habere trãſitum deberemus, prępedientes in hoc uires Imperij, & noſtras. quas ſaltẽ uicinatione locorũ formidare deberent, nihilominus contẽnentes. Cur igitur firmi noſtri propoſiti ſit, cum felici exercitu noſtro ad partes ipſas accedere, ut ſerpentis nequitiam non in cauda, ſed in capite cõteramus: deuotioni ueſtræ mandauimus, quatenus, ſicut honorem Imperij diligitis, & ſalutẽ noſtram optatis, contra Mediolanẽſes & eorum ſequaces alios, qui ſic in dedecus & lęſionem noſtram, noſtrorumq; fidelium effrenè uagantur, ad guerram eueſtigiò reſurgatis: ut ſic ipſos, qui contra nos & Imperium & infideles noſtros alios laſciuire nituntur, ad defenſionem domus proprię neceſſariò reuocetis: quòd multitudinẽ deuótionis ueſtræ, quã in auribus noſtris retroactis temporibus ſpondebatis, in oculis Excellẽtiæ noſtrę, nos experiri uiriliter uideamus.

Magiſter Petrus de Vineis ſignificat magiſtro Rofredo ut uadat ad Curiam. Caput LXXXI.

SVo magiſtro Rofredo de Beneuento, ſuus P. de Vinea nouæ relationis gaudium & ueteris deuotionis affectū. Aduentum ueſtrum ad Curiam, ante uocationem expedire credimus. Nunc autem credimus oportere, ne uocans in uocato contemptum, & imperans per uocationis literas habeat ſe deceptum. Igitur, ut breuiter me expetiam, uel uenire ſocerum expedit, uel generum non remitti. etc.

Aretinis fidelibus ſuis, ut parent ſe armis & equis, cum expeditis iam negocijs Lombardiæ intendat ire in regnum. Caput LXXXII.

VT ueſtræ deuotionis integritas, quā noſtræ proſperitatis auidam fore cō fidimus, firmam de felicis noſtri uicinitate fiduciam, & plenam de noſtrorum grata diſpoſitione proceſſuum cauſam iucunditatis aſſumat: ad noticiam ueſtram præſentium tenore perducimus, quòd negocijs ſuperiorū partium Lombardiæ, in quibus nos hactenus neceſſaria & utilis cauſa detinuit, ſalubriter ordinatis ad uotum, iam Cremonam aduenimus. ubi iam Ezelinū de Romania dilectū filium noſtrum, cum nepte ſua Heinrico regi Sardiniæ, dilecto filio noſtro, matrimoniali commertio copulan-

pulanda:nec non ambaſiatores ciuitatum à Papia inferius,quos celeriter ad noſtram prouinciam uenire mandauimus, pro regionis huiuſmodi negocijs diſponendis utiliter,de die in diem continuè expectantes,ad partes Thuſciæ, continuatis dietis, conſtanter intendimus dirigere greſſus noſtros. Volētes igitur,ut ſtatus ipſarum partium,quas,uelut charum & nobile membrum Imperij, quadam affectione præcipua Serenitas noſtra uidere deſiderat,in felici aduentu noſtro, quem uobis in proximo pollicemur, tam uiriliter quàm prouidè reformetur:ut incauta noſtrorum corda rebellium, de quibus finalis & deſiderata uictoria noſtrę potentię gladio reſeruatur, ſicut in abſentia noſtra gloriati ſunt hactenus,ſic ex uicinitate noſtræ potentiæ terreantur:fidelitatem ueſtram,quam ſemper inuenimus ad beneplacida noſtra paratam hortamur attentiùs & mandamus, quatenus ad requiſitionem Friderici de Antiochia,ſacri Imperij in Thuſcia uicarij generalis,dilecti filij noſtri,ſic in equorum & armorum apparatu continuo perſiſtatis, ut in aduētu noſtro,ciuitatis ueſtræ ſubſidio magnificè noſtris uiribus aggregato, ad confuſionem noſtrorum rebellium intendere ualeatis.

Eiſdem, ut mittăt quatuor de ſapientibus uiris ſuis ad eum, ſuper petitis conſilium impenſuris.

Caput LXXXIII.

GRata ſatis eſt in conſpectu noſtro fidei ueſtrę conſtantia, quam erga Maieſtatem noſtram clara ſemper operum exhibitione prætenditis, & prompta deuotionis alacritate portatis. de qua præſtãtia laudum præconia teſtimoniaque ueridica noſtrorum fidelium relatione ſuſcepimus, & nos ipſi iam multotiens experimento manifeſto per opera, ſine quibuſdam relatibus, certi ſumus. Ex quibus ſanè digna commendatione uos proſequimur, & beneuolentiæ noſtræ gratiam tantò uobis fauorabiliùs pollicemur, quantò deuotionẽ ueſtram fructuoſiorem in noſtris ſeruitijs experimur. Cumque pro quibuſdam Excellentiæ noſtræ negocijs quæ honorem noſtrum & commoda noſtra reſpiciunt, uniuerſitatis ueſtræ conſilium utile reputemus: fidelitati ueſtræ præcipimus, quatanus, ſicut honorem noſtrum & utilitates noſtras appetitis, ſtatim receptis præſentibus, quatuor de ſapientibus uiris ueſtris, plena ueſtrum authoritate ſuffultis, ad Maieſtatis noſtræ præſentiam deſtinetis.

Capita-

Capitaneo reſpondet, commendans eum de proceſſu habito per eum, & inſtruit qualiter ſit proceſſurus.

Caput LXXXIIII.

CONſueta benignitate recepit Excellētia noſtra literas, per te noſtro culmini deſtinatas, & uidimus ipſarū continentiā diligenter. Super eo ſanè, quod ſcripſiſti te ꝑpter quædā diuerſimodè intellecta de ſtatu ciuitatis Thaurini, quę tibi uidebātur obliqua, cum magna militū & peditum comitiua, perſonaliter ad terrā ipſam greſſus tuos cum feſtinantia direxiſſe, & ibidem hincinde diligēter exquiſitis, & cautè quæ ad cautelā ſeruitiorum noſtrorū exquirenda penſaſti quoſdā, qui uidebantur magis eſſe ſuſpecti, per ꝑſonas capi ſtatuēs, ipſóſque faciēs cum diligentia cuſtodiri: tuum exinde ſtudiū, & induſtriam euidentē, quę circa noſtræ Celſitudinis augmentū, in his & alijs te apponere cognoſcimus, nō immeritò commēdamus. Verùm cùm tā propter rebelliū noſtrorum depreſsionē, ad quā efficaciùs inferendam te ſtudioſum fore credimus & attentū, quàm propter fidelium nóſtrorum ſalutarem defenſionem, milites tuę iuriſdictiouis dudum ſuppoſitos, equis & armis uolumus eſſe munitos ita, quod per defectum armorum & equorum, ſeruitia noſtra non remaneant imperfecta: deuotioni tuæ præcipiendo mandamus,

quatenus ſic inſtanter procures & facias, quod omnes tuæ iuriſdictioni ſubiecti, qui equos retinere debent & arma, ſint ipſis ut conuenit ſine mora qualibet præparati, ad noſtrum ſeruitiũ tecum laudabiliter proceſſuri. Super alijs uerò quæ ſcripſiſti Celſit. noſtra prouidere curabit, prout honori noſtro uiderimus expedire. Tu autem in his & alijs ſeruitijs noſtris, & maxime circa diligentem cuſtodiam ciuitatis Thaurini, taliter pręuigil & ſtudioſus intendas, qđ ipſa operum patens efficacia, in Excellentiæ noſtræ oculis te, iuxta ſolitum, cõmendabilem repræſentet.

Vicario, ut diffidat Ianuenſibus rebellibus Imperij, qui mentiti ſunt fidem quam promiſerant.

Caput LXXXV.

VEnientibus ad præſentiam noſtram pridem nuncijs Ianuenſibus, & pro parte totius communis eorum latis literis, ac authoritate ipſorum promittentibus & iurantibus fidelitatem noſtram ſeruare ac noſtris ſtare beneplacitis & mandatis: nos & Imperialis clemẽtia dignitatis, qua tam glorioſum repetamus miſericorditer ſubditis ignoſcere, & eos in noſtra gratia reformare, quàm eorum deſiderare uindictam, per eoſdem nuncios, & pro parte communis eorum præſtitum iuramẽtum benignè rece-

recepimus: ad ciuitatem ipſam, ſpeciales nuncios cũ literis noſtris benigniùs tranſmittentes, qui recepto (ſicut moris eſt) fidelitatis ab omnibus debito iuramento, eos reſtitutionis gratiæ noſtræ certos efficerẽt & iucundos. Sed cum ijdem nuncij contrarium inueniſſent, fidem eorum qui pro parte communis ad nos uenerant in ſui promiſsione mentitam, & uolũtates omnium in perfidia potiùs, quàm in promiſſa fidelitate noſtra deprehenderent obſtinatas: ad nos ſine quolibet affectu reuerſi, nunciarũt Ianuẽſes in errore & rebellione ſolita, pro eorum infortunio perdurare. Cum igitur inuitis gratia non præſtetur, & in contemptores gratię ac rebellionis amicos, in proximo maneat debitæ iudicium ultionis: eos tanquam infideles cum fidelibus noſtris participare nolentes, nec uti aliqua commoditate cum eis: fidelitati tuæ mandamus, quatenus de cætera communi Ianuenſium opportunitatem, quam tecum in terra ſoliti ſunt habere, penitus deneges & diffides eos tanquam inimicos noſtros & Imperij per nuncios ſpeciales: damna rerum & perſonarum ipſis ubicunque ſe facultas obtulerit, inferendo. Nos enim qui uſq; modò cum patientia diſsimulauimus inſolentiam & perfidiam eorundem, ipſos ad conſeruationem & pœnitentiam expe-

ſtantes, in eorum ultionem contra eos amodo potentiæ noſtræ brachium taliter extendemus, ut cuius gratiam contempſerunt, indignationem ſentiant & uindictam.

Narrat Communitati rumores, & petit ut mittat ad exercitum omnes bellatores.
Caput LXXXVI.

VT de felicibus Excellentiæ noſtræ proceſsibus, recreationis ſpiritum à nobis deuotio ueſtra ſuſcipiat, & nobiſcũ expectatæ uictoriæ, cuius de nefanda rebellione Parmenſium, indubitatam ſpem gerimus, grata participatione lætetur: ſcire uos uolumus, quod die ſecundo præſentis menſis Auguſti, ad obſidionem Parmæ uictorioſè proceſsimus: aſsiſtentibus nobis noſtrorum fidelium uiribus, qui de adiacentibus Liguriæ partibus uoluntariè conuenerunt. Quare deuotioni ueſtræ præcipimus, quatenus, ſicut unquam gratiam noſtram charam habetis, & noſtram ac Imperij exaltationem diligitis ad requiſitionem Friderici de Antiochia, comitis Albæ, & ſacri Imperij in Thuſcia uicarij generalis, dilecti filij noſtri, cui exinde ſcribimus, quantumcunque poteſtis multitudinem bellatorum, ad felicem exercitum noſtrum, cuius eſt iam præ-

ſtò

ſtò uictoria, potenter & hilariter tranſmittatis: de quæſitæ laudis titulis lætaturi, cùm de ipſius celeri expugnatione fiduciam, egredientium continuè de terra ipſa relatio, quos non immodica quantitate præſentis potentiæ noſtræ timor educit, indubitabilem largiatur. etc.

Super eodem ſcribit Mutinenſibus fidelibus ſuis.
Caput LXXXVII.

BEnignè recepit Excellentia noſtra literas quas miſiſtis, & earum plenè collegimus intimata. Gratum gerimus admodum quod felices audire rumores de proſperis noſtris proceſsibus cupientes, uos ad noſtra ſeruitia promptos & auidos obtuliſtis. De quibus uolentes ueſtra uiſcera recreare, fidelitati ueſtræ tenore præſentium intimamus, quòd nos ad puniendum proditorum Parmenſium perfidiam, eorumq; ſuperbiam cōterendam, in numeroſo exercitu congregato, cum Lombardis noſtris fidelibus, qui iuxta mandatum noſtrum nobis aſsiſtunt, unanimiter & potenter ad obſidionem Parmenſium proceſsimus: eandem ſic ſtrictius coarctantes, quod ipſam procul dubio uoluntariā uel inuitam redire in breui ad noſtrum dominium oportebit. Volumus igitur &

& mandamus, quatenus, ut tantæ uictoriæ participes exiſtentes, armatorum honorabilem comitiuam, ſicut unquam nobis placere cupitis & ſeruire, ad noſtram præſentiam celeriter tranſmittere ſtudeatis.

FINIS LIBRI TERTII.

CAPITA LIBRI QVARTI EPISTOLARVM *Petri de Vineis.*

FRidericus uniuerſis prælatis & clericis regni Siciliæ, de morte regis Heinrici filij ſui. Caput I.
Capitaneo ſuo de morte Imperatricis, & ut eius exequias per iuriſdictionem ſuam faciat celebrari. Caput II.
Cuidam nobili, de morte ſoceri ſui. Cap. III.
Cuidam fideli ſuo, conſolando eum de morte filij ſui occiſi in expugnatione Victoriæ. Cap. IIII.
Literæ cōſolationis comiti Caſertano, lugēti de morte Epiſcopi fratris ſui. Cap. V.
Comiti Acerrarum, conſolando eum de morte filij ſui cadentis in bello. Cap. VI.
Literæ conſolatoriæ miſſæ ſcholaribus de morte magiſtri Bene. Cap. VII.
Eiſdem, de eodem, facta mentione de quodam alio magiſtro præmortuo. Cap. VIII.
Eiſdē, de morte magiſtri Iacobi Baldeuuini. Cap. IX.
Mater ſignificat mortem filij ſui magiſtro Petro de Vineis, & recommendat alios filios ſuos ſibi. Caput X.
Reſponſiua ad præcedentem, conſolando eum. Caput XI.
Conſolatur patrem de morte filij ſui decedentis in ſeruitio Cameræ. Cap. XII.

Magi-

Magiſter Petrus conſolatur matrem, fratres & ſorores ſuas, de morte patris ſui. Cap. XIII.

Conſolationis literæ ad affines, de morte cognati ſui. Caput XIIII.

Literæ doloris de morte regis Ioannis, & quod duo filij ipſius deducantur ad ipſius præſentiam. Caput. XV.

Literæ conſolatoriæ, ad quendam de morte filij ſui. Caput XVI.

EPISTOLARVM PETRI DE VINEIS LIBER QUARTUS.

Fridericus uniuerſis prælatis & clericis regni Siciliæ, de morte regis Heinrici filij ſui. Cap. I.

MIſericordia pij patris, ſeueri iudicis exuberante iudicium, Heinrici primogeniti filij noſtri fatum lugere compellimur, lachrymarum ab intimis educente natura diluuium quòd lachrymas offenſæ dolor, & iuſticiæ rigor intrinſecus obfirmabant. Mirabuntur forſitan diri patres inuictum publicis hoſtibus Cæſarē, dolore domeſtico potuiſſe conuinci: ſubiectus eſt tamen cuiuslibet principis animus, quantumuis rigidus, naturæ dominantis imperio. Quæ cum uires ſuas exercet in quemlibet, reges & Cæſares non agnoſcit. fatemur ſiquidem quòd qui uiui regis ſuperbia flecti nequiuimus, ſumus eiuſdem filij noſtri caſu commoti. Sumus tamen eorum nec primi nec ultimi, qui filiorum detrimenta tranſgredientium pertulerunt & nihilominus poſt eorum funera deplorarunt. Luxit nanque Dauid triduo primogenitum Abſolonem: & in Pompeij generi ſui cineres, fortunam & animam ſoceri perſequentis, magnificus ille Iulius primus Cæſar

Cæſar paternæ pietatis officium,& lachrymas non negauit. Nec dolor acerrimus ex tranſgreſsione cõceptus, eſt efficax parẽtibus medicina doloris, quin in obitu filiorum natura pungente, non doleant contra naturam à filijs irreuerenter offenſi. Nolentes igitur,& etiam non ualentes circa prædicti filij noſtri obitum omittere, quæ ſunt patris: fidelitati tuæ præſentium tenore mãdamus, quatenus per totam Abbatiam cunctis clericis & cæteris fidelibus noſtris iniungas, ut eius exequias cum omni deuotione ſolenniter celebrantes, animam eius cum decantatione Miſſarum, & alijs eccleſiaſticis Sacramentis diuinæ miſericordię recommendent, manifeſtis indicijs oſtendentes, quod ſicut in gaudiorum noſtrorum tripudijs exultant hilariter, ſic & doloribus noſtris condolere fideliter uideantur.

Capitaneo ſuo, de morte Imperatricis, & eius exequias per iuriſdictionem ſuam faciat celebrari.

Caput II.

LAtentis hoſtis inſidias non potuimus effugere, quin poſt innumeras regiones ſub uirga Maieſtatis noſtræ deductas, ſereniſsimam Auguſtam ex regali progenie ortam, nobis pace potientibus & quiete, impię mortis ignauia ſubriperet uiolenter.

ter.Non igitur hilaritatem uultus poſſu-
mus exhibere,cum noſtræ conſortis obi-
tus nobis amaritudinis propinet poculũ,
nosq́; moleſtet iugiter & impugnet. Ve-
runtamen nolumus doloris amaritudi-
ne ſic Maieſtatem noſtram afficere, quod
creatoris offendamus noſtri clementiam,
& doloris immenſitas in nobis impediat,
q̃d honoris cõferre noſtrę cõſorti dignãter
expediat& doceat reuerẽter:præſertim q̃a
uolumus,ut tãtæ noſtræ participis memo
ria,ſit celebris ſuper terrã:tibi diſtrictè prę
cipimus,quatenus eius exequias per to-
tam iuriſdictionem tuam ab undiq; loco-
rum degentibus,præcipuè à clericis & po
pulis ciuitatum,campanis quo decet ho-
norepulſatis,uniuerſaliterfacias celebrari,
ut quilibet in eccleſijs congregati, Augu-
ſtę animam,qui aufert ſpiritum Deo uiuo
ſpecialiter recommendent: cauens ne in-
de aliud facias,ſicut noſtræ indignationis
aculeum non incurrere concupiſti.

Cuidam nobili,de morte ſoceri ſui. *Cap.* III.

CVm poſt ſedatos undique turbines,
quos dudum in regno noſtro Sici-
liæ calumnioſa temporis procella concre
uerat,noſtris nuper faueret affectibus for-
tunæ placiditas,&noſtrorum proceſſuum
latera circuiret, ſubitò rumor infeſtus &

 nubi-

nubilus clauſtra noſtræ iucunditatis infre git,illas nobis inſipidas amaritudinis,ppo ſitiones interſerẽs,quòd N. dux Bauariæ, chariſſimus ſocer Superioris ducis ductus imperio,& in patriam quęiter eſt omnib. generale mortalium, neceſſitate uocatus, humanitatis commune debitum,quod ex ceptio quæuis allegata non prorogat, ex ineuitabili lege fatalitatis exoluit.Ex quo tantò nos pungit doloris ictus acerbius, quantò per eius abſentiam, qui genitoris in nobis officiũ compenſabat,& uelut noſtri pars magna conſilij erga nos, charitatis paternæ non impares dabat affectus, multa nobis deciſæ carnis & grandia incõ moda reſerata ſentimus.Verùm quia ſic irreparabiliter cadere hominis eſt, natura non pœna,& morbus iſte nõ eſt medicabilis herbis:ſed illius eſt Excelſi dexterę mutatio,qui caput excelſum &humile neceſſariç amplexib.ęqualitatis inuoluit:multa nobis &tibi ſunt exinde ſolaminis aſſumẽ da conſilia,ut & nos decedẽtis patris occa ſum ſuperſtitib.conſolemur in filijs.in qui bus nobis affinitatis ſolidæ pignora remá ſerũt, & tu quęcunq; tibi tam turbidus caſus ingeſſerit, in nobis reparabilia ſentias detrimenta:qui tá ex carnis unione qua iũ gimur,quàm ex dilectionis etiam uinculo quo unimur,tua & tuorũ negocia non-mi

nus

nus libenter quàm propria,contin uis ſemper profectibus diſponimus promouere. Propter quod dilectionē tuam inducimus & hortamur attentè,quatenus non expectans ut conſolandi remedia laſsitudo tibi mœroris indulgeat:ſed animum redolens uiri fortis,aſſumas omnem cauſam lugubrij,dolorisq; reliquias,quas fortè tibi muliebris mollicies reliq̃t ad lachrymas, uerborum noſtrorum lenimentis abijcias, & in gratioſa ſpe noſtræ proximitatis abſtergas.Ad hæc quicquid N.tibi de honore & ſeruitijs noſtris,uerbotenus ex parte noſtra retulerit, indubitabiliter proſequaris.

Cuidam fideli ſuo, conſolando eum de morte filij ſui occiſi in expugnatione Victoriæ. Cap. IIII

LVgubrem filij tui caſum, uulgaris famæ fortaſſis lugoſitate præcognitū, cuius doloris aculeus prius dominica pectora tranſiens,quā paterna,fecit in nobis quantū licuit & decuit ſtationē:infeſto tibi ſtylo deſcribimus.Et licet eiuſdē obitus nos in eiuſdē obſequiorū ſubtractione turbauerit,& te,ſicut firmiter credimꝰ, in carnis deciſiōe medullitùs uenabulo quodā iaculo inopinato ꝑcutiat:ſi modus tamen &qualitas mortis attēditur,conſolationis remediū,qđ nos iā exinde ꝓbabili ratiōe cōcepimus,locū grandē inuenire firmiter

opinamur in patre. Dum enim idem filius tuus Cameræ noſtræ ſeruitijs aſſiduus & obſequioſus inſiſteret, in combuſtione Caſtrorum noſtrorum Victoriæ, ubi eum potuerat à rebellium noſtrorum manibus fuga ſubducere, deuotionis firma conſtantia, quę uix cadere conſueuit in iuuenem, gladij ſuperante terrore cruenta maluit morte ſuccumbere, quàm dimiſſis aulę noſtræ ſeruitijs, ſaluti propriæ ſibi per abſentationis ſubſidium prouidere. Ex hac igitur quam diximus cauſa, præcipua doloribus tuis conſolationis unguenta porrigimus: ut cum eiuſdem filij tui defuncti uiuat in noſtri cordis ſcrinio etiam carne deficiente memoria, & turpe ſit in prudente uiro conſolationis remedium præſtare laſſitudo dolendi, modum fundendis lachrymis adponere ſtudeas, & cauſam in nobis conſolationis aſſumas. &c.

Literæ cõſolationis comiti Caſertano, lugenti de morte Epiſcopi fratris ſui. Cap. V.

AVdito nuper quod mordentis omnia mortis impietas N. Venerabilẽ Theath. epiſcopum fratrem tuum fidelem noſtrum, tibi nunc ad præſentiam noſtram uenire parato, non ſine plurium detrimento ſubtraxit, paſſionibus tuis ſatis affectuoſè compatiendo doluimus, & ſi o-

pe

pe uel opibus recuperari defunctum, aut alia compaſſione redimi natura permitteret, noſtra propterea libēter aperuiſſemus ęraria, & alia quęlibet opportuna ſubſidia miſiſſemus. Sed quia quod ſemel ſubripuit mors debitrix, mors amara non reddit dolori tuo, quem multi tecum libentiſsimè partirentur, conſolationis argumenta porrigimus, & gratiæ noſtræ remedia pro pinamus. Deuotioni tuæ mandantes, qua tenus aſtringas lachrymas, refrenes ſuſpiria, & more conſtantis uiri, triſticię li mites prouidè nobis placiturus imponas.

Comiti Acerrarum, conſolando eum de morte filij ſui cadentis in bello. Cap. VI.

QVod de nimis acerbo filij tui caſu cōſolationis noſtræ uerbum ad te tardè peruenerit, cauſa fuit, ut tibi tempus ad lachrymas laxaremus, ſuſpirantibus nam que gemitibus, & oculis lachrymoſis epiſtolam noſtræ conſolationis offerre uolui mus, quam & lachrymarum continua gut ta perfunderet, & eductio copioſa ſingultuum perlegi prohiberet. Doloris quidem præteriti tumulum, quem nati funus inuiſum in patre congeſſerat, luctus expreſſione prouidimus diſgregandum, quem noſtra monitio retentum intrinſecus ue-

 hemen-

hementiùs ampliaſſet,ſi foras educi triſticiam per lachrymas uetuiſſet. Nunc igitur mitigatis ſuſpirijs, & oculorum luminib. excolatis, literas noſtrę conſolationis offerimus,tractabilem animum &uulnus apertum medicamine debitæ perſuaſionis aggredimur,& cum tibi per amaritudinē luctuum ſatisfeceris hactenus,per depoſitionem lugubrium ſatisfieri gratiſſimè poſtulamus & nobis.Quod ſi luctuoſæ famę uolatum,quo nihil inundatione malorū poſſet eſſe celeriùs,præſens epiſtola noſtrę cōſolationis anticipet, quæ pūctura doloris neruum cordis intactum inueniat,& uirgineos oculos nōdum paratos ad diluuia lachrymarum,naturę partes implere te ſinimus,dū prohibere nequimus, & nobis placere te uolumus, dū conueniens poſtulamus.Scimus enim quod per quàm dura reqrimus,ſed tamē poſsibilia flagitamus: nam à mane plorabis uſq; ad ueſperam,florem occiduum,& aridam ſegetem ante tēpus æſtatis,occaſum ſolis ante meridiem, & noctis caliginem ante diē: ſic & iuuenē nondum ferè puberem, potius intempeſtiuæ mortis ſubijſſe iudicium, quàm ſenectutis iudicium aduenieſſet. Turbato deniq; mortalitatis ordine, pater pro filio lachrymas offers, quas pro te filius reſeruabat. Veſpertina tandem hora reſume no-

ſtræ

ſtræ compaſſionis antidotum,& conſolationis affectum. Nos enim in tam ſubito filij tui caſu cõpunctionis paternę cõſortio nõ caremus, utpote qui ad eundẽ à te naturaliter genitũ & uix adhuc matris uberib. ablactatũ, in ulnas eductionis noſtrę ſuſcepimus, & quia ſuſceptibilem ipſum inuenimus diſciplinę, uirtutũ in eũ rudimenta cõgeſſimus, ut ſibi eſſet cõſpicuus, alijs utilis, & nobis exiſteret fructuoſus. Nũc aũt cum de plantatione noſtra uindemiam cuperemus decerpere, generationis humanę nouacula, uitæ telam in homine, quã nondum natura perfectè texuerat, intempeſtiuè pręcidit. Sed & affectum cõſolationis dominicę gratum accipias, quẽ ueluti de cõmuni triſticia, per nos qui tibi miſerabiliter cõdolemus, potes & debes aſſumere gratiorem. Iuſtè dolere te nouimus, quod in nati funere, pomũ de uitæ pomerio natura decerpſit, ſpacio temporis immaturũ: cõſolari te uolumus, quod illud ante tempus debitum uirtutum irrogationibus ac ceperit maturatum. Iuſtè dolere te nouimus, quod morientis filij clauſeris oculos cõſolari te uolumus, q̃ nõ inter molles delicias, & debiles curas defecerit languidus, ſed inter noſtrorum obſequiorũ occupationes ceciderit ſtrenuus, & uixerit glorioſ9. Quid plura? Iuſtè dolere te nouim9 q̃

unicum quem habebas amiſeris filium, conſolari te petimus in duorum propagatione nepotum: & nos gratiæ noſtræ zelũ quem ad patrem ab auo produximus, tantò propagabimus libentius ad nepotes, quantò noſtræ Serenitatis affectum & patris & aui ſeruitia meruerunt.

Literæ conſolationis, miſſæ ſcholaribus de morte magiſtri Bernhardi. Cap. VII.

VAgientib, adhuc in cunis artis Grãmaticæ. Quia materia ita ſe habet, quod ab amaritudine ſumit exordium, nec doloroſa poſſunt ſine animi turbatione notari, non miremini ſi anxietate quadam, & ſingultuoſa narratione uobis ſcholaribus, qui inhabitatis orbem à mari uſq; ad mare, præcipuè filijs, quos in dolore peperit mater Grammatica: dura nimis & amara pręſentibus nunciamus. Eſt enim, quod non ſine doloris aculeo dicimus, Grammaticæ artis nouiter extincta lucerna, deſiccatus eſt fons irriguus, frugifer Euphrates, magiſter Bernhardus, qui non ab infimo poſitiuo, ſed ſuperlatiuo nomẽ meruit deriuari: uidelicet cum ſupra ſe nullum habuerit aſcendentem, imò ſicut aquila trãſcendẽs omnia genera pennatorum, uir potens in opere & ſermone, auis

in

in terris rara, ſine pluralitatis conſortio dici meruit ſingularis. Ad cuius tranſitum, quaſi ſole petente occaſum, tenebræ factę ſunt ſuper uniuerſam faciem terræ. Nam ipſe ſolus de tenebroſis & confuſis Priſciani tractatibus educens lucem, purgauit tenebras, ipſeq́; ueterem & antiquum reformauit apoſtatam, Donatiſtam compeſcuit: & quaſi de culmine montis Synai, alter Moyſes legifer à Deo & non ab homine, ſibi ſcriptam Grammaticam hominibus reportauit. Verùm ſub tanto & tali artifice non ſolum prima, ſed dolorem artes cęteræ patiuntur. Vnde quid facient parietes ſi corruerit fundamentum? quid infelix Grammatica orba parente ſuo? de quo completum eſt illud uerbum propheticũ, Vox in Rhama, hoc eſt, in excelſis eſt audita, ploratus & ululatus, Rachel plorat maritum ſuum, & non eſt qui conſoletur eã, ex omnibus charis ſuis. Nam quis ſimilis ſibi? Vtinam ſuſcitaret Dominus ſpiritum ſuum per aliquam phitoniſſam ut loqueretur nobis ad tempus magiſter magiſtrorum ille doctiſſimus, qui ducebat animalia in ſtuporem. Verùm quia omnes morimur, & ſicut aquæ quę non reuertuntur dilabimur, teſtante Philoſopho, crudelitatem facti æqualitas conſoletur, mœrore depoſito: & qui talem & tantum dilexi

ſtis autorem,ad cuius exequias concurratis orantes pro illo doctore mirabili,qui à mane uſq; ad ueſperas clamauit ſicut pullus hirundinis , & ut columba meditatus eſt ponendo animam pro ſcholaribus, do cendo deſijt & docuit deſinendo.&c.

Eiſdem,de eodem, facta mentione de quodam alio magiſtro præmortuo. Cap. VIII.

SEdētib. ſuper aquas amaritudinis, & in ſalicib.organa ſuſpendētibus, Nea politani ſtudij doctoribus uniuerſis,magi ſter Petrus ſolamē ſ.Spiritus,& illã quę omnem ſenſum exuberat pacē Domini noſtri Ieſu Chriſti.De ſeculo nequam &ualle miſeriæ,ad ſcholas florētis patrię,ubi garrulitatis improbæ nullus auditur tumultus,illius uocatiõe,cuius Imp.incœlo &in terra,& in omnib.extēditur creaturis,Grã maticorũ eximius cõſocius noſter &cõfra ter,magiſter G.nouiter euocatus, ab oculis noſtris ptranſijt uelut umbra, imò euanuit.Ad cuius tranſitũ ſtudij Parthenopen ſis obſcuratus eſt ſol, & luna euerſa eſt in eclipſin.Nã ars Grãmaticę q̃ ſine uocabulo deſignatur,priuata decoris radijs ſedet in tenebris,& nõ habet unde poſſit ſuũ re creare dolorē,duob. maritis tam modico tēpore uiduata.Nondum pręcedētis dolo ris ſanata ſunt uulnera,& ſic calamitati ca lamitas,& tēpeſtas adijcitur tēpeſtati, do-

lor

lor dolorib. & uulnerib. uulnera inferun-
tur: mirũ non modicũ, hic eſt ordo præpo
ſterus & turbatus, quia naturaliter magi-
ſtrũ diſcipulus, hic autem magiſter eſt di-
ſcipulum ſubſecutus: & hoc ideo q̃a mor-
tis irregularitas de ſuo more peruerſa, per
uertit ordinẽ, quę pręponenda poſtponit,
ꝑponit ecõtrariò poſtponẽda: proh dolor,
uitis frondoſa quę ſubitò aruit, cuius fru-
ctus exuberauit ad plenũ. Nã in multitudi
ne filiorũ, quos genuit, indefeſſus ille ute-
rus magiſtralis intumuit, pręualuit, & tan
quã cedrus Libani ſuperexcreuit, cui non
ſunt adęquatę uirgulę de deſerto. Ipſe qui
dẽ fuit alter Ioſeph, cui omnes inuiderunt
parẽtes, quem ſæua beſtia deuorauit, uide
licet mors, quę per aphæreſin cũctis aufert
mortalib. caput, à membris diuidit & reci-
dit. In cuius deciſione uos qui floretis inca
thedris tanquã multorum capita plena o-
culis retro reſpicite, & ante diligẽter atten
dite, quantũ tenuis & fragilis gloria ſecula
ris, quę eſt quidã uapor ad modicũ durãs,
uelut fœnũ agri, qđ mane floret, & ueſpere
decidit & areſcit. Ad tutelã igitur, agitur ꝑ
illam ſyncopã à qua nullus Grãmaticus ex
cuſatur, ſtatũ & tranſitũ reciprocãtes in uo
bis, unũ efficax ꝑ locũ à ſimili in uobis col
ligite argumentũ, ſimiliter illud iter cũrre
re, qđ noſter ſocius ꝑcurrit, cum de ſimili-
bus idem iudicium habeatur.

Eiſdem, de morte Iacobi Baldeuuini.
Cap. IX.

IVris ciuilis profeſſoribus uniuerſis magiſter Petrus, ſalutem & attendere ultimum ante primum: amaritudo amariſſima, & materia concreta doloribus humanis, nouiter mentibus occurrerunt. Nam unicus & ſingularis in terris homo, in quo uelut in ſuo proprio leges conuenerant, & uiuebat eloquentiæ tuba, & conſilij plenitudo ſedebat, eſt reuocatus ad patriam, de cuius reuocatiōis amaritudine uox populi à fine uſque in finem, & terminos orbis terræ doloroſa multum exiuit, nec mirum, quia iam optimus perſuaſor bonorū operum omnium excellentiſſimus Iacobus de Rogio Ieſu Chriſto ſpiritum reſignauit, attritúſ eſt nimium de repentè gloria uultus eius. de cuius occaſu non ſolum Lombardia ſole priuata ſuo, uerumetiam maxima pars uiuentium, continuis lachrymis ingemiſcit, & doloris gladius multorum animos perforauit. Nec immeritò, cum ipſe dominus legifer & ſupremus deſcriptis iuris apicibus ſenſus reformaret informes, & adhuc uiuentes uiuentia eius opera non deſinunt informare. Qui licet ut homo deſierit, non tamen deſijt ut magiſter, quia mortuus ipſe docet, quantūcunq; ſit appellatio mortis dif-

fici-

ficilis,uioléta, & neceſſaria. difficilis,quia non eſt ibi ſolutio uiolenta, quia reſiſtentia nulla:neceſſaria,quia ex modo neceſſitatis omnem ſuperat ſyllogiſmum, exceptiones non recipit,dilationes aliquas nõ admittit. Verùm quia mirabilis eſt iſta regula mortalium, quæ nunquam fallitur, ſed omnes fallit,fallentia uidelicet ueridica, quæ in credentia non habetur. Ipſa quidem eſt nequitię nebula,triſticiæ genitrix,diffuſio lachrymarum, uniuerſæ carnis exterminium, & ſingularium deſtructiua. Ideoque uiri prudentes in doctore mortuo prudenti addiſcite,quicquid poſſit,& quantum fortior exterminantis angeli: & diligenter attendite, quod legum facundia uel aliquarum ſcientiarum doctrina, mortis imperio non reſiſtit.

Mater ſignificat mortem filij ſui magiſtro Petro, *& recommendat alios filios ſuos ſibi.* Caput X.

TEtigit me domini manus, & apprehendit me indignatio iræ ſuæ, ut quę fueram uiri ſolatio deſtituta, præmatura mors filij uiduam iterum uiduaret. Ideoque duplici contritione contrita,ſingulare quæro in uobis dolori meo remedium:

dium:diſcretioni ueſtræ me fiducialiter re commēdans.Ad hæc ſciatis,quod Nicolaus futurus gener ueſter,qui per Dei gratiā reſtitutus eſt plenariæ ſanitati,ita,quod in naturali pallore ab eius facie recedente, incœpit finaliter ſibi fieri ſanus color.Præterea quia credo uos paterna prouiſione proſequuturos negocia domus meæ,nō porrigo uobis preces ſuper aliquo ſpeciali:ſed ut generaliter quid expediat prouidētes, filios meos & filias habeatis recommendatos in omnibus ſicut pater.

Reſponſiua ad præcedentē,conſolando eā. Cap. XI.

NObili mulieri dominę Elizabeth P. de Vineis ſalutē & conſolationem quā poteſt & debet.In præmaturo filij tui caſu,quo percuſſa doles,& ſauciata triſtaris,impleas naturæ debitū, ſed diuinæ correctionis imperiū non contēnas.Nec tamē uſq; adeò,licet intus efferueat, exaggerat' ſit dolor,ut contra Deū prouocata,quodā modo uidearis te uindicare uelle cū lachrymis,& irata cum iudice potiùs expoſtulare,quàm correcta credaris,cū habeat Dominus quod clamanti reſpondeat,& habeat cōſolator quid offerat lachrymanti. Nā ille qui ſuū cōmuni ratione repetijt,iſte dilectionis maternę conſolamē,ſuperſtitum tibi conceſſit ſufficientē numerū filiorum. Ad quorū omnium bonum,me libenter & hila-

hilariter offero, affectione paterna ſolicitum, & amica prouiſione fidelẽ in poſterũ reſeruabo: quorum unum ſi cõceſſerit dominus natura futurũ mihi promiſit filium & agnatio reliquos filialis affines.

Conſolatur patrem de morte filij ſui decedentis in ſeruitio Cameræ. Cap. XII.

QVod filiũ tuum Angelũ de Morra, ſi deiem noſtrum, ad ſeruitiũ Cameræ noſtræ uocauimus, approbata fides eius, & induſtria circũſpecta, quã habuit in ſeruitijs noſtris, beneuolẽtiam noſtrã attentiùs induxerũt. Quod aũt ad præſentiã noſtram nuper ueniens, infirmitate præuẽtus, à Domino ſicut ei placuit, ſit uocatus, carere ſeruitio & perſona ſua dolemus, tibi nihilominus condolentes qui bonũ de ipſo filiũ amiſiſti. Sed cùm diuinæ uolũtati reſiſtere nemo poſſit, & reuocari nequeat quod uocauit, & ſi ſuper obitu eiuſdẽ filij tui prohibere tibi lachrymas nõ poſſimus, utpote q mutato ordine ad fata puenit, à quo ſperabas ſi rectus ordo pcederet ſepeliri: moderationẽ tamẽ tuis iuſtis motib. de fauorabili gratia imponere ſuademus, ad te, domũ tuã, & filios fauorem ad eum habitũ conuertẽtes: ut modeſtia in doloris uehementia obſeruata, poſſis in noſtra gratia confidẽtiùs reſpirare, maximè q, ad ſeruitia noſtra uocatus, finem in Curia noſtra laudabilem conſummauit.

Ma-

Magiſter Petrus conſolatur matrem, fratres, & ſorores ſuos de morte patris ſui. Cap. XIII.

EXpectabã filiali zelo de domo paterna recipere noua ſalutis & gaudij, q̃bus recrearetur animus caſtrẽſib. negocijs occupatus. Ineratq; mihi ſolicitudo cõtinua, aliquem de cõpatriotis meis uidere nunciũ bonũ de regione lõginqua, q uitã parentũ doceret filiũ, de ſalute cõiugis, & natorũ, patris, lętificaret affectũ. Meam ueruntamẽ expectationẽ, mœſtus patris funeris rumor aduenięs uehemẽtius cõturbauit, expectata ſuſtulit gaudia, meq́; totũ dedit fletib. & lamẽtis. Dolebam. n. per quẽ exiſtentiã ſumpſi patrẽ, meis uotis adẽptũ ſed iuſti cã doloris mea uiſcera retorquebat, q ubi creditrix natura maturatos dies ſuos breuiare diſpoſuit, patri non aſſiſterẽ in ultimis laborãti, ut migraturũ patrẽ filiali aſpectu reficerẽ & q paternæ ſenectutis baculus fuerã, paternum extremę munus benedictionis accipięs, pias patris obeuntis manus ſupra caput meũ flebili deuotione tenerẽ: ac deinde paterno feretro matris præuius exequijs eius filius obſequio ſus adeſsẽ. Cumq; nõ fuerit hoc permiſsũ, ut matris fletib. unà cũ coniuge & filijs ſociarer, auditis tamẽ curſus paterni rumorib. effuſis lachrymis & corde turbato defuncti animam orationib. pijs amplectẽs in

in eleemoſynarũ erogatione, Domino cõmendaui,uacans interim lachrymis & mœrorib. donec per dominos & amicos meos pijs monitis reuocatus, in uita ac ſalute noſtra potiſsimè reſpirarem,dum mihi fuit rectâ moderatione propoſitum quòd ſecundum ordinem & beneficium naturæ,pater utroque ſuperſtite filio, uiſiſque filijs filiorum,exigente maturitate temporis,in manibus ueſtris, coniugè meiſq; filijs pro me patre præſentibus, in quibus meam poterat imaginari præſentiam,diem clauſit extremum,bonum poſt ſe famę teſtimonium relinquens,& ſecum gerens indiuiduos comites,bonorum teſtes operum,quę patrauit ab infirmitate continua quá paſſus fuerat tranſmigrando. Verùm, quia me decet unà uobiſcum ſuæ animæ reminiſci,& conſolationem adinuicem in Domino reportare,fraternitatem ueſtram, maternitatem, & ſororiam dilectionẽ deprecor & exhortor,quatenus tu mater unà cum filijs,tuiſq; nepotibus, quorum omnium uitam apud Dominum tuis procures orationibus & ſalutem, in Domino cõſoleris: ut uos quoq; frater & ſoror, qui tua poſt patris obitum benedictione fouemur, mœrore depoſito, qui nullam defuncto uidetur utilitatẽ afferre,& nobis ſuperſtitibus ſalutis,poſſet impedimenta præſtare, ac anxietatem renoua

re continuam, alterna recreatione conſolationis ornamenta ſumamus: ut hinc inde mutuis literis aura confortationis aſpiret, & in domo noſtra omnium dolore ac luctu remotis, optata uigeant communis auſpicia ſoſpitatis.

Conſolationis literæ ad affines, de morte cognati ſui. Caput XIIII.

SOcero & ſocrui ſuis L. & dominę A.P. de Vineis etc. Cum peruenerunt ad audientiam meam noua de obitu N. dilecti filij ueſtri, cognati mei, tactus dolore cordis intrinſecus dolui & condolui ualde uobis: utpote qui bonum de ipſo fratrē amiſi, & lumē oculorum ueſtrorum à luminibus ueſtris anxior in eo fuiſſe ſublatum. Fleui quoque prę dolore nimio, quod oculi mei faciem lachrymis maduerunt, quod uxori & filiabus meis tam dilectum collateralem deceſsiſſe cognoui, qui abſentiā meam unà uobiſcum commorās ſupplere poterat, ad conſortis meæ ſolatium & natorū. Continuatis ergo eius memoria diebus pluribus fletib. & dolore, uidi quod fruſtra dolebam & quod redimere non poteram mortuum effuſione continua lachrimarū, meditatus potiùs ipſe mecū, quòd cū ſortis humanæ debitum ſoluerit, licet fatali caſu, & mutato ordine parētum uota turbauerit, & dies nequiuerit protrahere lōgiores ſui memo-

riam,

riam, quá ſors amara peremit cõmunibus dimiſit interceſſorib. adiuuandam: ut cuius uita nos carere contigit, pro eo teneamur ut uiuat potiùs orare, quàm flere. Venit enim uobis & mihi, filij ueſtri, quem ſortis affinitas mihi charum fecit, mors ipſius potiſsimum deploranda, quòd ſe dulcibus annis immiſcuit, & iuuentutis florem morſu diro præſcidit. Quia uerò diſpoſitioni diuinę obuiari non poteſt, & animá eius debemus & poſſumꝰ eleemoſynis potiùs quàm lachrymis adiuuare: cum nec nos deceat in dolore modũ excedere prætaxatum: ne nomen Domini qui dedit & abſtulit exaſperari contingat, ſuper uacuis in tabeſcendo doloribus. Quáquam non poſsim paternũ & maternum in diſceſſu tam dilecti filij reuocare dolorem, quem ueſtræ ſperabatis dimittere ſuperſtitem ſepulturæ: audeo tamẽ filiali uobis deuotione ſuggerere, quatenus uobis, mihi & uxori ac filiabus meis quę ueſtrę ſunt, paterno conſulẽtes affectu, quantũ propter ſortis humanę debitũ, & labilem conditionẽ mortaliũ, mœrorem ueſtrum moderari poteſtis, ueſtrę ac noſtrę uelitis prouidere ſaluti: cũ in ſuperſtitis filio filia & nepotibus ueſtris me quoq;, qui uitam & cõſolationem ueſtrá plus filio, ſi dicere liceat, diligo & affecto, poſsitis plenariè conſolationẽ accipere pro defuncto: quẽ

 ſi mo-

ſi modo quolibet redimere ualeremus non parceremus laboribus aliquatenus uel perſonis. Sed ubi à nobis irreuocabiliter eſt ademptus, & orationum noſtrarum auxilia præſtolatur, in ſuperſtitibus conſolatione recepta ſuſpiria, & fletus ueſtros ad orationum ſubſidia conuertatis: illud inter humana deſideria ſolatium habituri, quòd pro honeſto ſui geſtu & continentia, per quam ſe omnibus præſtitit diligendum, bonam ſui recordationem poſt facta dimiſit.

Literæ doloris de morte regis Ioannis, & quod duo filij ipſius deducantur ad eius præſentiam.
Caput XV.

GRauis admodum & moleſtus rumor nobis occurrit, de obitu illuſtris regis Iohannis quõdam dilecti ſoceri noſtri, nouiter nunciatus, nec abſque maxima potuimus animi turbatione tranſire, quod in ſtatu minus proſpero contigerit infortunium mortis eius. Erat enim noſtri propoſiti ſicut tibi credimus non ignotum, ſi ulteriorem dierũ terminum ſibi Dominus indulſiſſet, ipſius nobiſcũ habere præſentiã ut ſuo prouideremus ſtatui condecenter. Sed quia, ut Domino placuit, noſtro deſiderio eſt ſua uita ſublata, propoſitum quod ad ipſius honorificentiam puro compatiebamur affectu cõuertere uolumus ad commoda

moda filiorũ. Quia igitur duos filios ſuos, quos audiuimus eſſe Venetijs,nobiſcũ uolumus habere præſentes, mãdamus deuotioni tuę, quatenꝰ ita ſtudeas ordinare,qđ eoſdem pueros habeas & ad præſentiã noſtram ducas, erga quorum educationem pariter & profectum paternam nos gerere uolumus uoluntatem.

Literæ conſolatoriæ ad quendam de morte filij ſui.
Caput XVI.

CAſus filij tui, quem ſublatum de medio quorũdam noſtrorum fidelium relatione perpendimus,ad compaſsionem doloris qui paternum pectus euerberat,Serenitatis noſtræ clementiam inuitauit.Calamitoſo igitur,& tibi &ſuſpirijs doloroſis benignè compatimur,& doloribus tuis miſericorditer cõdolemus, tanquã qui à natura innatum parentibus amorem ingenitum erga genitos nouimus,&acerbitatem ſortis contrariæ ſæuientis in liberos nullatenus ignoramus.Oritur nanque ex nimia dilectione, doloris immenſitas, ſub qua ponentes gemitus frequentiùs defecerũt, niſi neceſſario conſolationis remedio leniantur. Prudentes tamen ſe ad maiorum exempla conuertunt ſi liberos amiſerunt, & poſt datas lachrymas funeri, dolore depoſito,ad compaſsionem animi ſaucij uiri-

liter intenderunt:& illud potiſsimè attendentes ex mortali immortale generari non poſſe, nec ex uite corrupta palmites incorruptibilis procreari. Præterea quis, ignorat morte mortales deficere? quis non nouit quod mors omnia tollit, omnia morte cadunt? quæ dum per cœtus mortalium indiſcreta uagatur, aliquando parentum uotis, qui liberos optant habere ſuperſtites, effectum tribuit, aliquando eorum precibus aures non exhibens, mactat intrepidè liberos ante oculos genitorum. Senes uelut eorum oblita præterit, non uerens in pueros & iuuenes laſciuire. Quapropter fidelitatẽ tuam requirimus & hortamur attẽtè, mandantes quatenus in his & alijs quæ uelut diſcretus ad leuamen tuę calamitatis agnoſcis, ſpiritum conſolationis aſſumas, lachrymis & gemitibus, quibus non uiriles ſed enerues & molles muliebrium animi intabeſcunt, de cætero nullatenus uacaturus.

FINIS LIBRI QVARTI.

CAPITA LIBRI QVINTI EPISTOLARVM

Petri de Vineis.

Commiſſio uicariæ cum gladij poteſtate. Caput. I.
Capitaneo regni, ut procedat ad uindictam cuiuſdam proditoris. Cap. II.
Iuſticiario regni, ut procedat contra homicidas. Caput III.
Fidelibus ſuis, ſuper inquiſitione facienda contra officiales. Cap. IIII.
Iuſticiario, ut procedat ad ſubuentionem noui militis, iuxta priorum continentiam literarum. Cap. V.
Eidem de refectione cuiusdam pontis. Cap. VI.
Item eidem, ſuper eodem. Cap. VII.
Eidem, ut non diruat domos proditorũ, eò quòd infert damnum fidelibus. Cap. VIII.
Cuidam Iuſticiario, ut puniat uillicum, qui domini ſui corrupit pediſſequam & uxorem. Cap. IX.
Pulchrum exordium ſuper inquiſitione facienda. Caput X.
Eiſdem, ut puniantur deuaſtantes ſegetes noctis tempore. Cap. XI.
Eiſdem ut reformetur pax inter minores & maiores. Caput XII.
Eidem, ut ponãtur inſidiæ ad capiendum proditorem. Caput XIII.
Reſponſiua ad præcedentem. Cap. XIIII.

Eidem, ut procedat contra exactores ultra debitum. Caput XV.

Iuſticiario Terræ laboris, de colligenda pecunia pro maritagio filiæ ſuæ. Cap. XVI.

Abbati & Conuentui monaſterij cuiuſdam, ut recludant feneſtras propter aſpectum ſecularium. Caput XVII.

Iuſticiario, ut compellantur redire ad inhabitandas terras ſuas aliqui, qui pro uitandis collectis fraudulenter fugierunt ab eiſdem. Cap. XVIII.

Eidem, ut manu teneat & defendat illos & ſua bona, quos ſub Imperiali ꝓtectione ſuſceperat. Ca. XIX.

Conſtitutio contra deuaſtantes hortos & uineas. Caput XX.

Cuidam Abbati, ut compeſcat fratres diffamãtes confratrem ſuũ, in ſuo ſeruitio exiſtentem. Ca. XXI.

Cuidã Abbati, de quodã monacho falſario. Ca. XXII.

Iuſticiario, ut faciat prouideri cuidam exiſtenti in ſuo ſeruitio, iuxta priorum continentiam literarum. Caput XXIII.

Cuidam, ut non faciat repræſalias contra Tudertinos, ſed alleget ius ſuum in Imperiali curia ſi quod habet. Cap. XXIIII.

Quod reſtituatur pecunia mutuata. Cap. XXV.

Contra illos qui turbant aliquem in ſua poſſeſſione. Caput XXVI.

De cauſa appellationis ſuperiori committenda ſuper criminalibus interiectæ. Cap. XXVII.

Mandat ut prouideat ſuper intercluſa petitione. Caput. XXVIII.

Reſpon-

Reſponſalis Friderici cum commendatione ſolicitudinis. Cap. XXIX.
Item reſponſalis ad illud. Cap. XXX.
Vt reſcribat quid expediat ſuper nunciato ſibi negocio. Cap. XXXI.
Quod aliquis miles recipiatur ad Curiæ ſtipendia. Caput XXXII.
Quod moneãtur Piſani quod deſiſtant à moleſtijs regñicolarum. Cap. XXXIII.
Concluſio ſuper proceſſu ad Curiã deſtinando in cauſa appellationis ſuper criminalis condemnatione. Caput XXXIIII.
De ſolarijs poteſtatum, in approbata forma. Caput XXXV.
Alia forma ſuper eodem negocio poteſtati terræ. Caput. XXXVI.
De ſecuro conductu ſine termino & conditionibus. Caput XXXVII.
Quod prouideatur cuidam preſbytero de uacantibus prouentibus. Cap. XXXVIII.
Quod daciæ uel collectæ non auferantur ab his, qui in ſeruitio Curiæ commorantur. Cap. XXXIX.
Quod hi qui in ſeruitijs Curiæ commorantur, in familia ſeu rebus ſuis nullatenus moleſtentur. Cap. XL.
Capitaneo, ut fiat inquiſitio de quodam qui dicitur fidelis, capto inermi inter infideles. Cap. XLI.
Eidem contra eum, qui ſeruitijs Curiæ infeſtum ſe exhibet & moleſtum. Cap. XLII.
Concluſio ſuper inquiſitione facienda de cõditione potentum. Cap. XLIII.

Cuidam communitati,ut credat nuncijs ſuper eo quod dat eis arbitrium de ſuo regimine. Cap: XLIIII.

Vt reſtituatur poſſeßio deſtituto,in ſeruitijs Curiæ cõmoranti. Cap. XLV.

Capitaneo,de proceßu mittendo et citatione facienda. Caput XLVI.

Mandat cuidam ut doceat quid expediat de liberatione quorundam. Cap. XLVII.

Concedit licentiam quibuſdam mercatoribus faciendi præſalias contra rebelles,qui eos diſrobarunt. Caput XLVIII.

Diſrobarũt, id eſt, ſpoliarunt.

Concedit literas ſecuritatis quibuſdam mercatoribus ſub certis conditionibus. Cap. XLIX.

Concedit nobili mulieri tutrici filiorum,quòd poßit conſtituere procuratorem in cauſa ſua. Cap. L.

De ſecuro conductu extra cõmunem formã. Cap. LI.

Reſpondet cuidam nobili, & commendat proceſſum ipſius. Cap. LII.

Capitaneo,ut quaſdam ſuas literas mittat ad alias partes. Cap. LIII.

Eidem, ut citentur ad Curiã, qui iniuſtè Caſtrum occuparunt aliorum. Cap. LIIII.

Eidem, de captiuis liberandis,iuxta priorem continentiam literarum. Cap. LV.

Poteſtati Piſanorum,ut cogat quendam ad reſtitutionem depoſiti muli. Cap. LVI.

Capitaneo,ut nunciet quid ſit faciendum ſuper excontro quorundam obſidum. Cap. LVII.

Capitaneo commendat eum qui cepit quendam rebellem. Cap. LVIII.

Eidem

Eidem, & ſuper eiſdem. Cap. LIX.

Eidem ut prouideat cuidam fideli de aliquo regimine. Caput LX.

Capitaneo ſignificat quod reſpondeat petitis per nuncium. Cap. LXI.

Eidem, & recōmendat eum de parato exercitu, & hortatur eum de procedendo. Cap. LXII.

Eidem reſpondet ad tranſmiſſa. Cap. LXIII.

Eidem, ut fiat inquiſitio de clandeſtinis damnis illatis cuidam uiduæ. Cap. LXIIII.

Eidem, de procuratore ordinādo qui iura Curiæ tueatur, in cauſa quam ſibi committit. Cap. LXV.

Capitaneo, ut mandet executioni ſententiam, ſicut rationabiliter eſt prolata. Cap. LXVI.

Eidem, de ſoluēdo ſalario conſueto Poteſtati per Communem. Cap. LXVII.

Exordium de recommendatione fideliū. Ca. LXVIII.

Capitaneo, ut emendet equum, quem quidā fidelis ſuus perdidit in bello. Cap. LXIX.

Reſpondet cuidam nobili ad tranſmiſſa, & dicit quod equos non uult ſibi dare. Cap. LXX.

Friderico de Antiochia, ut aſſignet uicariam cuidam, quem ipſe præfecit in Capitaneum. Cap. LXXI.

Hominibus cuiuſdam Capitaniæ, ut obediant fideliter Capitaneo ſupradicto. Cap. LXXII.

De commendatione fidelium & gratia facienda. Caput LXXIII.

Cuidam nobili, comēdatio de fidelitate. Ca. LXXIIII.

De fidelium commendatione, cum promiſſione beneficiorum. Cap. LXXV.

Exor-

Exordium de remuneratione fidelium in filios facienda. Cap. LXXVI.

Capitaneo ſignificat quod miratur, quod non ſignificauit ſibi proſpera noua de partibus illis. Caput LXXVII.

Eidem ut faciat reſtitui bona diſrobatis ſupra mare. Caput LXXVIII.

Cuidam nobili, commendatio de fidelitate. Caput LXXIX.

Capitaneo, ut captiuum qui præſtitit fideiuſſoriã cautionem à carcere liberet, reſtitutis ſibi bonis ablatis. Cap. LXXX.

Eidem committit ut appellationem infirmet uel confirmet. Cap. LXXXI

Fidelibus, confortans eos in fide, & ut credant nuncio. Caput LXXXII.

Cuidam nobili, de eodem. Cap. LXXXIII.

Capitaneo, ut cauſam appellationis & proceſſum debeat ad Curiam deſtinare. Cap. LXXXIIII.

Eidem, ſuper gratia conceſſa cuidam monaſterio de laborandis quibuſdam terris. Cap. LXXXV.

Laborantis, id eſt, arãdis atque ferendis.

Capitaneo, ut certam quantitatem pecuniæ ſoluat annuatim cuidam fideli ſuo. Cap. LXXXVI.

Eidem ut concedat licentiam cuidam communitati uendendi uinum & bladum fidelibus. Ca. LXXXVII.

Bladũ, id eſt, frumentum.

Eidem, ut nomina Caſtellanorũ & ſtatuta Caſtrorum ſuæ iuriſdictionis in ſcriptis trãſmittat ad Curiam. Caput LXXXVIII.

Cuidã Poteſtati et Cõmunitati, ut oblata poſt appellationem reſtituere non poſtponat. Ca. LXXXIX.

Conce-

Concedit licentiam quibuſdam fidelibus de infidelibus capiendis, & his qui portant uictualia ad rebelles. Caput XC.

Capitaneo, ut concedat licentiam portandi & uenden di bladum fidelibus. Cap. XCI.

Cuidam Communitati, ut quendam eremum non debeant in ſuis iuribus moleſtare. Cap. XCII.

Capitaneo, ut non permittat fideles moleſtari contra gratiam eis conceſſam. Cap. XCIII.

Capitaneo, ut contractum debitum ab Epiſcopo ſoluat de bonis Epiſcopatus deuolutis ad iura fiſci. Caput XCIIII.

Eidem, ſuper eodem uel quaſi. Cap. XCV.

Eidem, ut non moleſtet eum qui bona quædam emerat ab Epiſcopo memorato. Cap. XCVI.

Quibuſdam ut citentur ad Curiã, qui alios in ſua poſſeßione moleſtant. Cap. XCVII.

Reſpondet cuidam nobili, & commendat eum de fidelitate. Cap. XCVIII.

Capitaneo, ut amoto Caſtellano ueteri, Caſtrum nouo Caſtellano debeat aßignare. Cap. XCIX.

Cuidam nobili, ut procedat ad regimen ciuitatis, cui præfecit eum ad Poteſtatem. Cap. C.

Communitati ciuitatis eiuſdem, ut eidem Poteſtati pareant & intendant. Cap. CI.

Reſpondet Capitaneo, & commendat eum de proceſſu facto per eum, & inſtruit qualiter ſit proceſſurus. Cap. CII.

Significat cuidam nobili proſperum aduentum ſuum in regnum. Cap. CIII.

Capita-

Capitaneo, ut prouideat annuatim cuidã nobili de prouentibus cuiuſdam eccleſiæ. Cap. CIIII.

Item ſuper eodem uel quaſi. Cap. CV.

Cuidam Communitati, ut reſtituant equos eis, qui eos perdiderant in ſeruitijs Imperatoris. Caput CVI.

Forbannitio, facta contra homicidam non comparentem in iudicio. Cap CVII.

Forbãnitio, id eſt, proſcriptio.

Sententia condemnationis, lata contra quoddam Commune, quia non ceperant homicidam. Cap. CVIII.

Capitaneo, ut aſsignet prouentus duorum Caſtrorum quibuſdam, qui propter fidem ſunt exules. Caput CIX.

Capitaneo, ut hi qui bona ſua inter creditores diſtribuunt, ad ſoluendum decimam Curiæ non cogantur. Cap. CX.

Vt capiantur forbanniti, & in Curia præſententur. Caput CXI.

Forma exbannitionis, factæ contra contumaces accuſatos de homicidio. Cap. CXII.

Daciæ uectigalia intelliguntur.

Quod nobiles & alij potentes conferant in dacijs & collectis cum uniuerſitate. Cap. CXIII.

Forma petitionis, in approbata forma Imperatori porrigenda. Cap. CXIIII.

Literæ ſecuritatis, & conductus nunciorum in eundo & redeundo. Cap. CXV.

Super inquiſitione facienda, ſuper quibuſdam articulis contra moniales. Cap. CXVI.

Reſponſalis cum ſignificatione rumorum & hortatione. Cap. CXVII.

Item

Item idem ſuper eiſdem, & hortatio ut ſe parent. Caput CXVIII.
De remiſsione militum ad ſuum ſeruitium tranſmiſſorum, cum hortatione. Cap. CXIX.
Quod fiat emẽda militibus qui equos & arma, ac res alias in exercitu perdiderunt. Cap. CXX. Emenda, id eſt, recõpẽſatio.
Informatio iuſticiæ ad reſtitutionem rei ablatæ per uiolentiam. Cap. CXXI.
Reſponſalis in breui forma. Cap. CXXII.
Item de eodem, & ſignificat ſe iturum ad partes illas. Caput CXXIII.
Informatio iuſticiæ de non moleſtandis religioſis, contra priuilegium & ſtatutum Cap. CXXIIII.
Reſponſalis commendationis de præteritis, & hortationis ad futura. Cap. CXXV.
Fidelibus ſuis Thuſciæ, ut obediant Capitaneo quem mittit. Cap. CXXVI.
Fidelibus ſuis, commendans eos de fide, & animat eos in ipſa. Cap. CXXVII.
Cauda concluſionis, quæ apponitur in cæteris literis commiſsionis. Cap. CXXVIII.
Rex Conradus ſignificat fidelibus ſuis regnicolis aduentum ſuum, de Alamannia in regnum. Caput CXXIX.
Idem commendat Panormitanos de fidelitate, & regratiatur eis de oblata pecunia. Cap. CXXX.
Secretario Siciliæ, ut faciat reſtitui bona patris proditoris, filio fideli. Cap. CXXXI.
Magiſtro iuſticiario, de diſtributione generalis collectæ. Cap. CXXXII.

Increpan-

Increpando ſcribit rationalibus ſuis Apuliæ, *ſupermit tenda pecunia,et ut obediāt nũcio.* Ca.CXXXIII.
Fidelibus ſuis,ut ei quem mittit obediant ad exigēdam pecuniam ab officialibus. Cap. CXXXIIII.
Exprobrat Romanis, *qui noluerunt acquieſcere moni tis ſuis & ut credant nuncijs.* Cap. CXXXV.
De commendatione regni Siciliæ, & ordinatione iu ſticiæ. Cap. CXXXVI
Fidelibus ſuis de Marchia, *ut parent ſe ad exercitum cum eo.* Cap. CXXXVII

EPISTO-

EPISTOLARVM PETRI DE VINEIS Liber quintus.

Commiſsio uicariæ cum gladij poteſtate.
Caput I.

AD extollenda iuſtorum pręconia, & reprimendas inſolentias tranſgreſſorum,proſpiciens de cœlo iuſticia erexit in populis regnantium ſolia, & diuerſorũ principum poteſtates. Caruiſſet namque libenter humana conditio iugo dominij, nec libertatem à ſe,quam eis natura donauerat homines abdicaſſent,niſi quod impunita licentia ſcelerum, in euidentē perniciem humani generis redundabat,& ſic neceſsitate quadam oportuit noſtram ſub eſſe iuſticiæ & ſeruire iudicio libertatem. Sed nec extrinſecus exquiri decuit ſpeciem aliam creaturæ,cui ſe repręſentata per hominem cœleſtis imago ſubijceret : ſed homo prælatus eſt homini, ut gratiorem prælaturam efficeret identitas ſpeciei.Potiſſimè tamen diuina ſententia pręfecit ad regimen populorum Imperium,dum oſtēſa ſibi figura numiſmatis in redditione cēſus,ac ſolutionibus tributorum,præ cæteris regibus Cæſareæ fortunæ faſtigiũ præ

ſigniuit. Cui diuerſimodas ſubdidit nationes, non ad hoc ſolum, ut eis imperando præeſſet, ſed ut ipſis potiùs iuſticię copiam miniſtrando prodeſſet. Inter alias igitur occupationum curas, quibus fluctuantis pelagi more, pro ſalubri Reipublic. ſtatu, noſter ſpiritus quotidie fatigatur, occurrit cogitationibus noſtris potiſſimum cogitatione potiſſima reuoluētes, quod Lombardiæ prouincia utique nobilis, & pars Romani imperij precioſa, diu ꝑ uiſione iuſticiæ caruiſſet: propter quòd tā filios & indigenas eiuſdem prouinciæ, quàm aduenas in prouinciam uenientes, in perſonis iniurias, & in rebus damna non modica nouimus fuiſſe perpeſſos: & ibidem iura Imperij multipliciter diminuta. Ne igitur talentum nobis creditum negligenter abſcondere uideamur, utpote qui uillicationis noſtræ rationem, ſumus in examine diſtricti iudicij reddituri, ad hoc dirigimus aciem mentis noſtræ, ut ad procurandum ſtatum pacificum regionis ipſius, Imperialis prouiſionis inſtantia ſalubriter intendamus. Quia tamen ad pręſens circa alias partes Imperij neceſſariò detinemur, ne terra prædicta tantiſper fructu noſtræ prouidentiæ careat, cui potentiæ noſtræ præſentiam nec non & potentiam noſtram proximam pollicemur: ecce
de

de tua prouidentia & fidelitate confiſi, te de latere noſtro ſumptum generalem uicarium, à Papia inferiùs in Lombardia, ad eos uelut conſcientiæ noſtræ conſciũ, pro conſeruatione pacis & concordiæ ſpecialiter deſtinamus, ut uices noſtras uniuerſaliter geras ibidem. Nec tamen te ſola uicarij poteſtate uolumus eſſe contentum, licet ſolo uicarii nomine cenſearis: ſed tibi uſque ad alium mandatum noſtrum adiicimus officium præſidiatus, concedentes tibi merum & purum imperium & gladii poteſtatem: & ut in facinoroſos animaduertere ualeas uice noſtra, purgando prouinciam, malefactores inquiras, & punias inquiſitos, & ſpecialiter eos qui ſtratas & itinera publica auſu temerario uiolare prę ſumunt. Criminales etiam quæſtiones audias & ciuiles. quarum cognitio ſi prę ſentes eſſemus ad noſtrum auditũ pertinet. Liberaliter quoque audias & determines quęſtiones, & imponẽdi banna & multas, ubi expedierit, autoritatẽ tibi plenariâ impartimur. Decreta utiq; interponas, quæ ſuper trãſactione alimentorũ, alienatione eccleſiaſticarũ rerum, & tuitione minorũ, ſecundum iuſticiam interponi petuntur. Tutores etiam & curatores dandi quibuſlibet tibi cõcedimus poteſtatem. Et ut maioribus & minoribus, quibus uniuerſa iu-

ra ſuccurrunt,cauſa cognita, reſtitutionis in integrum beneficium,ualeas impertiri, ad audientiam quoque tuam,tam in crimi nalibus quàm ciuilibus cauſis, appellatio nes deferri uolumus:quas à ſententijs ordinariorum iudicum, & eorum omnium qui iuriſdictionem ab Imperio ſunt nacti, in prouincia ipſa uidelicet, à Papia inferius in Lombardia (prout ſuperiùs dictum eſt) contigerit interponi. Ita tamen, quod ſententia tua ad audientiam noſtri culminis poſſit liberè prouocari, niſi uel cauſæ qualitas, uel appellationum numerus, appellationis auxilium adimat appellanti. Quapropter fidelitati tuæ firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus ad ſtatum pacificum regionis ipſius, & reparationem noſtrorum & Imperij uirium, in eandem fidem tuam & ſolicitudinem,ſicut gratiam noſtram charam diligis, ſic efficaciter & diligenter impendas: ut in te diligentiæ tuæ teſtimonio, electionis noſtræ iudicium commendetur. dum talem tanto negocio duximus præponendum. ex cuius fide & induſtria, Serenitatis noſtræ ſalubre propoſitum de obſeruatione uirium regionis eiuſdem ſingulis exprimatur.

Capi-

Capitaneo regni, quod procedat ad uindictam cuiuſdam proditoris. Cap. II.

NE diuino inſtinctu præcognito, ars auſu præcipiti furioſa, de ſuo irrationabiliter facinoroſo triumphet autore: C. reũ læſæ Maieſtatis noſtræ crimine deprehenſum, poſt multa uariaque tormenta, ut unius pœna ſit timoris incuſſio pluri morum, pœnam ſubire decreuimus capitalem. Sanè quod noſtri regnicolæ, præ cognitis undique ſtipendijs meritorum, maioritatem perſonæ in meditationis trutina, cum criminis enormitate ſuſpendãt: magnifica beneficia ſibi à noſtra Maieſtate collata, necnon ipſius enormitatis exceſſus ad noticiam præferri uolumus ſingulorum. Porrò hic eſt, qui de terra fertilitatis eductus, caducarum rerum opulentia ad uotum & ultra extitit fœcundatus. Quare immoderatè laſciuiens animo, qui plerunque cõſueuit rebus luxuriare ſecũdis, miniſterij occaſione latentis ſedulus, de præconcepto tranſgreſſionis fomite, mortis hauſtũ ei ſtuduit propinare, à quo multorum ſalus & incolumitas procuratur, uolens cum homicidio, immò potiùs cum homicidijs omnium illorum, quorũ uita dependet à noſtra, læſæ crimine Maieſtatis committere. Vnde ſalubris prouiſionis conſilio, nequitiæ paſſus metiendo,

cum paſſib pietatis,quod proditorum de lerent genimina, & factionum fluuiũ deſiccaret,edixit cum conſilio procerum diuino programmate Imperialis excellentię magnitudo,ut terras ſingulas regni noſtri cum improperijs peragat,&tormentis ultimum poſtremo ſuppliciũ ſubiturus.inſtar enim pietatis eſt,in huiuſmodi ſceleris correctiõe fuiſſe crudelẽ. Quare ne Dei reuerentia retardet crudelitatis,quin imò pietatis officium,nec feſtis diebus reus læſę crimine Maieſt.à principe,aduerſus quẽ talia molitus eſt,ueniá dignè poterit expectare. Nam ſi feſta dies nõ ceſſat pdere furẽ, quãtò minus deſiſtet pœná infligere huiuſmodi proditori?Exequaris igitur tanquam noſtri iudex propoſiti, ut effectu operis clareat,quantum habes odij aduerſus tam immenſi ſceleris patratorem. Nec te moueat quod ad affectum non duxerit quod intendit,quoniam non debet uindictam effugere, quem tam diri conſcientia facti mens habet attonitum, & ſurdo uerbere cædit : has enim pœnas patitur ſola peccandi uoluntas.nam facti crimẽ habet in ſe ſcelus qui cogitat illud, etiamſi curſum facinus non attigerit peroptatum.

Iuſti-

Iuſticiario regni, ut procedat contra homicidas. *Caput* III.

TE redargutionis,& culpæ non uidimus nota carentem, dum contra N. & qui homicidium ſub umbra noſtri nominis commiſiſſe dicuntur,tam lētè,tā ſegniter te audiuimus proceſſiſſe. Sequitur etenim,qđ dum maleficiorū exceſſus huiuſmodi,iuſto præſidis rigore non ſtringitur,uicioſa ſibi iā pœnæ remiſſio, nutritiua ſic criminum,& facinoroſis ex hoc enormis creſcat audacia, & liber quodam modo tranſitus uiolentiæ præbeatur.

Fidelibus ſuis, ſuper inquiſitione facienda contra officiales. *Cap.* IIII.

SAepe contingit,quod dum proceſſus & geſta noſtrorum officialium ignoramus, benemeriti plerunque ſecludūtur à prę mijs,& obnoxij eximuntur à pœnis. Sicq; ſubditorum noſtrorum fides ex noſtræ retributionis ſubtractione minuitur, & ex impunitate ſcelerum augetur malicia delinquendi. Vt igitur proceſſus eorū, quos ad oculū uidere nō poſſumus,nobis relatione ueridica referentur, fideles noſtros ſuper uiſitandis officialib. noſtris ſpecialiter duximus deſtinādos:fidelitati tuę ꝑcipiēdo mādamus,quaten⁹ ſuꝑ omnib.q̄

ad eorum officialium uiſitationem ſpecta re noſcuntur: prout in literis commiſsionis eorum pleniùs continetur, eiſdem fidelibus noſtris parere & intendere debeatis. &c.

Iuſticiario, ut procedat ad ſubuentionem noui militis, iuxta priorum continentiam literarum. Cap. V.

OLim ad ſupplicationẽ M. & fidelis noſtri P. tunc Iuſticiario ipſarũ partium, prædeceſſori tuo, per literas noſtras iniunximus, ut quia B. de patre eius, ei qui in noſtris ſeruitijs extitit fructuoſus, & in eiuſdem filij ſui commodo naturalis affectio ſeu charitas paterna non inuitauerat, ut debuerat inuitaſſe, ſibi dudum in receptione cinguli militaris, quam eius debuerat præuenire ſubuentio, lentus pater aut rigidus in aliquo non prȩuidit, idem Iuſticiarius à uaſallis præfati B. iuxta conſtitutionem regni noſtri ſubuentionem præfato B. fieri faceret congruentem. Cumq;, ſicut eo nuperrimè referente, comperimus ductum mandatum noſtrum effectu debito caruiſſet, fidelitati tuæ præcipiendo mãdamus, quatenus iuxta tenorem literarum noſtrarum, quas ſuper hoc eidem Iuſticiario prædeceſſori tuo direximus, prædictũ mandatum noſtrum utiliter & celeriter exequaris.

Eidem

Eidem de refectione cuiuſdam pontis.
Caput VI.

AD euitanda diſcrimina generalis in cõmodi, quæ in tranſeundis aquarum decurſib. dum ex fluuiali maximè tur geſcunt alluuia, humanis perſæpe caſib. in gerũtur, artis artificis prouidit antiquitas, ut in fluuialibus locis deputatis ad tranſitum, utriuſq; compaginata commoditas, minantis aquæ proſtrata ſuperbia, per põtium tramites uiatoribus pandat iter, &c. Ad quorum conſtructionem nec nõ ad reparamenta uiarum, quæ itinerantibus ne ceſſariò frequentantur, etiam ſine manda ti oraculo, tantò libentius debent aſpirare deſideria ſubditorum, quantò per id gene ralis utilitas tãgitur, & multa perſonarum pericula rerumq; diſcrimina prçcauentur. Cumq; nuper ad audientiã noſtram perue nit, quod flumen ſitũ in iuriſdictione tua, propter inundationes aquarum, ſic ſe pro tẽpore protendat horribile, ut nullus hinc inde tranſire uolentib. obſecundet: uolen tes inhabitantib. prouinciam de conſenſu noſtrorum fideliũ, ſed præcipuè, quorum fidei ſuæ meritis libenter cõmoda quærimus, tam benignè quàm ſalubriter prouidere: fidelitati tuę præcipiẽdo mãdamus, quatenus uniuerſitatem ciuitatis N. nullis eccleſijs, eccleſiaſticis ſeu ſecularib. perſo-

nis exceptis, efficaciter moneas & inducas & ſi expedierit autoritate noſtra cõpellas, ut põtes, uias omnes quæ circa partes & diſtrictus ciuitatis ipſius neceſſariò expetũt reparari, debita faciãt reparatione fulciri. Super quo eã diligentiam habere te uolumus, quam tanti boni generalitas, & mãdati dominici ꝓſecutio ſtudioſa requirit.

Item eidem, ſuper eodem. *Cap.* VII.

TVnc nomẽ noſtrũ glorificamus, hęreditãdum in poſteris, cum fulgemus pietatis operibus in modernis: cum per ea quæ in præſenti agimus, deſcriptionẽ noſtram futuris in ſpeculo tribuamus. Hac igitur ſalubri intentione præmoniti, pontẽ cœptũ in flumine Anfidi periculoſo per ſæpe uiatoribus & damnoſo, præcipimus percompleri. Et quia de noſtro tribuimus cum de noſtrorum facultatibus erogamus fidelitati tuæ præcipiendo mãdamus, quatenus per homines terrarum iuriſdictiõis tuæ, quos interclusa ſchedula cõtinet, quãtitatẽ pecunię imponi facias interclusam, ea æqualitate & moderatione taxandam, ut nullus exinde rationabiliter conqueratur, quam recollectam & diſpenſatoribus in opere eiuſdem pontis facias aſſignari, in pontis ipſius complemento utiliter cõuertendam &c.

Eidem

Eidem, ut non diruat domos proditorum, eò quòd infert damnum fidelibus. Cap. VIII.

Sic cõſueuit aliquando trãſgreſſio puniri nocentium, ut pœnæ rigiditas, cuius relaxatio uiam delinquentib. aperit, in noxiorum modeſtiam propulſet interdũ: cum nonnunquam malorum peccata, iuſtos impediant, & uirtutes pro uitijs ſæpe crimina ferant. Sed in noſtræ deliberationis examine, ubi iuſticia reperiri non nouit iniuriam, ſic peccantium puniri deſidoramus exceſſus, ut fidelium innocentia non prematur, ſed miſericordia rigori prę ponderet, & præferatur benignitas ultioni. Ea propter cum domos P. expulſi de regno ob ipſius euidentes exceſſus, & manifeſtas offenſas dirui iuſticia noſtra mandauerit: ac ex ipſarum dirutione domorum domus fidelis noſtri, qui prædicti P. factiones abominans, ſemper fidei noſtrę cultũ, prout nouimus ex plurium relatione, dilexit, irreparabile damnum propter dirup tionem incurrat: ad ſupplicationem N. fidelis noſtri, fidelitati tuę pręcipiendo mãdamus, quatenus ſuperſedeas dirutioni domus prædictæ ad pręſens, quouſq; aliud exinde tibi à Maieſtate noſtra mandetur. quia uolumus potius ex humanitate rigorẽ extenuare iuſticiæ, quam in ipſius obſeruatione lædere innocentem &c.

Cuidam

Cuidam Iuſticiario, ut puniat uillicum qui domini ſui corrupit pediſſequam & uxorem. Cap. IX.

REm pernicioſam exẽplo pernicioſo nuper audiuimus perpetratam: uidelicet, quòd cum N. miles fidelis noſter, dominus eius, apud ipſum uniuerſaliter rei familiaris depoſitum, & pudicitiam cuiuſdam pediſſequæ, imò uxorem propriã, etiam (niſi dici pudeat) fœnoris nõ ignorans, ſtudioſè, ſed temerariè commendaſſet: depoſitarius ipſe fide dupliciter uiolata, periurio, furtũ, & furto periurium, quod ex ipſius rei depoſitæ contraria contractione contraxerat, furioſæ libidinis conſortium aggregauit. Hãc igitur inimicitiæ familiaris peſtem, ſicut efficaciorẽ proſpicimus ad nocendũ, ſic pœnæ durioris aculeis ipſum eſſe decreuimus feriendum: tuæ fidelitati mandãtes, quatenus ſi eſt ita iuxta confeſſionem maleficij, quã conſueuit in publicum conſciẽtia læſa producere: uel talibus probationib. qualibus huiuſmodi maleficium, quod tanquam hominum aſpectib. horridum, & humanis uiſib. uerecundum, uix aut nunquam ex uiſu probari poſſet, expoſcit, uillicum ipſum prænominatum mutilari continuò uaſis ſeminarijs facias: ut eius acerbæ ſed iuſtæ uindictæ terrore ruſtici, quinetiam quilibet familiares addiſcant luxuriæ ſuæ frenum imponere: & nõ tan-

tantum in uxorib. dominorum, ſed in focarijs etiam cum pudicitia fidem, & cum fide pudicitiam obſeruare.

Pulchrum exordium ſuper inquiſitione facienda. Cap. X.

SOlet ſtudioſus & diligēs uinitor euellere plantas degeneres, quę terrā inutiliter occupant, & perniciosè luxuriant in perniciem palmitū electorum, ac in loco illarū uites uberes & electas propagare: ut tota fiat uinea fertilis & iucunda, ac abundet in fructibus & reſpondeat plantatori. Sanè &c.

Eidem, ut puniantur deuaſtantes ſegetes noctis tēpore, Cap. XI.

NE per impunitatem criminū conualeſcat inſolētia peruerſorū, fidelitati tuæ mādamus, quatenus illos qui quaſdam ſegetes diſcreti uiri N. in noctis ſilentio temerè deuaſtarūt, ut eidē debitam ſatisfactionem impendant, ueritate agnita tradita tibi à nobis poteſtate cōpellas, talem pœnam infliges eiſdem, quod ea ipſis ſit ad ſupplicium & cęteris in exemplum. Si uerò aliqui rebelles temerè ſe opponerent in hac parte, ipſorum temeritatem taliter corrigas & caſtiges, qđ qui ſe ſtultū demonſtrat in culpa, ſapiens ſit in pœna.

Eidem

Eidem ut reformetur pax inter minores & maiores. Caput XII.

PAti nolentes ut minores à maioribus opprimantur, diſcretioni tuæ præcipiendo mãdamus, quatenus inter milites & populares ciuitatis procures pacem & concordiam reformare.

Eidem, ut ponãtur inſidiæ ad capiendum proditorem. Caput XIII.

DIuinis & humanis inſtitutis non abſonat, quod qui noſtram non uerẽtur laceſcere Maieſt. & contra noſtra quotidie commoda moliuntur, à nobis & regni noſtri fidelib. in perſonis & reb. eis inferri debeant detrimenta. Cum igitur Ioh. de N. qui ſuis factionibus, uſq; modò Imperij noſtri uiribus extitit aduerſatus, coram noſtræ Celſitudinis effigie comparere deuitans, ut Imperialis euadat aculeos ultionis, ſub fictæ pietatis uelamine Apoſtolorum intendat limina uiſitare: non uolentes ut fraus & dolus patrocinentur eidem, fidelitati tuæ mandamus, quatenus per uias & ſemitas ponens inſidias eum capias, ſi inciderit in eaſdem: ut qui Imperiali diademati inferre non puduit lęſionem, cadat ipſe in decipulam quam tetendit.

Re-

Reſponſum ad præcedentem. *Cap.* XIIII.

IMperatoriæ celſitudinis iuſsionem exe qui promptiſsimè cupiens, iuxta Imperialis edicti paginam feci uias & ſemitas cuſtodiri, ne fortè ille tranſiret, qui uobis contrarius extitit & rebellis. Quia uerò iu xta diuinum eloquium, nec ſine præmio bonum, nec malum præterit impunitum, uotis noſtris (diuina fauente clementia) q̧ mandati ueſtri tranſgreſſor extiterat, trãſire non poterat improuiſus. Noſcat igitur Cæſarea magnitudo, quod fraus & dolus ſibi patrocinari non potuit: nam lapſus in laqueum & decipulam quam tetendit uel parauit, uobis trãſmittitur ad ueſtrum beneplacitum puniendus.

Eidem, ut procedat contra exactiones ultra debitum. *Caput* XV.

GEneralis ſubditorum noſtrorum regni Siciliȩ aurib. noſtris inculcata ſȩpius, non ſine uehemẽtis admirationis materia, Maieſt. noſtrã ſȩpe querela commouit. Quod cũ de mãdato noſtro fidelib. noſtris collectas imponi cõtingat, impoſitores earũ, q̧ cũ ſumma diligẽtia, & ſolẽnitate debita iuxta noſtrorũ ordinationẽ officialiũ eligũtur, amore, timore, uel odio de uitãt, q̄ iuramẽto ꝓmittũt: & aliquãdo q̄buſdã parcẽtes, alleuiãdo cõſanguineos & affines

affines pro eorum arbitrio aggrauant reliquos, eis onera importabilia imponendo, nulla ſacramenti reuerentia obſeruata nec ad Maieſtatem noſtram aliquem habendo reſpectum. Quo fit ut neceſſariò ſumma impoſita tempore congruo, & ſine magno ſtrepitu haberi non poſſit: ac ut negociorum noſtrorum & uotorum executio retardetur, collectorum quidem tantũ creuit impunita temeritas ciuitatum & locorum aliorum, ut ne dũ in fiſci noſtri prę iudicium temerariam exactionem exerceant in pleroſque: immò improuidè partẽ receptam fiſcalis pecuniæ, in uſus proprios conuertere non formidant: licitum eis fore in noſtra putantes abſentia, quod nobis in regno manentibus fortè committere uererentur. O' tu igitur quem inter alios fideles noſtros eligimus, de tua prudentia & legalitate confiſi, tibi committimus uices noſtras, fidelitati tuæ mandantes, quatenus per ſingula loca ciuitates, & caſtra iuriſdictioni tuæ ſubdita, te perſonaliter conferens, inquiſitionem ſuper his facias diligentem, & quicquid inde inueneris, ſeriatim culmini noſtro ſcribas.

Iuſti-

Iuſticiarijs Terræ laboris, de colligenda pecunia pro maritagio filiæ ſuæ. Cap. XVI.

Fidelitatis noſtræ cultorib. quos in ambitu regni noſtri Siciliæ in uia pacis & ſecuritatis deducimus, humanitatis maioris oſtendere ſigna non poſſumus, quàm ſi cum ipſis in cõmunitate uirium noſtram magnificentiam counimus: & dum ab eis faſtigia noſtræ Maieſtatis differimus, paritatis apud eos materiam inuenimus, ab experientiæ fructibus fide nacta, qui dum in eorum ſenſibus nos ad humaniora diſponimus, deuotiores ipſos in noſtris obſequijs experimur. Et ideo cũ pro maritagio filiæ noſtræ chariſsimæ, quam filio N. marchionis Miſnenſis decreuimus copulandam, à fidelibus noſtris regnicolis ſubuentionem placeat exhiberi: fidelitati tuæ firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus 3. Calend. proximi futuri menſis Aprilis, cum generalis collectæ pecuniam poſsibiliter credimus recollectã, medietatem totius generalis collectę prędictę, præſenti anno, de mandato noſtro in tua iuriſdictione taxatę, per ſingulos Iuſticiariatus eiuſdem tuæ iuriſdictionis diſcretiõne prouida imponi facias & recolligi, feſtinanter eam ad noſtram Cameram deſtinandam.

Abbati & Conuentui cuiuſdam monaſterij, ut recludant feneſtras propter aſpectum ſecularium.

Caput XVII.

PRompta uos deuotione recipere ſcripta noſtra conijcimus, quæ nobis maximè obſeruantiã honeſtatis & regularitatis decorẽ tangẽtia deſtinamus, credẽtes in hoc mãdatis noſtris uota ueſtra cõcurrere, & literarũ noſtrarũ ſeriẽ noſtris deſiderijs cõuenire. Cum itaq; nuper ad audientiam noſtrã peruenerit, qđ domꝰ quas magiſter N. de N. habet, in monaſterij ueſtri multa ſint proximitate uicinę, ita quod utriſq; ſe feneſtris oppoſitis intuentur: quod quanquam eſſet ſecularib. horridũ, & uideri poſſet regularibus inhoneſtum: ipſe tamen æquanimiter hactenus, dum fratris eius qui monaſterij ueſtri regimini præfuit, mutuis hincinde poterat recreari colloquijs, uicinitatis tantę coniugia celerauit. Nunc autẽ cum idem frater mortalitatis dicatur debitum exoluiſſe, nec deceat ipſum in antea cum uxore ſeculariter cõuiuentem, extraneos in domibus ſuis tam proximos habere reſpectus, ac Ordini ueſtro conueniat, oculos, à mundanis aſpectibus ſequeſtrare: deuotionem ueſtram requirimus & hortamur attentè, mandãtes, quatenus feneſtras domorum ueſtrarum, quod libẽter uos facere credimus ſic obſtrui faciatis, quod per hoc

hoc eiuſdem magiſtri placeatis affectibus, & per honeſtatis ueſtræ conſtantiã, bonorum exemplis operum alios informetis.

Iuſticiario, ut compellantur redire ad habitandas terras ſuas illi, qui pro uitandis collectis fraudulenter fugerunt ab eiſdem. Cap. XVIII.

INtellecto nuper, quod nonnulli habitatores regni, ut collectarũ & aliorũ Curię noſtræ ſeruitiorum ab aliorũ ſuorum ciuiũ cõmunione ſe ſubtrahãt, incolatus ꝓprijs domicilijs derelictis, ſe ad alia loca iuriſdictionis tuę, in quib. eorum non ſit nota conditio, per doloſa ſuffragia tranſtulerũt: & ſic onera quæ communes humeros exigebãt, incumbũt reſiduis intollerabiliter ſupportanda: quocirca fidelitati tuæ pręcipiendo mãdamus, quatenus quoſcũq; habitatores terrę ipſius, ob cauſam prædictam propria domicilia inueneris reliquiſſe, ipſos ad incolatus terræ ſuæ incontinenti redire, qua uideris rerum & perſonarum diſtrictione compellas: ut fugam ipſam, quam in aliorũ præiudicium fraudulenter ingeſſerant, nullum ſibi ſentiant patrocinium exhibere.

Eidẽ, ut manu teneat & defendat illos quos et quorũ bona, ſuper protectiõe Imperiali ſuſceperat. Ca. XIX.

VOcat⁹ ad pręſentiã noſtrã magiſter Pe. de Vin. pro inſtãtib. Excellẽtię noſtrę ſeruitijs, q̃ perſonã ſuã ſpecialiter exigebãt, domeſticas & feſtiuas primitias nuptiarũ,

mandatis parendo dominicis, interrupit. Cumq; domum ſuam & conſortis ſuæ nouæ conſtantiam, cuius erat in ſuo pectore, cura maior, dum cuſtodes incertos & incognitos hoſpites nollet ad hoc, uel potius dubitaret admittere, & ſocrui ſuæ, de qua præ cæteris confidebat ſpecialiter, & fiducialiter commiſiſſet. Quæ licet in totum uirilem ſupplere non poſsit abſentiã, nihilominus tamẽ ne ab inde diſcedat, dictus magiſter noſtro culmini ſupplicauit, ut domũ & filios ſocrus ipſius quos ex cauſa prædicta deſeruit, ſub noſtra protectione recipi mandaremus. Cuius ſupplicationibus inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus domum, terrã, & filios mulieris ipſius non permittas ab aliquo moleſtari, ſed ipſos in eorum uiribus, autoritate noſtri culminis, manu teneas & defendas.

Conſtitutio contra deuaſtantes hortos & uineas.
Caput XX.

MVltum noſtris derogatur affectibus, ſi iuſticiæ limitem, cuius nos ſubditos debitores offerimus, tranſgreſſorum cupiditas effrenata circũſtrepit, & pacis quietæ temperiem aliquorum improuiſa temeritas inquietet. Sed illud præcipuè noſtris cedit uotis infeſtius, cum reuerentia quaſi nilipẽla dominij tãtum præceps & incauta diui-

diuitum maiorumque præſumit audacia, ut impudenter in pauperes ſęuiat, & crudeliter exardeat in minores. Hoc ſiquidē in ciuitate N. ſicut ex hortulanorum & pauperum querula propoſitione cōperimus cōmittitur inſolenter: qui dum ex manuum ſuarum laboribus, quos ad defendendam inopiam in hortis & uineis excolendis exercitant, commodū ſperant: herba frequenter in florem prodiēs, & rarò perfectionem maturitatis attingens, rapaci uel uiolenta falce præciditur, & laborantis manibus exinde præuiſa compendia præauferuntur. Furit enim in ipſos aliquando furtiuis inſultibus aggreſſorū ingluuies, quibus non licet dicere, cur ueniſtis? & ſæuit perſępe uiriliter in collectione fructuū impudica fragilitas ancillarum, quibus mittentium animatis imperio repulſam adimit potentia dominorum. Sicq; colonus ſpe fruſtratus & præmio, tutiùs eligit damna diſsimulare ſilētio, quàm uerbis factus horribilis perſonales iniurias rerum cumulare iacturis. Volentes igitur, ut uulnus huiuſmodi, ne ad alios ex impunitate ſubrepat ignis, uel ferri ſeueritas uiolenter abſcidat, cui reuerentiæ noſtrę medicina non prodeſt: præſenti edicto noſtro inter alia ſtatuta ciuitatis ipſius inſeri tenaciter ualituro ſancim9: ut quotiens maſculini ſexus aliquis male-

factor, cuiuſcunq; conditionis, generis, uel ætatis, in ipſo fragráti malicio fuerit deprehenſus, de noſtra licẽtia capiatur aſsignandus tibi N. per te Serenitatis noſtrę oraculo nullatenus liberandus. Si uerò pedisſequá, uel cuiuſcunque conditionis alterius mulierem eiuſdem maleficij deprẹhenſio complectatur, nulla patrono eius, qui liberas ſibi ad exceſſus huiuſmodi laxauit habenas, honorificentia reſeruata, ipſam per terram publicè uolumus ſubijci fuſtibus, ut culpá perpetrati facinoris ſceleris eiuſdem pœna litatis aſperitas iudicet, & in caſu ſimili delinquẽdi materiam cæteris interdicat. Hac enim inuiolabili iuſsione ſtatuimus, ut nulli hortulanorum ipſorum liceat ob alicuius uiolentiam ſeu rogatum, alia in hortis ipſis ſpargere ſemina, niſi ea quæ uſibus & cibus humanis accommoda, telluris hortalis fœcunditas producere conſueuit.

Cuidam Abbati, ut compeſcat fratres diffamantes confratrem ſuum, in ſuo ſeruitio exiſtentem.

Cap. XXI.

NVper ad audientiam Celſitudinis noſtræ peruenit, quod cum fratrem N. de N. deuotum noſtrum, quem grata nobis Ordinis ueſtri religio, & experta ſuæ probitatis ſufficientia commendabant, pridem in Curia noſtra pro quibuſdam ſeruitijs noſtris, perſonam ſuam nón ſine cauſa poſcen-

poſcẽribus,nobiſcum aliquo tempore iuſſerimus moraturum: aliquorum fratrum ipſius Ordinis effrenis oblocutionis incauta,& utinam non mordacis liuoris ſeducta licentia,fratrem eundem propterea, quem ex hoc chariorem habuiſſe debuerant, impudenter diffamaſſe dicuntur.Cumque huiuſmodi uerba,non minus honoris noſtri iniuriam, quàm fratris eiuſdem detrimenta contingāt: deuotionem tuam rogamus & hortamur attentè,quatenus diligenti ſu per hæc cura præhabita, fratres oẽs quos propter hoc ad fratris eiuſdem infamiam temerè prorupiſſe compereris,debita diſciplina caſtigans,eorum lubrica labia ſilentij munimẽto compeſcas: illud circa innocentiam fratris ipſius prouiſionis remedium habiturus, ut ſi quid grauaminis illatũ ſibi propterea fuiſſe cõqueritur,ipſum de præterito ſatisfactio cõdigna conciliet,& cautelæ prouiſio innuiat de futuro.

Cuidam Abbati,de quodam monacho falſario.
Cap. XXII

NVper in regno noſtro, quidam circumuagus inuentus eſt monachus, qui falſas ſigilli noſtri formas adulterans, non abſque honoris noſtri iniuria, & tuæ honeſtatis infamia diſcurrebat. Vt igitur de ſigillo ipſo ulteriùs flagitioſa figmenta non procedāt,ipſum tibi,cuius honoris au

gmentum de bono ſemper in melius cupimus promouẽdum, ſub annuli noſtri clauſura tranſmittimus, & falſariũ monachum, ut culpas ſuas diſtrictiùs doleat, quibus laſciuus ſe in geſsit, carceris noſtri compedibus mandauimus detineri.

Iuſticiario, ut faciat prouideri cuidam in ſuo ſeruitio exiſtenti, iuxta priorum continentiam literarum.
Caput XXIII.

OLim ad ſupplicationem G. qui in noſtris ſeruitijs publicis continuus & obſequioſus inuigilat, Petro de N. prædeceſſori tuo dediſſe recolimus per literas noſtras in mandatis, ut quia B. pater ipſius, naturalis affectionis dulcedine, quæ conſueuit ineſſe patribus, impudenter abuſus, & à generoſitatis quodammodo lege degenerans, eum ratione debita non tractabat ut filium, nec tempore quo feliciter de regno noſtro diſceſsimus, ſibi ſubuentionem aliquam fecerat expenſarum: dictum G. uſq; ad 50 uncias auri, pro ſupplicantis eiuſdem ſumptibus, autoritate noſtra compelleret tranſmiſſurum: ut qui humanis ſuaſionib. naturę rigidus molliri non poterat, mãdantis imperio flecteretur inuitus. Nuper aũt, ſicut ex eius aſſertione comperimus, quod miramur & meritò, ſuper hoc nec patris affectio profuit, nec mandãtis affectus: ſicq;
noſtræ

noſtræ iuſsionis authoritas in cautè contemnitur, burſa in noſtris uacuata ſeruitijs neceſſariò cogitur indigitur. Eo itaque ſupplicante ſuper hoc ſibi per noſtram Excellentiam prouideri, fidelitati tuę pręcipiendo mandamus, quatenus ad efficacem executionem & celerem mãdati prædicti, iuxta priorum continentiam literarum, quas propterea Petro præfato direximus, ſic omni dilatiõe poſtpoſita ſolicitus & ſtudioſus intendas: quod idem ſpes hactenus præconcepta fraudauit, neceſsitatum ſuarum eſuriẽ præſentis mandati noſtri ſuffragio ſentiat mitigatam.

Cuidam quod non faciat repræſalias contra Tudertinos, ſed alleget ius ſuum in Imperiali curia ſi quod habet. Cap. XXIIII.

LEcta nuper in auditorio Communis Tudertinorum, noſtrorum fidelium, ſupplex petitio, continebat quod cum iuuenis quidam, nomine A. ad ciuitatem accederet, & ibidem aliquandiu moraretur: quidam, quorum nomina ignorare ſe dicunt, principales ſe tuos nuncios aſſerentes, præfatum A. propoſuerunt quandam ſummam pecuniæ, & res alias ſibi furtiuè ſurreptas ſecum cladeſtinè aſportaſſe, ſuper quo pro parte tua iuſticiam ſibi fieri poſtularunt. Quod cum Communi prædicto ex

de mandato noſtro præſentialiter commorantur, Celſitudo noſtra intendere dignaretur: fidelitati tuæ duximus taliter reſpondendum, quod ecce per C. ſuper his reſcribimus, noſtrę beneplacitum uoluntatis.

Vt reſcribat quòd expedit ſuper nunciato negocio. Cap. XXXI.

CVm H. & G. fideles noſtri, per eorum literas noſtræ ſupplicauerint Maieſtati, ut quia R. ciuis Rauennenſis, fidelis noſter, foret ad præſens ſuper regimine Ferrarienſium, & Rauennatum, qui in noſtræ fidelitatis cõſtantia perſeuerat, nec non & alijs ſeruitijs noſtris, in partibus Romãgiæ exequendis, plurimum opportunũ dignaremur eundem R. & ſocerũ ipſius in regno de mandato noſtro præſentialiter commorantẽ, relaxare de noſtra gratia ſpeciali. Volentes itaq; in his cautiùs procedere, ſicut decet, fidelitati tuę pręcipiẽdo mandamus, quatenus tuis literis denotare procures, quid inde noſtræ expediat Maieſtati.

Quod aliquis miles recipiatur ad ſtipendia Curiæ. Caput XXXII.

AD noſtræ Maieſtatis pręſentiam accedens Iacob. de N. miles fidelis noſter, Celſitudini noſtrę humiliter ſupplicauit, ut cũ in fide nobis ſeruanda, relictis omnibus ſtabilibus ſuis, à ciuitate Placentina

noſtris

noſtris rebellibus diſcedēdo, ad noſtra ſeruitia uenerit moraturus: & in eiſdem ſeruitijs noſtris cum dilecto filio noſtro H. Illuſtri rege Sardiniæ, ſacri Imperij generali legato, hactenus ſteterit equis & armis munitus, fideliter & deuotè ad ſuæ uitæ ſuſtentationem, cum alijs ſtipēdiarijs noſtris ipſum recipi de noſtrę benignitatis gratia mandaremus: nos ita ipſius Iac. ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus, ſi memoratus Iacob. fidelis noſter armis & equis ad te munitus uenerit, condecenter ipſum inter alios ſtipendiarios milites, qui tecum in noſtris ſeruitijs commorantur, recipere non poſtponas: prouiſurus eidem in ſtipendijs ſicut alijs ſtipendiarijs ſuprà dictis per te prouidebitur, de mandato noſtræ Celſitudinis ſpeciali.

Vt moneantur Piſani quod deſiſtant à moleſtijs regnicolarum. Cap. XXXIII.

PRoceſſus Piſanorum intollerabiles & enormes, qui fideles noſtros regnicolas ſecuritatis noſtræ literas deferentes, in regno grauiter perſequuntur, prout nuper per literas Con. de N. iuſticiarij in Sicilia, cītra flumen Farum, fidelis noſtri, culmini noſtro tranſmiſſas accepimus: fidelitati tuæ præuidimus referendos: ut per te in regio-

De cauſa appellationis ſuperiori committenda, ſu per criminalibus interiectæ. Cap. XXVII.

CAuſa appellationis à ſententia condemnationis, latã per B. de N. tũc Poteſtatem ciuitatis, contra T. Rubeum de eadem terra, ſuper 50. libris à Pãdulpho de Faſanellis proditore noſtro, olim in Thuſcia de mandato noſtro uicario generali, prout aſſeritur, legitimè interiectã, ſuper eo quòd Theodericus Rubeus prædictus per B. de N. coram eodem Poteſtate extiterat accuſatus, quòd eundem B. percuſſerat cum cultello, fidelitati tuæ duximus committendam mandantes: quatenus totius proceſſus & ſententiæ latæ tenore diligenter inſpecto uel perpenſo, partibus etiam in tua præſentia conuocatis, & qui de iure fuerint euocandi, ſi præfatum Poteſtatem ordine iudiciario, & non ex officio tibi ſuper præmiſsis conſtiterit proceſsiſſe ad confirmationem uel infirmationem ipſius proceſſus & condemnationis ſententiæ, prout fuerit de iure procedas. Deinde facias, quod iuri & honori noſtro uideris utiliùs & honeſtiùs expediri.

Mandat ut prouideat ſuper interclusa petitione. Caput XXVIII.

PEtitionẽ G. de N. fidelis noſtri, nuper noſtro culmini pręſentatam tibi tranſmittimus,

mittimus,præſentibus interclusam: fidelitati tuæ mandantes, quatenus ipſius petitionis tenore diligẽter inſpecto,& pleniùs comprehenſo, inde facias quod iuri & honori noſtro uideris utiliùs & honeſtiùs expedire.

Reſponſalis Friderici,cum commendatione ſolicitudinis. *Caput* XXIX.

Affectione ſolita recepit Excellentia noſtra literas quas miſiſti,& quę continebantur in eis pleno collegimus intellectu. Super eo uerò quòd paratos habere ſcripſiſti ſeruientes, pro ſeruitijs noſtris in Sardinia profecturos, induſtriæ tuæ ſtudiũ plurimum cõmendamus, noſtrę tibi proinde plenitudinem gratiæ promittentes.

Item reſponſalis ad illud. Cap. XXX.

Solita benignitate recepit noſtra Serenitas literas, quas noſtro culmini deſtinaſti, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Ad id autem quod de ſancto R. de N. ciuis fidelis noſtri, noſtræ Celſitudini intimaſti eundem R. ad pręſens in regione Ferrarienſi Rauennæ exiſtentium fidelium noſtrorũ,nec non in ſeruitijs noſtris in partibus Romangiæ utilem exiſtere,æſtimantes : & ideo ſupplicaſti ut ad relationem ipſius & ſui ſoceri, qui in regno de

nunciorum ipſorum propoſitione noteſce ret, cauſam ipſam noléres dare diffugio, in eorum nunciorum conſpectibus præſentato, quã iuris ordo depoſceret, eis pro parte tua facere iuſticiam obtulerunt: nec pacientes, quòd per eorum incuriam uel per eiuſdem maliciam negocium ipſum ulterius differatur, ſibi firmiter & expreſsè mandarunt, ut eiſdem tuis nuncijs ſociatus, de terra prædicta diſcederet ad te, cum rebus ablatis omnibus rediturus. Qui dum ad te ſub nunciorum tuorum cuſtodia rediens, ad caſtrum quod Marſanum dicitur deueniſſet à præfatis nũcijs tuis res omnes quas ſecum ferebat reſtituere uioléter impulſus fuerit, mortisq; ſibi fortè metuens immine re periculum, ab eorum oculis repentinus aufugit, & Romã ſe dicitur contuliſſe. Propter quod, licet friuolam occaſionem aſſumens, de bonis ipſorum Tudertinorum repræſalias te uelle facere comminaris, in eorum præiudicium manifeſtum: nos auté ipſorum ſupplicationib. inclinati, fidelitati tuę pręcipimus, quatenus ſi pręmiſſa ueritate nitatur occaſione prædicta, de bonis Tudertinorum ipſorum, ſine ſpecialis Celſitudinis noſtræ mandato, repræſalias aliquas facere nõ præſumas: ſed ſi quid iuris te contra ipſos habere contendis, illud (prout rationis & moris eſt in ſimilibus) per noſtram

Curiam

Curiam obſeruatum, recepto priùs hoc oraculo Maieſtatis noſtræ proſequaris.

Quod reſtituatur pecunia mutuata. Cap. XXV.

IN noſtrę Maieſtatis pręſentia cõſtitutus R. de N. fidelis noſter, corã nobis expoſuit cõquerendo, quod B. & H. de N. ſibi ex cauſa mutui in quadam ſumma pecuniæ teneãtur aſtricti: eã ut renẽtur & debẽt ſibi ſoluere cõtradicunt, ut aſſerit, in ipſius pręiudicium & grauamen. Vnde cum præfato R. & cuiq; noſtro fideli in ſuo iure adeſſe uelimus, fidelitati tuæ præcipimus & mandamus, quatenus coram te partibus conuocatis, & qui de iure erũt euocandi, cauſam ipſam audias & decidas iuſticia mediante: ut pro iuſticiæ defectu, neutri partium iuſta ſuperſit materia conquerendi.

Contra illos qui turbant aliquem in ſua poſſeßione. *Caput* XXVI.

QVerelam C. de N. fidelis noſtri, noſtra nuper Serenitas intellexit, quod G. & F. de N. quaſdam poſſeſsiones & domos ſuas, ſitas in N. ad eum de iure ſpectantes, per uiolentiam & iniuſtè detinent occupatas: & ipſas, ut iuſtum eſt ſibi dimittere ac reſtituere contradicũt, in ipſius graue præiudiciũ & non modicam lęſioné. Vnde fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus etc, ut ſuprà in alia uſque in finem.

De

regione ipſa, præſente conſilio ciuitatis Piſanorum, noſtris fidelibus, debeant explicari. Propter quod fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus inſolentias in dictis literis comprehenſas, illatas noſtris fidelibus ut eſt dictum, in conſilio prædicto proponens, ex parte culminis noſtri requiras Poteſtatem & Conſilium ciuitatis prædictæ, quòd Piſanos nauigantes ſic de cætero ſtudeant cohibere: quod contra regnicolas in regno uel alibi aliquatenus de cętero non inſurgát: nec eis in perſonis aut rebus moleſtias inferre præſumant. Si enim Piſani prędicti (quod non credimus) ab eorum inſolentijs non ceſſarent, Maieſtatem noſtram non deceret eorum exceſſus ulteriùs tolerare.

Concluſio ſuper proceſſu ad Curiam deſtinando, in cauſa appellationis, ſuper terminali condemnatione, facta negocij narratione. Cap. XXXIIII.

SVpplicauit Excellentiæ noſtræ Saulus de N. fidelis noſter. Nos autem ipſius ſupplicationib. benigniùs inclinati, fidelitati tuæ mandamus, quatenus ſi præmiſſis ueritas ſuffragatur, & cauſa ipſa iudiciario ordine cognita extitit, & ſententialiter terminata, proceſſum & formam condemnationis eiuſdem ſub tui ſigilli impreſsione noſtræ Curiæ ſtudeas deſtinare: eidem

Poteſtati

Poteſtati nihilominus pro parte noſtræ Celſitudinis prçcepturus, ut ſimiliter totum proceſſum condemnationis eiuſdem habitum coram eo ad noſtrã Curiam ſub ſuo ſigillo deſtinare procuret: ut in ipſa cauſa per iudices magnæ noſtræ Curiæ, de proceſſu prçdicto edoctos, procedatur, ſicut iuri & honori noſtri culminis uidebitur expedire: prçcepto per te facto eidem Poteſtati & Communi de ſyndico ipſorũ, ad noſtram Curiam deſtinando: præterea & S. prædicto peremptorio termino aſſignato, quo ſe noſtrę Curię repræſentent, in cauſa eadem prout conuenit proceſſuros, iuſticia mediante. Volumus inſuper, ut de die citationis & termino ſtatuendo, tuis literis debeas noſtram Curiam edocere.

De ſalarijs Poteſtatum, in approbata forma. *Cap.* XXXV.

PRo parte uniuerſitatis Caſtri de N. fidelium noſtrorum, nuper Celſitudini noſtrę fuit oblata querela: quod cum ipſi antiquitùs eorum Poteſtatibus certam & congruam pecuniæ quantitatem pro ſalario, & non ultra, ſecundum formam Caſtri eiuſdem ſtatuti conſueuerint exhibere: dubitantes ne in futurum per alios Poteſtates maiorem compellãtur ſoluere pe-

Q cunię

cuniæ quantitatem: Maieſt. noſtrę pro parte ipſorum extitit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem fidelibus ſuper hoc ad futuram cautelam ipſorum, dignaremur miſericorditer prouidere. Nos itaq; ipſorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus Poteſtates eorum, ibidem de cætero per noſtram Curiam deſtinandos, uel ſtatuendos, illa ſalarij quantitate facias eſſe contentos, quam Poteſtati eorum ipſos tibi conſtiterit exoluiſſe eo anno, quo de Lombardiæ partibus redeuntes per Thuſciam tranſiuimus, & Pandulphum de Faſanellis, proditorem noſtrum, uicarium Imperij in Thuſcia duximus ordinandum: uel eo anno quo terra ipſa ad noſtram fidelitatem noſcitur deueniſſe.

Alia forma ſuper eodem negocio, Poteſtati terræ. *Cap.* XXXVI.

PRo parte Communis Caſtri N. fidelium noſtrorum, cum querela fuit nuper expoſitum coram nobis: quòd tu Poteſtas eiuſdem Caſtri, non contentus ſalario, quod ipſi cæteris Poteſtatib. eorum ſolitum dabant, & dare debebant, compellis eos maius tibi ſalarium exhibere. Quocirca fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus dictos fideles noſtros, ad maius

tibi

tibi ſalarium exhibendum,contra formã ſtatuti ipſorum ſoliti,non compellas. Nolumus etenim, fideles noſtros indebitis grauaminibus affici, & inſolitis moleſtijs aggrauari.

De ſecuro conductu ſine termino & conditionibus. Cap. XXXVII.

VNiuerſis præſentes literas inſpecturis &c. Cum magiſtrum G. delatorẽ præſentium notabilem Capellanum, fidelem noſtrum, ad Ludouicum illuſtrem regem Francorum, dilectum amicum noſtrũ cum quibuſdam magnis & arduis Excellẽtiæ noſtræ negocijs exequendis tranſmittamus, ad præſens: fidelitati ueſtræ præcipiẽdo mandamus: quatenus eundem magiſtrum G. cum equitaturis, ſcuterijs, & rebus ſuis ſine alicuius pedagij exactione ire, ſtare & ad Curiam noſtram redire ſecurè & liberè permittatis: eidem in ſecuro conductu cum expedierit, & ab eo fueritis requiſiti, prouiſuri, ob noſtræ Maieſtatis reuerentiam.

Quod prouideatur cuidam preſbytero de uacantibus prouentibus. Cap. XXXVIII.

AD noſtræ Maieſt. præſentiã accedẽs A. de N. fidelis noſter, noſtro culmini humiliter ſupplicauit, ut ipſe in quadã eccle. de N. ad honorẽ & fidelitatẽ noſtrã fi

deliter commoretur,deditus & intentus diuinis ſeruitijs exequendis: & alij clerici qui ſecum in ipſa eccleſia reſidebant, tanquám infideles Peruſini acceſſerint, & cũ ipſis rebellib. noſtris iugiter cõuerſentur: ac ipſius eccleſiæ & aliarum eccleſiarũ uacantium eiuſdem Caſtri prouentus,ex cõceſſione noſtra ad Commune Caſtri eiuſdem deuenerint,annuatim ſibi pro ſuæ uitæ ſuſtentatione,diuino intuitu prouidere miſericorditer dignaremur.Nos itaque ipſius poſtulationibus benignius inclinati,fidelitati tuæ pręcipiendo mandamus, quatenus ſi eſt ita, memorato presbytero A.ab uniuerſitate dicti loci, de bonis & ꝓuentibus eiuſdem eccleſiæ,in qua ſe aſſerit reſidere,facias in neceſſarijs prouideri: prout honori noſtri culminis, & qualitati negocij uideris expedire.

Daciç.i.uectigalia.

Quod daciæ uel collectæ non auferantur ab his, qui in ſeruitio Curiæ commorantur. Caput XXXIX.

AD Maieſt.noſtræ pręſentiam Arnoldus ciuis Landẽſis,fidelis noſter,accedens,expoſuit conquerendo:quòd cum ipſe de Celſ.noſtræ mandato in noſtris ſeruitijs moraretur,& adhuc fideliter &deuotè moretur, per quendam Poteſtatem ciuita-

uitatis illius prędeceſſorem tuum, & eiuſdem Communis officiales, bona ſua omnia ſunt extimata, & eius data creditorib. ĩn ſolutum, in ipſius grauamen & non mo dicam læſionem. Cumq; idem Arnoldus fidelis noſter, Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicauit ſibi in prędictis ſecundum iuſticiam prouideri: nos attendentes, quod his qui de mandato noſtro in noſtris ſeruitijs commorantur, & cauſa Reipubl. ſunt abſentes, ſupplicationibus ipſius benigni us inclinati, fidelitati tuę pręcipiendo mã damus: quatenus, ſi tibi conſtiterit, quod idem Arnoldus, cum ad ſeruitium noſtrũ uenit, procuratorem aliquem generalem non dimiſit ad negocia, uel ſpecialem ad iſtud, non permittas familiam ſuam à ſuis creditoribus moleſtari: ſed bona ſua hac occaſione, per aliquam occupari, quouſq; in ſeruitijs noſtris commorãs, ad propria reuertatur: ſi debita ipſa noueris antequã ad noſtrum ſeruitium uenerit cõtraxiſſe: reuocando in irritum quicquid per Poteſtatem ipſum & officiciales prædictos, cõ tra ipſum, familiam ſuam, & bona ſua inue neris attentatum, poſtquam idem A. uenit in noſtris ſeruitijs moraturus.

Quod hi qui in ſeruitio Curiæ commorantur, in familia ſeu rebus ſuis nullatenus moleſtentur. Cap. XL.

EXpoſuit Excellentiæ noſtrę B. de N. fidelis noſter, quod cum ipſe in noſtris ſeruitijs de mandato noſtro moraretur, uos Poteſtas, & conſilium eiuſdem loci, domum & familiam indebitis collectis & exactionib. aggrauatis. Quare Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicauit, ut ſibi ſuper hoc prouidere de noſtræ benignitatis gratia dignaremur. Cuius ſupplicationibus benigniùs inclinati attendentes quòd hi, qui in noſtris ſeruitijs commorantur, cauſa reipub. ſint abſentes, fidelitati tuæ præcipiendo mãdamus: quatenus quam diu idem fidelis in noſtris ſeruitijs extiterit, domum & familiam ſuam collectis, & exactionibus debitis non grauetis: facientes ei nihilominus emendari, ſi qua ſunt ab eo, uel familia ſua propterea iam ablata.

Capitaneo, ut fiat inquiſitio de quodam qui dicitur fidelis, capto inermi inter infideles. Cap. XLI.

PRo parte uniuerſitatis ciuitatis Aretinæ, fideliũ noſtrorũ, nuper noſtrę fuit Excellent. ſupplicatum: quòd cùm R. ipſius ciuitatis ciuis, in exercitu Peruſinorum noſtrorum rebelliũ, contra fideles noſtros Fulginates temerariè cõgregato, inermis

captus

captus extiterit,& per te poſtmodum carceris uinculis deputatus:eũdem R. taliter captum ad ipſorum Aretinorum deuotionem,quam erga noſtræ Celſ. incrementũ geſſerunt hactenus, & inceſſanter gerunt fideliter & deuotè,liberare ab ipſo carcere de noſtra gratia dignaremur. Propter qđ ipſius communis ſupplicationib. benignius inclinati,& ipſorum noſtrorum fideliũ attendentes deuotionem ſynceram & ſeruitia gratioſa , fidelitati tuæ mandamus: quatenus de captione ipſius R. uidelicet, qualiter & ubi captus extitit, & ſi tunc erat inermis,ut dictum eſt diligenter inquiras:& quicquid inde inueneris noſtræ Curiæ reſcripturus:ut per te certificati , circa hoc Celſitudo noſtra procedat, ſicut fuerit procedendum.

Eidem contra eum,qui ſeruitijs Curiæ infeſtum ſe exhibet & moleſtum. Cap. XLII.

QVia noſtrę innotuit Maieſt. qđ Io. de urbe ueniens , moraturus in noſtris ſeruitijs , contrarius extitit plurimũ & infeſtus:fidelitati tuæ præcipiendo mãdamus,quatenus ſi tibi conſtiterit de prędictis,memoratum Ioh.uti pace & trãquillitate noſtra aliquatenus, non permittas: niſi propter hoc in prouincia publicũ ſcandalum,ex quo ſeruitijs noſtris diſpendiũ inferatur,poſſet oriri.

Concluſio ſuper inquiſitione facienda de cōditione potentum. Cap. XLIII.

SVpplicarunt Excellentię noſtrę fideles noſtri &c. Tuę igitur fidelitati pręcipiendo mandamus, quatenus de conditione potentum, quantitate prouentuum petitorum, & quicquid inde Curię noſtrę expediat, per inquiſitionem à te diligentiſſimè faciendam, plenè conſcientiam noſtræ inſtruas Maieſtatis.

Cuidam Communitati, ut credant nuncijs ſuper quod dat eis arbitrium de ſuo regimine. Cap. XLIIII.

CVm ad ſalubrem ſtatum noſtrum, & qualitatem negociorum inſtantiū, habendo reſpectum pro regimine ueſtro, noſtrę prouidentiæ committendo, C. de urbe & iudicem R. de N. fideles noſtros ad uos ſpeciales nuncios deſtinemus: fidelitati ueſtræ mandamus, quatenus quæ idem nuncij noſtri ſuper his oretenus uobis ex parte noſtri culminis retulerint, tanquam ab ore noſtro prolata, firmiter credere, & efficaciter adimplere curetis; ut deuotionem ueſtram proinde meritò commendemus.

Vt

Vt reſtituatur poſſeſsio deſtituto, in ſeruitijs Curiæ conmoranti. Cap. XLV.

COnquerente Io. de N. fideli noſtro, noſtra Serenitas intellexit, quòd cùm ipſe pacificè & quietè teneret, in territorio Caſtri de N. quaſdam ſuas poſſeſſiones, ad eum rationabiliter pertinentes: Lud. de N. mulier deſtituit eum abſentem & in noſtris ſeruitijs; ſicut aſſerit, exiſtentem, poſſeſsionibus antedictis, iuris ordine non ſeruato. Super quo cum ſupplicauerit, ſibi per noſtram Excellentiam ſecundum iuſticiam ſubueniri: ipſius ſupplicationibus, uelut iuſticiam continentibus inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus ſi tibi conſtiterit ita eſſe, poſſeſſiones ipſas, à muliere præfata, prædicto fideli noſtro reſtitui facias, ut eſt iuſtum, ne iuſtam ſuper hoc cauſam habeat conquerendi.

Capitaneo, de proceſſu mittendo et de citatione facienda. Caput XLVI.

PRo parte uniuerſitatis Ceſenę, noſtrorum fidelium, noſtrę fuit Celſitudini nuper oblata querela: quòd cùm per te ipſum, G. fidelis noſter extiterit in ipſorum Poteſtatem electus, deinde eodem G. amoto, alium eidem in eiuſdem Poteſtariæ officio duxeris ſubrogandum, prædicto G.

primo electo,pro rato temporis quo in eadem officio ſteterat ſalario per ipſos, ſicut dicunt,integrè perſoluto: tu ad ipſius G. poſtulationem,iuris ordine non ſeruato, Poteſtati & ambaſiatoribus ciuitatis illius mandaſti,ut eidem G.de toto ſalario, ipſi per totum annum primo ſtatuto,ſatisfactionem integram facere nō poſtponát. Aſſeritur etiam coram nobis per eoſdem, quod per literas tuas Thomæ de Mar.&c. ſacri Imperij in Romangia uicario generali,dudum dediſti firmiter in mandatis, ꝑ G.ſuperiùs nominato,quod mandatum ipſum executioni debeat demandare,in eorum graue præiudicium,& grauamen: ex eo quod reſiduum ſalarium anni præfati, alteri ſubrogato, per ipſos extitit integrè perſolutum. Verùm cùm pro parte ipſius ciuitatis, in noſtræ Maieſtatis præſentia proponatur,ſe ſuper eiſdem grauaminib. à prædicto mandato tuo,ad noſtram audientiam appellaſſe:deuotioni tuæ præcipiendo mandamus:quatenus, ſi præmiſſis ueritas ſuffragatur,proceſſum totum corā te habitum de prædictis,ſub tui impreſſione ſigilli,noſtræ Curiæ debeas deſtinare: eidem Thomę nihilominus mandaturus, ut alium proceſſum quæſtionis eiuſdem, coram ipſo habitum,ſi apud te non fuerit, per eum uidelicet ad tuam audientiā deſtinatum,

natum,ſimiliter certo præfixo termino,ad noſtram Curiam deſtinare procuret: utrique parti per te ipſum certo pręfixo termĩno,quo ſub peremptorio,ſe noſtræ Curiæ repræſentent, in cauſa eadem proceſſuri, prout poſtulat ordo iuris.Volumus etiam ut de die citationis & termino præfigendo,tuis literis Curiam noſtram debeas edocere: & quod appellatione pendente, contra ipſam communitatem nullam facias uel fieri permittas quomodolibet nouitatem:cum appellationependente nihil debeat innouari.

Mandat cuidam ut doceat quid expediat de liberatione quorundam. Cap. .XLVII.

PEtrus & Iohãnes de N. fideles noſtri ad noſtram præſentiam ueniẽtes,nobis humiliter ſupplicarunt: ut cum ipſorũ filij,de Celſ.noſtræ mandato carcere teneantur,& Excel.noſtrę offerãt alios eorũ filios,pro obſidib.ſe daturos promittentib. ipſis ꝑſonaliter nihilominꝰ ſecũdario,noſtro culmini fideiuſſoriã cautionẽ exhibere uolẽtes,ſe de noſtra Curia nullatenꝰ diſceſſuros, niſi de mãdato noſtro ꝓcederet ſpeciali,dignaremur p̄dictos eorũ filios à dicto carcere liberare. Vnde cũ ꝓ parte ipſorũ ſuꝑ his plenius certificari uelimus,inſtãs negocium ad te duximus remittendum:tuę deuotioni mandantes,quatenus peten-

petentium ipſorum & rei qualitate dilige̅ter inſpecta, quid exinde noſtræ expediat Maieſtati, cautiùs tuis literis noſtram debeas Excellentiam edocere.

Concedit licentiam quibuſdam mercatoribus, faciendi præſalias contra rebelles, qui eos diſrobauerunt. Caput XLVIII.

Diſrobare, id eſt, ſpoliare.

VNiuerſis &c. Fidelitati ueſtræ notũ facimus, per præſentes, quod B. & M. mercatores de N. fideles noſtri, ad noſtræ Celſitudinis præſentiam uenientes, Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicarunt: ut quia dum ipſi quandam nauim, cum eorum mercibus & rebus alijs ualentib. uncias auri centum & plus, Venetias deſtinarent, rebelles noſtri Anconitani, nauim ipſam hoſtiliter inuadentes, ceperunt eam cum mercibus antedictis: capiendis de bonis ipſorum, quouſque de damno ipſo reſarciantur ad plenum, de noſtra gratia concedere licentiam dignaremur. Nos igitur ſupplicationibus iſtorum benigniùs inclinati, cum eiſdem fidelibus noſtris damna paſſis deeſſe nolumus, dedimus eis licentiam ac plenariã poteſtatẽ: ut quãdiu dicti Anconitani in rebellione noſtra pſtiterint, ubiq; per mare & terrã de bonis eorum capiant, quæ non ſunt ad opus Curiæ noſtræ capta uel etiam annotata: ut eorũ, quib. ſecuri-

curitatis noſtræ literas duximus concedē das,quouſq; eis in ualore unciarũ auri centum, & illatorũ damnorũ,ſuperiùs prędictorũ noſtrorum rebelliũ, pleniùs ſatisfaciat.Quare uniuerſitati ueſtræ præcipiendo mandamus,quatenus ſuper capiendis bonis Anconitanorum,prædictorũ noſtrorũ rebellium,nullus eos impediat, uel moleſtet:imò ob reuerentiam culminis noſtri aſſiſtatis eis ſuper præmiſſis auxilio,conſilio,& fauore:dum tamen ad ea quæ ad opus Curiæ noſtræ capta,uel annotata ſint, ſeu ad eos quibus ſecuritatis noſtrę literę, per noſtram Excellentiam ſunt indultæ, manus aliquatenus non extendant.

Concedit literas ſecuritatis quibuſdam mercatoribus,ſub certis conditionibus. Cap. XLIX.

VNiuerſis &c.Notum facimus fidelitati ueſtræ,quod nos P.& R.ciuibus & mercatoribus Tudertinis,latores præſentium,fidelibus noſtris,licentiam & ſecuritatem duximus concedendam & per Imperium,& regnum noſtrum ire, morari, & redire ualeant, cum mercimonijs & rebus eorum ſalubriter & ſecurè,ſaluo iure & conductu Curiæ noſtræ, tam in Imperio, quàm in regno, quæ ab eis integrè perſoluantur. Quocirca fidelitati tuæ præcipien-

cipiendo mandamus, quatenus eoſdem P. & R. fideles noſtros, cum tribus equitaturis & duobus ſcuterijs mercimonijs,& rebus eorum eundo morando & redeundo ſecurè tranſire & liberè permittatis: nullam eis in perſonis uel rebus moleſtiam inferentes,ſeu ab alijs facientes inferri.dum tamen attētiùs caueatur,quod papales literas, uel alicuius de Romana Curia non apportent: de regno prohibita non extrahant: licitè extracta ad infideles non deferant: & nihilominus cum eis non diſtrahant uel mercentur, nil machinentur publicè uel occultè,in læſionem noſtri nominis uel honoris:ad infidelium terras nō diuertant, nil eis ferant uel referant uerbo uel literis: nec aliquem in eorum ſocietatem ſcienter admittant,ferentem, uel referentem aliquid noſtræ contrarium Maieſtati.

Concedit nobili mulieri tutrici filiorum quòd poſſit conſtituere procuratorem in cauſa ſua.

Cap. L.

IMperialis beneuolentia cum fidelium ſubiectorum, & nobilium maximè preces admittit, & ſuum extollit ſolium,& ad ſeruiendum deuotos animat inceſſánter. Hinc eſt quod nobilis uir. A. de etc. fidelis noſter,pro filia ſua Iſabella, relicta quondā

Iacobi

Iacobi incōtrati nutrice filiorum ſuorum, & Iacobi ſuprà dicti, Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicauit: ut de innata gratia & poteſtate nobis Imperij diuinitùs impertita, iuris ciuilis rigorem, qui non aliter ſanxit inchoata exerceri certamina, niſi quod iudicio inchoato, ipſæ principales perſonę calumniæ ſubeant iuramentum uel iuſiurandum: rigorem etiam indicentem, ne per tutores uel curatores, ante cœptum iudicium poſsint procuratores conſtitui, ſed actores, miſericorditer temperantes: eidem filiæ ſuæ, fideli noſtræ, tutrici filiorum ſuorum, ad proſequendas lites, & explicanda negocia pupillorum in iudicijs, & extra iudicia per procuratores, ab ipſa tutrice ſtatutos uel ſtatuendos, pro quibus cautionem exponet legitimam, & quod ipſi procuratores in cauſis ipſis ſacramenta præſtent calumnię, prædictos iuris rigores, per noſtram Excellentiam relaxari, tam piè quàm miſericorditer mādaremus. Nos aūt attendentes grata ſatis & accepta ſeruitia quæ dictus A. & anteceſſores ſui, nobis & Imperio noſtro exhibuerunt hactenus, & exhibent inceſſanter, & in antea de bono in melius exhibere poterit gratiora: conſiderantes etiam nobilitatem mulieris præfatę, quòd uirorum cœtibus pro exequēdis negocijs pupillorū, ſe honeſtè nequeat immiſcere:

miſcere: & ne fœminæ proſequendæ litis obtentu, in matronalis pudoris contumeliam irruant, ſi cogantur maſculorum conuentibus uel iudicijs intereſſe: cum & legem meminerimus æditam, quæ propter pudorem & uerecundiam fœminarum, eas non ſinit teſtibus uel cœtui publico demonſtrari, ſed per procuratores idoneos, Imperialem poſſint adire clementiam, ad ætatis ueniam impetrandam. His & alijs iuſtis & honeſtis rationibus inclinati benigniùs, dicti fidelis noſtri ſupplicationes admiſimus, eidem Iſabellæ filiæ ſuæ de ſpeciali gratia concedentes, ut cauſas & lites pupillorum ſuorum in iudicio, & extra iudicium, dum tempus tutelæ durauerit per procuratores ab ea ſtatutos uel ſtatuendos, ac ſi etiam ipſa tutrix hoc faceret, ualeat exercere. Eiſdem etiam procuratoribus indulgemus, ut in litibus in iudicijs exercendis ipſi procuratores ſacramenta calumniæ præbeant: cum pro negocijs pupillorũ ſe caſus ingeſſerit opportunus, obiectione ꝗ principales perſonæ nõ fuerint uel lege aliqua, nõ obſtante. Statutis etiã ciuitatis Senarũ, ceſſantib. in hac parte, & ſpecialiter lege, quę à principalib. pſonis exigit calũniæ iuramentũ, & quę etiã à tutorib. & curatorib. procuratorẽ prohibet ſtatuendum: dum tamẽ pro ipſis procurato-

curatoribus caueatur, firmum fore ac ualidum quod duxerint agitandum: ne iudicia ſint ludibria, uel authoritate noſtra ſe doleant circumuentos, qui cum talibus contraxerunt.

De conductu extra communem formam. Cap. LI.

VNiuerſis præſentes etc. Cum Adam de etc. fidelem noſtrum, & nuncium cum O. de etc. qui ad Curiam noſtram pro parte eiuſdem D. uenit, & nunc reuertitur ad eundem, pro noſtris ſeruitijs tranſmittamus: amicitiam ueſtram requirimus, & fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus memoratos A. & O. cum duob. equis & ſcutiferis, ac rebus quas ſecum portant, & habent, permittatis trāſire liberè: & eundem A. exinde ad Curiam noſtram redire ſalubriter & ſecurè, in ſecuro cōductu, quotiens expedierit, & ab eis uel eorum altero fueritis requiſiti: eiſdem ob noſtrę reuerentiam Maieſtatis ſalubriter prouiſuri.

Reſpondet cuidam nobili, & commendat proceſſum ipſius. Cap. LII.

BEnignè recepit Excellentia noſtra literas, quas noſtro culmini deſtinaſti, & quę cōtinebantur in eis intelleximus diligenter. Quod autē te noſtris ſeruitijs & beneplacitis, per tuas literas expoſuiſti fideliter & deuotè: atq; ſemper hactenus per

fidei complementum, ob noſtræ reuerentiam Maieſtatis permāſiſti ſolicitus & intentus: tuam exinde deuotionē & motum, duximus meritò cōmendādos, mandātes: quatenus de cętero, iuxta ſolitum circa noſtra ſeruitia, tam fideliter quàm laudabiliter perſeueres: ut ipſa operum efficacia ſucceſsiua, noſtræ Celſitudini tę commendabilem repræſentet.

Capitaneo, ut quaſdam ſuas literas mittat ad alias partes. Cap. LIII.

CVm pro quibuſdā Maieſtatis noſtræ ſeruitijs, quinq; paria literarū noſtrorum, quibuſdam Ianuenſib. Saonæ cōmorantibus, noſtris fidelibus, & eaſdem ad te per tuum nuncium deferendas, eiſdem Ianuenſib. deſtinemus: tuæ deuotioni mandamus, quatenus ſtatim receptis præſentibus, præfatas literas eiſdem fidelib. noſtris, per uelocem & idoneum nuncium tuum tranſmittere non omittas: taliter cū effectu procurās, quod eædē literæ ad manus ipſorum perueniāt, qualibet mora & occaſione emotis.

Eidem, ut citentur ad Curiam, qui iniuſtè Caſtrum occupauerant aliorum. Cap. LIIII.

PRo parte O. & D. noſtrorum fidelium, noſtro fuit culmini nuper oblata querela: quòd cum ipſi ab A. fratre eorum, qui nuper

nuper deceſsit,& cui de iure ſuccedunt immediatè,Caſtrum de N. per longa tempora tenuiſſent, & poſſediſſent pacificè & quietè:S. de N.P.& F. de N. fideles noſtri, fracta pace &ſecuritate noſtra,Caſtrum ipſum hoſtiliter obſidentes,illud ceperunt,& ad præſens detinent,in ipſorum fratrum manifeſtum præiudicium occupatum. Quod quidem Caſtrum,uſque ad diem captionis ipſius,ſicut pro parte ipſorum fratrum expoſitum extitit,coram nobis præfati conquerentes,ſine contentione aliqua poſſederũt. Cum igitur idem fratres uelint memoratos S. P. & F. de prædictis in magna noſtra Curia conuenire:fidelitati tuæ præcipiendo mandamus,quatenus S. P. & fratres,ex parte Celſitudinis noſtrę,ſub peremptorio termino citare procures:ut 20.die poſt citationem tuam,in magna noſtra Curia debeant comparere, memoratis conquerentib. ſuper prædictis in iudicio reſponſuri: eundem terminum conquerentibus ipſis, ut cauſam proſecuturi prædictam contra eos compareant, præfixurus : nec non & diem citationis tuæ, formam præſentium,& coram quibus eos citaueris, tuis literis tuo ſigillo munitis,noſtrę Curiæ reſcripturus.

Eidem, de captiuis liberandis, iuxta priorum continentiam literarum. Cap. LV.

THomaſius de Sabaudia comes, dilectus affinis & fidelis noſter, ſuis literis noſtræ expoſuit Maieſtati, quod licet apud Thaurinũ, ad ipſius ſupplicationem tibi dederimus in mandatis, ut quoſdam captiuos, quos ad ſe pertinere nunc aſſerit, deberes à carceris uinculo liberare: tu poſt modum plures alios captiuos, de quibus Maieſtatis noſtræ mandatum ſimile recepiſti, & pro quorũ liberatione ipſe Comes nullatenus ſupplicauit, à carcere liberando ipſos, pro quibus noſtræ Celſitudini ſupplicauit, liberari (prout ipſe deſcripſit) penitùs omiſiſti. Ob quorum liberationẽ quia Comes præfatus, nuper Serenitati noſtræ humiliter ſupplicauit: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus (ſi eſt ita) iuxta formam prioris mãdati noſtri, eoſdem captiuos, à nexibus carceris abſoluere non omittas.

Poteſtati Piſanorum, ut cogat quendam ad reſtitutionem depoſiti muli. Cap. LVI.

IN noſtræ Maieſtatis præſentia, B. de N. ualletus noſtræ Cameræ, fidelis noſter, conſtitutus expoſuit, quod dudum nobis de partibus Lombardiæ in Thuſciam uenentibus apud V. ciuem Piſanum, quendã

Valletus, id eſt, famulus, miniſter.

ſuum

ſuum mulum infirmum (ut dicit) curādum dimiſit. Vnde cùm ad præſens, pro eodem mulo ad ſe in regnum reducendo, idem B. latorem pręſentium ſuum tranſmittit nuncium ſpecialem: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus memoratum V. ad reſtituendum prędictum mulum, & aſsignandum predicto nuncio, pro parte & nomine B. præfati, qua conuenit cohertione compellas.

Capitaneo, ut nunciet quid ſit faciendum ſuper excontro quorundam obſidum. Cap. LVII

Excontrum cum obſes obſidis recedentis loco datur.

SVpplicârunt Excellentiæ noſtræ fideles noſtri, etc. obſides de monte Flaſcone, de mandato noſtro apud Capuam commorantes; ut cum uelint pro ſe ipſis excontrum perſonarum condecens exhibere, uidelicet fratrem pro fratre, patrem pro filio, uel filium pro patre, nepotem pro patruo, uel patruum pro nepote: licentiam eis taliter excontrandi, de noſtra gratia concedere dignaremur. Quorum ſupplicationibus benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus per Commune Caſtri præfati, plenè certificari ſtudeas, de nominibus & qualitatibus eorum, qui excontrari petunt, & eorum quos modo prædicto pro eorum excontro dare intendunt: ſtudium diligēs habiturus, de inquirēda certitudine ueritatis, utrum, ſicut

prædictum eſt, frater pro fratre, ac reliqui ſufficientes & idonei tribuantur. ut ex eis uidelicet qui pro excontro offerũtur, æquè ſicut pro alijs qui excõtrari debent, ſecurè noſtrę Curię caueatur: ac per literas tuas de nominib. & qualitatibus oĩm prædictorũ, & ſi per eos q dãdi ſunt, noſtrę Curiæ æquè ſit cautũ, noſtrã fideliter inſtruas Maieſtatẽ.

Capitaneo, commendans eum quod cepit quendam rebellem. *Caput* LVIII.

DEuotionis tuæ literas, quas per P. de N. nunciũ tuum, noſtro culmini deſtinaſti, benignitate recepimus cõſueta: & intellectis diligẽter tam his, quæ eædẽ literæ cõtinebãt, quã his quę idẽ nũcius tuus, pro parte tua, noſtræ expoſuit Maieſtati: laudabile ſtudiũ tuũ, & ſolicitudinẽ condecentẽ, quę circa captionẽ M. de Burgo: qui pro anno præſenti in Parma Poteſtas extitit, per noſtrã Excel. ordinatus: appoſuiſti, meritò cõmendantes, tibi duximus taliter reſpondendum: Quod M. memoratus, cum uno familiari ſuo N. nomine, per noſtram Celſit. eſt in Mareſtalla noſtra receptus, de noſtræ Celſit. mãdato: quẽ ſuprà ſcriptus P. nũcius tuus, cum cõpedib. ferreis, & dextra in manu aſsignauit eidẽ P. nuncio tuo aſſerente, alium familiarẽ eiuſdẽ M. nomine G. quem cum eodẽ M. & alio famulo ſuo, ad noſtrã Curiã per eundẽ tuum nunciũ deſtinabas,

&

& de quo tuæ literæ faciebant mentionē, per te tanquam innocentem à Caſali reuocatum, & ad te remiſſum firmiter extitiſſe, ſicut eidem tuis literis iniunxiſti.

Eidem, ſuper eiſdem. Cap. LIX.

SOlita benignitate recepit noſtra Serenitas literas, quas miſiſti. Per quas quia percepimus, ad tuam noticiā perueniſſe ex relatione pluriū, qui P. nuncio tuo obuiauerant, per te cum M. de N. captiuo ad noſtrā Curiā deſtinato: quod idē P. tui mandati temerariè fines excedēs, præfatū M. captū ad ſupplicationes quorundā, per uiam ſolutū ducebat: cum te aſſeras eidē dediſſe ſub pœna perſonę diſtrictius in mādatis, ut ſemper uſq; ad Curiā noſtrā cum cōpedib. & dextra in manu ducere deberet eundē. Et ideo ſupplicaſti, quod ſi ſic ſine dextra & cōpedib. dictum M. ad nos pduci cōtingeret, per eundem nō tibi, ſed fatuitati & auſui temerario eiuſdem nūcij, noſtra dignaretur aſcribere Celſitudo: tua noſcat deuotio, quod idē P. nūcius tuus, ſupradictū M. cum cōpedib. & dextris in manib. Mareſcalcię noſtræ cautè & fideliter aſsignauit. De eo aūt ꝙ induſtria tua ſcripſit, ut ſup liberatiōe ipſius cautiùs procedere deberemus, taliter reſpōdemus: quod ad eiuſdē liberationē non antea procedemus, per quā te didicerimus, q͛ inde magis noſtris expediat ſeruitijs & honori.

Eidem ut cuidam fideli prouideat de aliquo regimine. Caput LX.

Aſiſum oppidū nō longè à Roma diſtans, patria Franciſci Monachi.

AD Maieſtatis noſtræ præſentiam ueniens B. de Aſsiſio, fidelis noſter, noſtro culmini humiliter ſupplicauit: ut cùm pro fide nobis ſeruanda à ciuitate præfata rebellibus noſtris diſcedendo, ad noſtra ueneritſeruitia moraturus, & in eiſdem ſeruitijs permanſerit, & nunc permanet fideliter & deuotè: pro ſuorum reſtauratione damnorum & remuneratione ſeruitiorum, dignaremur de noſtra gratia eidem de aliquo competenti regimine prouidere. Nos itaque ſupplicationibus ipſius benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus inſpectis tam qualitate perſonæ ſupplicantis eiuſdem, quàm ſeruitijs noſtris, præfato ſupplicanti de aliquo competenti regimine prouidere procures, quod ſuę cōueniat qualitati: in quo noſtris ſeruitijs utilis & ſibi fructuoſus exiſtat.

Capitaneo ſignificat, quod reſpondeat petitis per nuncium. Cap. LXI.

TVæ fidelitatis literas, nuper noſtro culmini tranſmiſſas, benignè recepimus, & ipſarum tenoré pleno collegimus intellectu. Super quibus Io. nuncius tuus, fidelis noſter, te pleniùs inſtruet: qué in conſpectu

ſpectu noſtro præſentem, uerbotenus duximus informandum.

Eidem, & commendat eum de parato exercitu, & hortatur eum de procedendo. Cap. LXII.

RECepit Excellẽtia noſtra literas quas miſiſti, & quæ continebantur in eis pleno collegimus intellectu. Quod autem ſcripſiſti te habere paratum exercitum de tota Marchia generalem, ita quod die præſentis menſis Auguſti, hoſtiliter eſſe debes in territorio Camerini noſtrorum rebelliũ, ad reliquias uinearum & arborum proditorum ipſorum totaliter deuaſtandas uel ſuccidendas: & quod propter aſsiduam oppreſsionem Marſuadę, noſtrorum militum in ſancto Seuerino exiſtentium, ijdem proditores noſtri taliter coarctati exiſtunt, quod magnę famis laborant inopia, ob quam afflictionem ad tantam diſcordiam deuenerunt, quod ſæpius adinuicem præliantur. Et quia de rumoribus ipſarum partium nobis gratis, noſtram Celſitudinem inſtruxiſti: de Anconitanis uidelicet rebellibus noſtris, ſolicitudinis & induſtrię tuæ ſtudium euidens plurimum commendamus: fidelitatem tuam ſollicitantes attentiùs, & hortantes: ut te cum eodem exercitu filiorum noſtrorum, ad depopulationem & deuaſtationem Camerini proditorum noſtrorum, taliter reddas per complementum operis

ſolicitum,& attentum: quod de ipſis rebel libus noſtris, in proximo nobis noua ſigni fices lætiora, & ipſa operum efficacia te noſtræ Celſitudini, iuxta morem ſolitum, commendabilem repræſentet. Super eo uerò, quod tuis literis denotaſti, plures ex fidelibus noſtris de Marchia, fuiſſe nuper à Venetis diſrobatos, quod de capiendis de bonis eorum propterea licētiam à te poſtulant, ſicut dicis, tibi duximus taliter reſpondendum: Quod cùm ad pręſens illuc ſolennes nuncios deſtinemus, curabimus exinde prouidere, prout honori noſtro, & ſalubritati dictorum fidelium, uiderimus conuenire.

Eidem, reſpondet ad tranſmiſſa. *Cap.* LXIII.

INtellectis his, quę per tuas literas & nuncios, ſuper negocio N. noſtræ Celſitudini nouiter intimaſti, licet ex hoc per te uberiorē effectum conſequi ſperaremus, de tuæ tamen fidei conſtantia finaliter diffidere non uolentes: ecce quod ſuper ipſo negocio M. & G. fideles noſtros, ad te duximus deſtinandos, tuæ fidelitati mandantes: quatenus, quicquid ipſi pro parte noſtra tibi duxerint proponēdum, indubitanter credas, tanquàm ab ore noſtro prolatum, reuerenter audias, & id efficaciter exequaris.

Eidem, ut fiat inquiſitio de clandeſtinis damnis, illatis cuidam uiduæ. Cap. LXIIII.

QVerelam B. de N. uiduæ, fidelis noſtræ, recepimus, continentem quòd quidam malefactores, ad damna clandeſtina intrepidè animati, ea abſente, & pro ſuis negocijs in Curia noſtra commorāte, quandam ſuam uineam, cum arboribus, in N. ſitam, auſu temerario inciderunt. Nolentes igitur, ut propter impunitatem exceſſuum creſcat audacia delinquendi, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus contra malefactores eoſdem, ad quos inueniendos omnem quam poteris, te uolumus adhibere ſolicitudinem, inquiſitionem facias diligenter: per quam ſi poterunt inueniri, procedas immediatè iuſticia contra eos. Cęterùm ſi malefactores non poterunt inueniri, damnum eidem mulieri illatum, ab uniuerſitate ipſius terræ, in cuius territorio damnum extitit perpetratum, ſecundum iuſticiam facias emendari: ne ab hoc iteratam querelam ulteriùs audiamus.

Eidem, de procuratore ordinando, qui iura Cameræ tueatur, in cauſa quam ſibi committit. Cap. LXV.

POrrecta G. & V. fideliũ noſtrorum culmini noſtro petitio continebat, quod cum haberent, & habeāt quaſdā poſſeſsiones

nes & terras laboratorias in confinibus, quas ipſi eorumq́; antiqui, per longiſsima tempora tenuerunt & poſſederunt pacificè & quietè, nullam ex fructibus eorundem partem Curiæ noſtræ, uel alicuius perſonę noſtræ priuatæ reddentes: Pandulfus de Phaſanella, proditor noſter, & tunc in ipſis partibus ſacri Imperij uicarius generalis, ſub prętextu cuiuſdam inquiſitionis, dudũ factæ per procuratores noſtri demanij, autoritate propria & omiſſa iuſticia, quartam partem fecit auferri, in ipſorum G. & V. graue præiudicium & iniuriam maneſeſtam. Vnde cũ pro parte ipſorũ fuerit noſtræ Celſitudini ſupplicatũ, ut eis prouidere ſuper hoc de noſtrę clemẽtię gratia dignaremur: nos eorum ſupplicationibus benigniùs inclinati fidelitati tuę mãdamus, quatenus ſuper prædictis omnibus: prius tamen per te aliquo idoneo & fideli ꝓcuratore ſtatuto, qui Curię noſtrę iura diligenter & fideliter tueatur: aduocato quoque fiſci noſtri præſente, inquiſitionem facias diligentem, teſtes, probationes, & inſtrumenta ipſorum audias, dictam cauſam ſufficienter inſtructam, cum nominib. procuratoris & aduocati fiſci noſtri, ſub tuo ſigillo noſtræ tranſmiſſurus Camerę: certo & peremptorio termino parti eidẽ pręfixo, quo cum ipſo proceſſu ſe noſtro conſpectui repræſentent.

Capita-

Capitaneo, ut mandet executioni ſententiam, ſicut rationabiliter eſt prolata.
Cap. LXVI.

SVpplicauit Excellentiæ noſtræ Ludouicus de etc. fidelis noſter, ut ſententiam definitiuam pro eo, cõtra Commune etc. ſuper quadam pecuniæ ſumma, per H. uicarium tuum latam, & per ut aſſerit confirmatam, executioni mãdari de noſtra gratia mandaremus. Cum igitur nihil prodeſſet ferri ſententias, niſi executio debita ſequeretur: tuæ fidelitati mandamus, quatenus ſi eſt ita, ſententiam ipſam ſicut rationabiliter eſt prolata, niſi legitima fuerit prouocatione ſuſpenſa, facias executioni debitæ demandari. etc.

Eidem, de ſoluendo conſueto ſalario Poteſtati per Commune. Cap. LXVII.

NIcolaus de Firmo fidelis noſter, ſua nobis petitione mõſtrauit, quod cũ idem ad regimen ciuitatis Cluſinẽſis ſit de mandato noſtrę Maieſtatis aſſumptus, conſiliũ & Commune ciuitatis eiuſdem, de ſtatuto & conſueto ſalario ſibi denegauit reſpondere. Quocirca fidelitati tuæ præcipiendo mãdamus, quatenus ſi eſt ita, dictum Commune, ut de conſueto & ſtatuto ſalario eidem N. Poteſtati eorum, fideli noſtro, prout alijs eorum Poteſtatibus dare aſſueuerunt

uerunt hactenus, debeant reſpondere, debita cohertione compellas; ita, ut ei non ſuperſit materia conquerendi.

Exordium de commendatione fidelium.

Cap. LXVIII.

VNiuerſis hominibus de mõte Flaſcone, & eius Capitaniæ, fidelibus ſuis, præſentes literas etc. Cùm uos deuotos fideles noſtros, & terram ueſtram ſpecialem noſtram Camerã reputemus, ad omne ueſtrum bonum & pacificum ſtatum, ac uniuerſorũ noſtrorum ſalubritatem, noſtræ Serenitatis oculos inclinantes: ecce quid etc.

Capitaneo, ut emendet equum, quem quidam fidelis ſuus perdidit in bello.

Cap. LXIX.

CVm per literarum tuarum tenorem, quas noſtræ Excellentiæ deſtinaſti, nuper noſtra intellexit Celſitudo, quòd C. de N. fidelis noſter, qui tecũ paratus equis & armis, pro noſtris ſeruitijs dudũ extiterit, & adhuc fideliter cõmoretur: dum ipſe contra Viterbienſes, rebelles noſtros, armata manu inſiſteret, ob impugnationem ipſorum rebellium, quidã ſuus dextrarius fuerit interfectus: ſuper dãnificatiõe ipſius Conradi fidelis noſtri, prouidere uolentes, ut animoſiùs ad noſtra ſeruitia eius fidelitas erigatur: tuę fidelitati pręcipiendo mandamus, quatenus de prouentibus Curię noſtræ

ſtræ, qui ſunt uel erunt per manus tuas, diligenter, ut cõuenit, quęſito de equi ualore, eidem C. dextrarium ipſum, iuxta ualorem ipſius, ex diligenti inquiſitione inuentum, emendare procures.

Reſpondet cuidã nobili ad tranſmiſſa, et dicit quod equos non uult ſibi dare. Cap. LXX.

SOlita benignitate recepit noſtra Serenitas literas, quas noſtro culmini deſtinaſti. Et intellectis diligenter tam his, quæ dictæ literæ continebant, quàm his quæ P. de Sora nũcius tuus, pro parte tua de equitaturis per te petitis à nobis, noſtræ retulit Maieſtati, deuotioni tuæ taliter reſpondemus: Quod cùm partibus Lombardię, in quibus aſsiduè commoraris, dextrariorum copia conſueuerit inueniri: credebamus & credimus, dextrarijs te magis noſtræ Curiæ ſubuenire, quàm ab Excellentia noſtra tibi petere ſubueniri. Ronchini uerò in noſtra Mareſtalla non ſunt ad præſens, quos tibi poſſemus commodè deſtinare. Propter quod uolumus, ut in ipſis partibus acquiri facias opportunos. De engaſtris autem mittendis, ecce quod in proximo tibi curabimus prouidere.

Friderico de Antiochia, ut aſsignet uicariam cuidã, quem ipſe præfecit in Capitaneum. Cap. LXXI.

CVm de prudẽtia & fidelitate Io. de N. fidelis noſtri, cõfiſi, ipſum Capitaneũ loci

loci ipſius duxerimus ſtatuẽdum:tuæ fidelitati præcipiendo mandamus, quatenus eidem Ioanni,fideli noſtro, ſic à Maieſtate noſtra Capitaneo ornato, ſtatim receptis præſentibus,Caſtrũ ipſum,& Capitaniam, cum captiuis,armis,equis,& rebus alijs,ad Curiam noſtram pertinentibus,quæ in tua pro parte noſtra retines poteſtate, aſsignare procures: eundem ut conuenit inſtructurus, de ipſius cuſtodiæ circumſtantijs, qualitatibus hominum, & moribus regionis:ſicut ad honorem & incrementum noſtræ Celſitudinis, meliùs & cautiùs uideris expedire.Mandamus præterea quod de omnibus & ſingulis, quæ tibi aſsignauerimus fieri, facias tria ſcripta conſimilia ad cautelam:unum quoq; per te uolumus noſtræ Cameræ aſsignari: aliud uerò penes te, & aliud penes eundem Iohan.fideliter conſeruari.ut deponendi per uos ratiocinij noſtri ipſa ſimilis conformitas habeatur.

Hominibus cuiuſdam Capitaniæ, ut obediant fideliter Capitaneo ſuprà dicto. Cap. LXXII.

CVm de prudentia & fidelitate Iohan. de N.fidelis noſtri,confiſi,ipſum Caſtellanum Caſtri noſtri montis Flaſconis, & eius iuriſdictionis Capitaneum, ad præſens duximus ſtatuendum : fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus memo

rato

rato Ioanni fideli noſtro, in omnibus quæ ad ipſius ſpectant officium, & honoris noſtri reſpiciunt incrementum, tanquam noſtræ perſonæ intendere aç parere firmiter debeatis: ut exinde ueſtra ſyncera deuotio per operum efficaciā, noſtræ Celſitudini pateat more ſolito commendanda. Et ecce, quod eidem fideli noſtro damus ore tenus firmiter in mādatis, quod uos omnes & ſingulos in omni bono & pacifico ſtatu, iuſticia & cōſuetudinibus approbatis, manu tenere debeat, & fideliter obſeruare.

De commendatione fidelium & gratia facienda. *Caput* LXXIII.

GRata eſt in conſpectu noſtri culminis fides ueſtra: quam & deuotiōis affectus claram exhibet, & demonſtrat officium operum clariorē. Propter quod in ſtabili propoſito gerimus, ſtatum ueſtrū gratiæ noſtræ fauore protegere, & noſtræ liberalitatis beneficijs adaugere uel ampliare.

Cuidam nobili, comendatio de fidelitate. *Cap.* LXXIIII.

CVm multipliciter dudum fides tua in cōſpectu noſtri culminis grata fuit, quā & deuotionis &c. ut in alia proxima, uſque in finem. Literas igitur tuas,

Maieſtati noſtræ per tuum notarium præſentatas hilariter recepimus, benignè uidimus, & ſingula quæ continebantur in eis intelleximus diligenter: uigilem diligentiam tuam & cautelam, quam habes in rebellium euitandis aggreſſibus & euertendis eorum inſidijs, plurimùm commendantes.

De fidelium commendatione, cum promißione beneficiorum. Cap. LXXV.

COmmoditatibus fidelium noſtrorum, quos experta fides & gratitudo ſeruitiorum, noſtræ Celſitudini præſentat acceptos: quique pro ſeruitijs noſtris labores in perſonis ſubeunt, & expenſas in rebus uolentes commodè prouidere. &c.

Exordium de remuneratione fidelium in filios facienda. Cap. LXXVI.

IN exemplum noſtrorum fidelium, ut alij fideles ad noſtra ſeruitia promptius animentur, ipſorum fidem poſt mortem eorundem, in ipſorum filios remunerare uolentes mandamus. &c.

Capi-

Capitaneo ſignificat quomodo miratur, quod non ſignificat proſpera noua de partibus illis. Cap. LXXVII.

CVm ſcias nos libenter intendere & gratius aſpirare circa ſucceſſuũ tuorum noticiam, admiratione inducimur nõ iniuſta, quod ſolutionem exercitus Ianuenſis, & ipſorum ruinam, nobis ſignificare diſtuleris, & alia proſperè contingentia quæ noſtram audientiam delectarent.

Eidem, ut faciat reſtitui bona diſrobatis ſupra mare. Cap. LXXVIII.

BArtholomæus ciuis Lucanus, fidelis noſter, ad pręſentiã noſtrã nuper accedẽs, corã nobis expoſuit cũ querela: qđ cum ipſe dudum in quadam (Butz) naui Gerhardi de Iſtria, ſuis & ſociorum ſuorum mercibus onerata, ſub ſpe emolumẽti à Brunduſio uerſus Duratium nauigaret, Comati quarundam galearum & barckettarum, de Saone S.R. & G. Io. & quidã alij, qui cũ eis erant ipſum & ſocios hoſtiliter inuadẽtes, ceperunt eoſdẽ, & omnia bona quę habebãt ibidem, ipſis prius enormiter tormentatis, ut aſſerit, abſtulerunt. Cumq; idem Barth. noſtræ ſupplicauerit Maieſt. ut ſub reſtitutione rerum ſuarum, quibus tunc extitit ſic uiolenter & temerè

ſpoliatus, prouidere ſibi miſericorditer dignaremur: nos ſupplicationibus ipſius benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit, bona ſua quæ ſibi tunc ablata fuerunt, ſeu ualorem ipſorum de quo tibi conſtare uolumus, ab illis eiſdem reſtitui facias, qui bonorum ipſorum captores & participes extiterunt: nihilominus cautus exiſtens, ut ſic deliberatione præhabita puni as, quos inde uideris puniendos. quod delinquentes de prędictis aliquatenus, nequeant de commiſſis exceſſibus gloriari.

Cuidam nobili, recommendans eum de fidelitate. *Caput* LXXIX.

PEr tuorum operum exhibitionē laudabilem, & relationem Richardi de N. fidelis noſtri, plenariè cognoſcentes, quòd circa ſeruitia noſtra perſeueras & ex iſtis fideliter & deuotè: tuum exinde ſtudium, & ſolicitudinem commendabilem, meritò commēdamus: ad quę uolumus te deinceps taliter exiſtere, uigilem & intentum, ut ſemper tua ſyncera deuotio & ſolicitudo intenſa, in noſtræ Maieſtatis præſentia pateat commendanda.

Ca-

Capitaneo, ut captiuum qui fideiuſſoriam præſtitit cautionem à carcere liberet, reſtitutis ſibi bonis ablatis.

Cap. LXXX.

DVdum per literas noſtras iudici Gindaleto de Perato noſtro uicario Caſtri ſancti Miniati, fideli noſtro, recolimus mandauiſſe: ut quia dicebatur quòd B. de N. nunc caſtellanus ſancti Miniati, ab hominibus eiuſdem Caſtri ſancti Miniati & ſibi coniunctis, de mandato Pandulphi de Faſanella, tunc Capitanei noſtri in Thuſcia, nunc proditoris noſtri, quandam pecuniæ ſummam & pignora quædam abſtulerat, eum de perſona caperet, & cum diligentia cuſtodiret: ac deinde per prędictos homines, ſuper præmiſſis inquiſitionem faceret diligentem, & factam ad noſtram Buriam deſtinaret. Qui, tanquam mandati noſtri diligẽs executor, & ipſum B. cepit, & de prædictis inquiſitionem fecit, iuxta traditam ſibi formam, & factam ad noſtram Curiam deſtinauit. Verũ quia, licet probatum extiterit, & in inquiſitione appareat per eundem, prædictum B. quandam pecuniæ ſummam & quædam pignora recepiſſe (quod idem B. etiam cõfitetur) de quibus paratum ſe offert Curiæ noſtræ reddere rationem. quia tamen per eum, qđ nulla fraus uel dolus ſuper his in

teruenerit,inuenitur nec probatur aliquid aliud contra ipſum,quod ulterius debeat ſqualore noſtri carceris macerari : nec ſicut innoxios iniuſtè punire uolumus , ſic nec uolumus impunes relinquere delinquentes:A.& R.filios eiuſdem B.Curia noſtra recepit,pro parte ipſius idoneam fideiuſſoriam cautionem,quod idem B.in Curia noſtra compareat iuri pariturus, & de officijs, quæ dudum in partibus Thuſciæ per Curiam noſtram exercuit, pecunia & pignoribus quæ recepit , perfectam debeat ponere rationem , quam debita ſatisfactio ſubſequatur : fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ipſum à uinculis facias liberari : bonis ſuis , quæ ſibi ablata fuerunt tempore captionis eiuſdem , integrè reſtitutis : citaturus eundem , ut 20 die poſt citationem tuam, in noſtra præſentia ſe debeat præſentare, redditurum de prædictis omnibus rationem . Diem uerò citationis eiuſdem , coram quibus , & quicquid inde feceris, per tuas literas harum ſeriem continentes , nobis reſcribere non poſtponas.

Eidem

Eidem, committit ut appellationem infirmet uel confirmet. Cap. LXXXI.

CAuſam appellationis, ad nos interiectæ per B.& S. de Florentia, fideles noſtros, à ſententia condemnationis lata contra eos, in quadum pecuniꝫ quantitate, per Thomam de Lira Poteſtatem ciuitatis eiuſdem, ab accuſatione ſeu denunciatione facta contra eos, ab F. & G. fratribus, uel eorum altero, deuotioni tuæ duximus committendam: fidelitati tuæ mandantes, quatenus ſententiæ condemnationis eiuſdem & proceſſus tenore diligenter inſpecto, coram te etiam conuocatis, qui de iure fuerint euocandi, ſi cauſa ipſa iudiciario ordine cognita eſt, & ſententialiter terminata, ad confirmationem uel infirmationem eiuſdem ſententię condemnationis procedas, prout de iure fuerit: reuocaturus in irritum & quicquid poſt appellationem ipſam inueneris contra iuſticiam attentatum.

Fidelibus, confortans eos in fide, & ut credant nuncio. Cap. LXXXII.

CVm inter cęteros fideles noſtros, uos & ueſtrā ciuitatem, quę noſtra

& Imperij eſt Camera ſpecialis, fouere & manu tenere uelimus in omnibus, ob fidem puram & deuotionem ſynceram, quam ad ſacrum Imperium & perſonam noſtram habuiſtis hactenus, & habetis: propter quod à nobis & Imperio, digna debetis præmia reportare: uniuerſitatem ueſtram per ſacros apices noſtræ Celſitudinis, ad ſeruitia noſtra ſolicitandam duximus, & hortandam, mandantes: quatenus ſi honorem Imperij diligitis, & noſtræ Serenitatis gratiam affectatis, in executione ſeruitiorum noſtrorum, ſic more ſolito exhibeatis uos in omnibus promptos, deditos & paratos: ut gratia noſtra in uobis, de bono in melius, per exhibitionem operum ſemper creſcat: & ueſtra exinde deuotio poſſit meritò commendari. Cæterùm quicquid magiſter G. de Cyra capellanus, notarius & fidelis noſter, quem ad partes ipſas pro noſtris ſeruitijs duximus deſtinandum, pro eiſdem ſeruitiis noſtris uobis dixerit & iniunxerit, tanquam nobis indubitanter ueſtra credat deuotio, & adimpleat cum effectu.

Cui-

Cuidam nobili, de eodem. *Cap.* LXXXIII.

ECce quòd magiſtrum G. de Cyra capellanum, notarium & fidelem noſtrum, pro quibuſdam ſeruitijs noſtris: quæ licet principaliter nos tangant, tangunt tamen nihilominus per conſequens te, & alios nobiles uniuerſos & ſingulos orbis terrę: prouidimus ad te deſtinandum, deuotionem tuam monentes attentiùs, & hortantes, quatenus quicquid idem magiſter G. tibi pro parte noſtra, ſuper eiſdem ſeruitijs noſtris dixerit uiua uoce, tanquam ab ore noſtro prolatum tua indubitanter credat deuotio, & adimpleat cum effectu: ut deuotionem tuam propterea, prout Excellentiam noſtram decet, ſynceris gratiarum actionibus, & condignis beneficiorum retributionibus proſequamur.

Capitaneo, quod cauſam appellationis & proceſſum debeat ad Curiam deſtinare.
Cap. LXXXIIII.

AD noſtram accedens præſentiam B. de N. fidelis noſter, nobis expoſuit cum querela, quod inter B. mulierem neptem ſuam, eius denique curatorem agentes ex parte una, & S. de eodem loco, ex alterá, ſuper poſſeſsione cuiuſdam ponderis & tenementi, coram G. de Spoleto, in comitatu Firmano iudice ordinato, extitit quæ-

ſtio uentilata: in qua idem iudex de iure procedens, ſicut aſſerit, pro ipſa B. tulit ſententiam contra eum: à qua idem S. ſentiens ſe grauatum, ad tuum examen ſe aſſerit appellaſſe. Poſtmodum uerò, quod cum aſsiſtente tibi R. de Lauda, iudice & aſſeſſore fideli noſtro, coram te partibus non uocatis, & cauſæ meritis (ut iuris eſt) non inſpectis, dictam ſententiam confirmaſti: eundem S. pro expenſis in cauſa ipſa factis pro B. in trib. libris contra iuſticiã condemnando: idem uerò S. à dictæ ſententiæ confirmatione, & prædictarum expenſarum, ſentiens indebitè ſe grauatum, ad noſtram Curiam appellauit. Quare cum idem S. uelit appellationem proſequi ſuprà dicta in Curia noſtra magna, Fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus proceſſum totum, ſuper præmiſsis habitum, ſub tui impreſsione ſigilli, noſtræ Curię deſtinare ſtudeas ſeriatim: ut quòd parti per te certo & peremptorio termino aſsignato, qui noſtræ Curię ſe debeant pręſentare, in præmiſsis proceſſuros iuſticia mediante: & prężertim appellatione pendente contra ipſum S. non facias nec patiaris fieri aliquid nouitatis. cum appellatione pendente nihil debeat innouari. Si qd uerò poſt appellationẽ ipſam, ad nos interiectam, attentatum eſt, per te ſeu iudi-

ces tuos,in ſtatum priſtinum reducturus, prout de iure uideris expedire : & de die citationis, & forma noſtram Curiam edocturus.

Eidem, ſuper gratia conceſſa cuidam monaſterio, de laborandis quibuſdam terris.
Cap. LXXXV.

PRo parte Conuentus monaſterij ſancti Pauli de Vrbe,noſtrorum fidelium, noſtræ fuit Excellentiæ humiliter ſupplicatum : quod, cùm de Celſitudinis noſtræ mandato,Caſtrum Cortoroli ſancti Iuliani Longezæ,& Loſæ(quæ,ſicut dicunt,addictos Conuentum &monaſterium pertinebát) fuerint deuaſtata,certas poſſeſsiones, quæ ſunt de diſtrictu Caſtrorum ipſorum ſecurè & quietè laborandi, & ex eis fructus & redditus percipiendi, ad monachorum ibidem degentium ſuſtentationem,licentiam & ſecuritatem noſtram,de noſtræ benignitatis gratia,miſericorditer dignaremur concedere. præſertim cum ex eiſdem poſſeſsionibus & terris, ad Curiá noſtram nullum emolumentum proueniat uel profectus. Quorum ſupplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus : quatenus, ſi tibi conſtiterit ita eſſe, pro parte Celſitudinis noſtræ licentiam petitam concedas Conuentui memo-

memorato:ex his poſtmodum contra ipſos nullam moleſtiam illaturus,ſeu ab alijs per miſſurus inferri. Recepturus etiam cautelam ab eis,quod per hoc aliquid nobis, uel fidelibus noſtris diſpendium non feratur.

Capitaneo,ut certam quantitatem ſoluat annuatim cuidam fideli ſuo. *Cap.* LXXXVI

AD Maieſtatis noſtræ præſentiam nuper accedẽs Ligorius Roberti de Tybere,fidelis noſter,noſtro humiliter culmini ſupplicauit,ut cum Caſtro ſancti Iuliani, quod à monaſterio ſancti Pauli,de Vrbe tenebat,& cuncta alia bona ſua quæ habebat in partib. Tiburtinis, deſtructa fuerint per guerrarum diſcrimina,nec habeat unde uiuat: paupertati ſuæ, & ad uitæ ſuæ ſuſtentationem, dignaremur miſericorditer prouidere: ſupplicationib. eius nos benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus de prouentibus noſtris, qui ſunt per manus tuas, uſq; ad ſummam decem librarum deinde annuatim debeas exhibere eidem: & ab eodem, de his quæ ſibi dederis,apodiſſam idoneam recepturus.

Eidem,

Eidem, ut concedat licentiam cuidam Communitati uendendi uinum & bladum fidelibus. Bladũ, id eſt, frumentum.

Cap. LXXXVII.

PRo parte uniuerſitatis Ceſanæ noſtrorum fideliũ, extitit noſtræ nuper Celſitudini intimatum: quod propter multa ſeruitia, erga Maieſtatem noſtram nuper impẽſa, per eos debitorum oneribus adeò comprimuntur: quod de mobilibus bonis eorum, pręter fructus bladi & uini non habeant unde exoluãt debita ſuprà dicta. Propter quod noſtro culmini humiliter ſupplicarunt, ut de ipſis fructibus bladi & uini, uendendi & aſportandi ad terras fidelium, per mare & terram, eiſdem licentiam cõcedere dignaremur, de noſtræ Maieſtatis gratia ſpeciali. Supplicationibus quorum nos benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus ab ipſa uniuerſitate, idonea cautione recepta, quod fructus ipſos ad terras fidelium tantum, & non infidelium deportabunt, nec per alios facient aſportari: ipſis fidelibus noſtris dictam licentiam, pro parte noſtra, uſque ad ſatisfactionem debitorum ipſorum, concedere debeas: ſicut melius uideris ad honorem & cautelam, noſtri culminis, expedire.

Eidem

Eidem, ut nomina Caſtellanorum ſuæ iuriſdictionis in ſcriptis trãſmittat ad Curiam.
Cap. LXXXVIII.

CVm nomina Caſtellanorum iuriſdictionis tuæ, & ſtatuta Caſtrorum, iuxta quorum tenorem ſeu conſuetudinem, tam Caſtellanis, quàm ſeruiẽtibus in ſtipendijs, prouidetur: numerum ſeruientium uniuſcuiuſq; Caſtri: & quibus Caſtris de prouentibus Curiæ noſtræ, & de quibus prouentibus miniſtrantur expenſæ, ſcire uolumus: Fidelitati tuæ pręcipiendo mãdamus, quatenus de prędictis omnibus & ſingulis, noſtram fideliter inſtruas Maieſtatem: nullum ex Caſtellanis, qui nunc ſunt per ipſa caſtra ſtatuti, ſeu in antea per noſtram Excellentiam ſtatuentur, ſine iuſsione noſtri culminis aliquatenus amoturus.

Cuidam Poteſtati & Communitati, ut ablata poſt appellationem reſtituere non poſtponat.
Cap. LXXXIX.

ACcedens nuper ad Maieſtatis noſtræ præſentiam Petrus de N. ciuis Florẽtinus, fidelis noſter, nobis expoſuit cum querela: quòd cùm dudum à ſententijs ſeu condemnationibus, per uos ſeu inquiſitores ueſtros, qui inter uos Tricatores uulgariter nuncupãtur, latis & factis contra eum olim, per Poteſtatem ueſtrum, in quadam pecu-

pecuniæ quantitate, ad noſtram audientiã appellarit: uos eidem appellationi, ſicut dicit, minimè deferentes, fideiuſſores ſuos ad ſoluendam quandam pecuniæ quantitatem, contra iuſticiam compuliſtis, in ipſius graue præiudicium, & damnum etiam manifeſtum. Qui cùm noſtræ Celſitudini humiliter ſupplicarit, ut ſuper præmiſsis dignaremur ſecundum iuſticiam prouidere: nos, quantumcunque uobis in ueſtra iuſticia fauorem conferre uelimus, à iuſticia tamen diſcedere non ualentes, ipſius P. ſupplicationibus benigniùs inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi eſt ita, quicquid poſt appellationem ipſam, ſic interiectam, ad nos per eundem P. uel ſuos fideiuſſores per uos attentatum eſt, in ſtatum priſtinum reuocãtes, ſine difficultate qualibet pecuniam ipſam, adiectis fideiuſſoribus ſuis extortam, reſtituatis eidem: ita, quod pro his ulteriùs clamor ipſius P. iuſtè noſtro culmini non feratur. Nã pro utriuſq; partis commoditate, necnon præſentibus & conſentientibus nuncijs ueſtris, in Curia noſtra noueritis cauſam appellationis eandem fore commiſſam, per noſtram Excellentiam P. de N. cognoſcendam, per eum & fine debito terminandam.

Conce-

Concedit licentiam quibuſdam fidelibus de infidelibus capiendis, & his qui portant uictualia ad rebelles.
Caput XC.

VNiuerſis etc. Notum fieri fidelitati ueſtræ uolumus, per præſentes ꝙ nos tam ad honorem noſtri culminis, & noſtrorum confuſionem rebellium, quàm ad ſupplicationem O. de N. latoris præſentium, fidelis noſtri, qui & fratres ſui, ſcilicet G. & T. pro fide Maieſtatis noſtrę ſeruanda, ſicut aſſerit, de Ferraria fuerint eiecti: ſibi & ſuis fratribus antedictis, infideles noſtros & Imperij capiẽdi, ubicũq; eos in mari inuenerint, uel in terra, nec non & tam fideles, quã infideles qui uictualia ſeu mercatiões ad rebelles noſtros de N. uel ad alias terras noſtrorũ rebelliũ, reportarent, licentiã noſtrã duximus concedendam. Quare uniuerſitati ueſtræ præcipiendo mandamus: quatenus in prædictis peragendis, eoſdem fideles noſtros, in nullo impedire ſeu moleſtare aliquatenus præſumentes: ipſis cum expedierit, & ab eis fueritis requiſiti, detis omne auxilium & iuuamen, ob noſtræ reuerentiam Maieſtatis. Ita tamen, quod occàſione prædicta, ad offenſionem noſtrorum fidelium, & eorum maximè, qui literas noſtræ Serenitatis oſtenderint, manus aliquatenus non extendant.

Capita-

Capitaneo, ut concedat licentiam portandi & uendendi bladum fidelibus. Cap. XCI.

AD Maieſtatis noſtræ præſentiam ac-
cedens C. de N. fidelis noſter, qui &
fratres ſui, ſcilicet G. & T. pro fide Maieſta-
tis noſtræ ſeruanda, expulſi fuerunt de Fer-
raria, ſicut dicunt , pro ſe ipſo & fratribus
ſuis humiliter ſupplicauit, ut ſibi & eis cen
tum ſaumas frumenti, de Romangia extra-
hendi, & illud per totum Ariminum, ad ſi-
deles tantum portandi & uendendi, licen-
tiá concedere, de noſtra miſericordia digna
remur. Supplicationib. cuius inclinati, fide
litati tuę pręcipiendo mãdamus: quatenus
ab eis idonea cautione recepta, de homini-
bus Romangię, quod bladũ ipſum tantum
ad terras fidelium deportabunt, & quod à
Poteſtate terrę illius, in qua bladum ipſum
uendiderint, ad te teſtimoniales literas re-
portabunt, licentiá ipſam pro parte noſtri
culminis concedas eiſdem: ita tamẽ, quod
directũ ab eis proinde ius, quod Curiæ no-
ſtræ competit, integrè perſoluatur.

Cuidam Communitati, ut quendam heremum non debeant in ſuis iuribus moleſtare. Cap. XCII.

PRo parte conuentus heremitarum ſan
ctæ crucis fontis Auellanę, noſtrorum
fidelium, in noſtra præſentia nuper expoſi-
tum extitit cum querela; quod cùm fratres

& oblati hoſpitalis de N. eorũ proprio motu & libera uoluntate, ſubmiſerint & obtulerint ſe & hoſpitale prędictum heremo nominatæ: ſubſequenter per fratres & oblatos eoſdem, corporali poſſeſsione tradita, bonorum omnium, hoſpitalis eiuſdem ſyndico, heremi nominatę: uos autoritate propria, tenuta ſeu poſſeſsione ipſorum bonorum, heremum ipſam contra iuſticiam ſpoliantes, detinetis ea, in eiuſdem heremi grauamen non modicum, & præiudicium manifeſtum. Quare cum per ſyndicum ipſius heremi, pro parte ipſius, noſtræ fuerit Excellentię humiliter ſupplicatum, ut eiſdem fratribus prædictis, dignaremur ſecundum iuſticiam prouidere, fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi eſt ita, bonis ipſis eiſdem integrè reſtitutis, eis prędictorum occaſione, nullam moleſtiam indebitè inferatis, bonaque ipſa eos poſsidere, & fructus ex eis percipere permittatis pacificè & quietè: ita, quod propterea noſtro culmini, ipſorum iuſta querimonia de uobis ulterius non feratur. & ſi ius aliquod uos habere contenditis, illud apud competentem iudicem, ordine iudiciario proſequi ſtudeatis.

Capita-

Capitaneo, ut non permittat fideles moleſtari contra gratiam eis conceſſam. Caput XCIII.

PRo parte uniuerſitatis hominum Montiſculi, fidelium noſtrorũ, in noſtra fuit præſentia nuper expoſitum cum querela: quòd cùm ipſi, qui ultra eorum poſſe circa eiuſdem Caſtri munitionem attentos, ſe fideliter obtulerint, & impendant, prout dudum ab Excellentia noſtra, & noſtris nuncijs receperunt, per tẽpora in mandatis, propter quòd cõſueuerunt ab alijs exactionib. & ſeruitijs noſtris eſſe immunes: nuper T. de Colle, fidelis noſter Capitãeus in comitatu Arecij, per dilectũ filium noſtrum, Fridericũ de Antiochia ordinatus, tam in retinendis equis ad arma, quàm de exactione pecuniæ, datis pignorib. ab eiſdẽ & alijs grauaminib. cõtra ipſos illatis, ſicut dicũt, multipliciter aggrauantur. Super quib. licet plu ries ſcripta tua obtinuerint ad Capitaneum memoratum: idem tamẽ Capitaneus, mandatis tuis non obtemperãs, ab incœptis grauaminibus reſilire contemnit, in ipſius uniuerſitatis grauamen non modicũ, & præiudicium manifeſtũ. Cùm igitur pro parte eorundem noſtrorũ fideliũ, noſtræ fuerit Maieſt. humiliter ſupplicatũ, ut ipſis fid. noſtris tantis grauaminibus oppreſsis, dignaretur noſtra Cel. miſericorditer prouidere: nos ipſorum ſupplicationib. benigniùs inclinati,

fidelitati tuæ præcipiendo mádamus: quatenus, ſi tibi conſtiterit de præmiſsis, exinde facias & procedas, ſicut iuri & honori noſtri culminis, & qualitati negocij uideris expedire.

Capitaneo, ut contractum debitum ab Epiſcopo ſoluat, de bonis Epiſcopatus deuolutis ad iura fiſci.

Cap. XCIIII.

BArtholomęus ciuis Senenſis, pro parte ſua & ſociorum ſuorum, nuper expoſuit coram nobis, quod olim P. Vlteranus epiſcopus, eis in 50. libris ex cauſa mutui teneretur: eodem Epiſcopo ſublato de medio, non fuit eis de dicta pecunia ſatisfactum. Et quia bona Epiſcopatus ipſius, per noſtram Curiam procurátur, humiliter ſupplicauit, ut de prouẽtibus ipſius Epiſcopatus ſatisfieri de prædicta pecunia mandaremus. Cùm igitur noſtrum fiſcum locupletari cum alterius iactura nolumus, fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus iura prædictorum creditorum, ſuper hoc audias diligenter. Et ſi tibi conſtiterit de præmiſsis, de prouentibus ipſius Epiſcopatus ſoluas eis pecuniá ſuprà dictam: ita, quod in alijs ꝓpterea noſtra Curia nõ grauetur. Dum tamẽ per teſtes qualibet exceptione maiores, qui numerationi & contractui interfuerunt, eiſdem non per inſtrumenta ſolummodo, de ſupplicátium iure probetur,
atten-

attẽtius prouiſurus,nę per colludioſas probationes,& inania inſtrumenta ſolutorum iam forſitan debitorum,fiſcum noſtrũ contingat in aliquo defraudari.

Eidem,ſuper eodem uel quaſi. Cap. XCV.

PRo parte M.de N.Maieſtatis noſtræ fidelis,coram Excellentia noſtra nuper expoſitum extitit cum querela: quòd cum ipſe mutuauerit quõdam Firmano epiſcopo 50,libras, tunc in Firmana eccleſia reſidenti, ſicut patere aſſerit, per publicum inſtrumentum,nec fuerit ſibi de prędictis per eundem Epiſcopum ſeu perſonam aliam pro eius parte, aliquatenus ſatisfactum : & bona ipſius eccleſiæ , per noſtram Curiam procurentur:pro parte ipſius M.noſtræ fuit Excellentiæ humiliter ſupplicatum,ut ſibi ſuper hoc dignaremur miſericorditer prouidere.Nos itaque ſupplicationibus ipſius benigniùs inclinati,fidelitati tuæ præcipiendo mandamus: quatenus,ſi tibi conſtiterit de præmiſsis,de prouentibus eccleſię ſuprà dictæ,quę Curia noſtra tenet,eidem M. reſtitui facias pecuniá ſuprà dictam. Dummodo etc.prout ſuprà,in alia.

Eidem,ut non moleſtet eum qui bona quædam emerat ab Epiſcopo memorato. Cap. XCVI.

AD Maieſt.noſtræ pręſentiá accedens P. de N. fidelis noſter expoſuit cum querela:quòd cũ olim P. Firmanus epiſco-

pus,tum reſidens in Epiſcopatu prædicto, ſibi Poteſtarias quorūdam locorum uendiderit,pro certo precio,cum omnibus iurib. ad ipſum ſpectantibus, in quibuſdam alijs caſtris, prout in publico inſtrumento uenditionis ipſius,inde confecto, per memoratum Epiſcopum ſigillato ſigillo pleniùs dicitur contineri:tu,ſicut dicit,ſua occupādo iura,non permittis eundem Poteſtarias ipſas recipere ac habere, in ipſius graue damnum, & præiudicium manifeſtum. Cumq; idem P. fidelis noſter,Excellētiæ noſtræ humiliter ſupplicarit, ut ſibi ſuper præmiſsis, Celſitudo noſtra dignaretur,ſecundum iuſticiam prouidere: nos ipſius ſupplicationibus benigniùs inclinati,fidelitati tuæ præcipiendo mandamus:quatenus, ſi tibi conſtiterit de prēmiſsis, & antequam præfatus Epiſcopus,ex læſa cōſcientia reus Marchiā exiuerit,uenditionem ipſam fecerit eidem: ulterius ipſum,de prēdictis,contra iuſticiā, nō moleſtes: niſi forſan ad hoc aliqua iuſta cauſa te moueat:quā,mādati prēſentis executione ſuſpenſa,Curiæ noſtræ ſcribas.

Quibuſdam ut citentur ad Curiam, qui alios in ſua poſſeßione moleſtant. Cap. XCVII

PRo parte O.& G. fidelium noſtrorum, noſtræ fuit Excel.nuper oblata querela:quòd cum Caſtrū & homines de Lomeria,cum ſuis pertinentijs & uiribus, ad eos perti-

pertineant pleno iure, A.C.& R.de Pyla, fideles noſtri, ſuper poſſeſsione Caſtri prædicti, ſub prætextu cuiuſdam priuilegij, eis à Maieſtate noſtra conceſsi, eos moleſtant contra iuſticiam, & perturbant. Super quibus, cùm conquerentes ipſi, uelint ipſos in noſtræ Maieſtatis Curia conuenire de iure, fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus: quatenus ſuprà dictos A. C. & R. ex parte culminis noſtri citare curetis, ut 20. die, poſt citationem ueſtram, in dicta noſtra Curia comparere, præfatis conquerentibus, de iure in iudicio reſponſuri. Diem uerò citationis, & formam tenorem præſentium continentem, & coram quibus eos citaueritis ueſtris literis, ueſtris ſigillis munitis ſeu publico inſtrumẽto, noſtræ Curię reſcribatis. Quod ſi ad prædicta exequenda, non poſſitis ambo perſonaliter intereſſe, nihilominus alter ueſtrum, prædicta fideliter exequatur.

Reſpondet cuidam nobili, & commendat eum de fidelitate. Cap. XCVIII.

Benignè recepit Excel. noſtra literas, quas noſtro culmini deſtinaſti: & plenè intellectis uniuerſis & ſingulis, quæ per eaſdẽ literas intimaſti, deuotiõis tuę cõſtãtiã meritò duxim9 cõmendandã: uelut qui in ſeruitijs noſtris, ab experto te nouimus conſtantẽ & utilem extitiſſe. Et quia nuper

te expoſuiſti noſtris beneplacitis & mandatis, dignis te laudibus extollentes, deuotionem tuam ſcire uolumus: nos in firmo propoſito gerere, ut pro tuis collatis iam dudum noſtrę Serenitati ſeruitijs, ſuo tempore rependamus digna tibi & tuis præmia meritorum.

Capitaneo, ut amoto Caſtellano ueteri, Caſtrum nouo Caſtellano debeat aßignare.
Cap. XCIX.

CVm de prudentia R. Silangerij, fidelis noſtri, plenè confiſi, eum Caſtellanum noſtrum Caſtri Ameliæ duximus ſtatuendum, ut ipſum ad honorem & fidelitatem noſtram cuſtodiat & conſeruet: fidelitati tuæ pręcipiendo mandamus, quatenus Caſtrum ipſum, arma & res alias omnes quæ in eo ſunt, eidem R. facias aſſignari: de omnibus quæ aſſignata fuerint tria inuentaria, ſiue tria ſcripta conſimilia fieri faciens ad cautelam: quorum unum penes ſe retineat Caſtellanus: aliud penes eundem R. remaneat: tertium uerò per fidelem nuncium, Curiæ noſtræ mittas.

Cui-

Cuidam nobili, ut procedat ad regimen ciuitatis, cui præfecit eum in Poteſtatem.
Cap. C.

DE tua prudentia & fidelitate confiſi, te Poteſtatem ciuitatis Eſtuli, pro anno futuro duximus ſtatuendum, fidelitati tuæ mandantes: quatenus ad prædictam ciuitatem te conferas, & Poteſtariã eandem ad honorem & fidelitatem noſtram, & pacificum ſtatum ciuitatis ipſius debeas fideliter exercere. Iures nihilominus ſtatuta ciuitatis eiuſdem, & conſueto dari prædeceſſoribus tuis ſalario, ſis contẽtus. Damus enim conſilio & Communi ciuitatis eiuſdẽ, noſtris fidelibus, in mandatis, ut tibi in omnibus, quæ ad ipſius Poteſtariæ officiũ ſpectare noſcuntur, pro eodem anno intendere debeant, ad honorem & fidelitatem noſtram: tanquam noſtro Poteſtati, à Maieſtate noſtra ſtatuto, debitum & conſuetum tibi ſalarium præſtituri.

Communitati ciuitatis eiuſdem, ut eidem Poteſtati pareant & intendant. *Cap.* CI.

CVm de prudentia & fidelitate T. de N. fidelis noſtri, confiſi, ipſum Poteſtatem ueſtrum pro anno futuro duximus ſtatuendũ: fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus, quatenus eidem T. fide

da penſaſti: quoſdam qui uidebantur magis eſſe ſuſpecti, per perſonas capi faciens ipſos facias cum diligentia cuſtodiri: tuum exinde ſtudium & induſtriam euidentem, quæ circa noſtræ Celſitudinis augmentum, in his & alijs te apponere plenè cognoſcimus, non immeritò commendamus. Verùm, cùm tam propter noſtrorum depreſſionem rebellium, (ad quam efficacius inferendam, te ſtudioſum fore credimus & attentum) quàm propter noſtrorum fidelium ſalutarem defenſionem, milites tuæ iuriſdictionis dudum impoſitos, equis & armis uelimus eſſe munitos ita, quod propter defectum equorum & armorum ſeruitia noſtra non remaneant imperfecta: deuotioni tuæ præcipiendo mandamus, quatenus ſic inſtanter procures & facias, quod omnes tuæ iuriſdictioni ſubiecti, qui equos retinere debent & arma, ſint ipſi, ut conuenit, ſine mora qualibet præparati, ad noſtrum ſeruitium tecum laudabiliter proceſſuri. Super alijs quæ ſcripſiſti, Celſitudo noſtra prouidere curabit, prout honori noſtro uiderimus expedire. Tu autem in his & alijs ſeruitijs noſtris, & maximè circa cuſtodiam ciuitatis Taurini, taliter peruigil & ſtudioſus intendas, quod ipſa operum potens efficaica, in Excellen-

tiæ

tiæ noſtræ oculis, te commendabilem, iuxta ſolitum, repręſentet.

Significat cuidam nobili proſperum aduentum ſuum in regnum. Cap. CIII.

AD exhilaratione animorum, tui, & aliorum noſtrorum fidelium, quib. hactenus abſentia noſtra ſolicitudinis materiam ſuggerebat, pręſentes felicis noſtri reditus nuncios ad te duximus dirigendos: fidelitatem tuam ſcire & gaudere uolentes, quod negocijs Italicis ſalubriter pro uoto diſpoſitis, die 11. præſentis menſis Martij, apud pontem Tremulum, cum uictorioſo exercitu noſtro feliciter uenimus, abinde in regnum (duce Domino) felicibus auſpicijs proceſſuri.

Capitaneo, ut prouideat annuatim cuidam nobili de prouentibus cuiuſdam eccleſiæ. Cap. CIIII.

AD noſtræ Maieſtatis præſentiam accedens, Heinricus Embriacus de Ianua, fidelis noſter, Celſitudini noſtræ humiliter ſupplicauit: ut cum pro fide culmini noſtro ſeruanda, derelictis omnibus bonis ſuis, à ciuitate ipſa uelut à rebellib. noſtris diſcedendo, ad noſtra ſeruitia uenerit moraturus, in eiſdem permanſerit & permaneat fideliter & deuotè: nec habeat unde

unde ſe alat & ſuos: ad ſuæ & ſuorum uitę ſuſtentationem, ſibi prouentus eccleſiæ, quos ultra centum libras dicit non aſcendere, quantitatem, de noſtræ benignitatis gratia concedere dignaremur. Cuius ſupplicationib. nos benigniùs inclinati, deuotioni tuæ præcipiendo mandamus: quatenus de fructib. ſeu redditib. eccleſiæ ſuprà dictæ, eidē fideli noſtro facias uſq; ad quātitatem prædictam de cætero reſponderi: ut de fide ſeruata lætetur, & de ſeruanda in antea, magis ad noſtra ſeruitia animetur.

Item ſuper eodem uel quaſi. *Cap.* CV.

CVm H. & D. Ferrarienſes, deuotos fideles noſtros, qui pro fide Maieſtat. noſtræ ſeruanda, Ferrariam exiuerunt, & poſtmodum culmini noſtro grata ſeruitia præſtiterunt, ob eorum deuotionem ſynceram, à Maieſtate noſtra uelimus ad præſens præmium reportare: ut de obſequijs gaudeant tam exhibitis, & ad præſtanda maiora magis de cætero animentur: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus de collecta eccleſiarum iuriſdictionis tuæ, iuxta mandatū noſtrum celeriter colligenda, eiſdē fidelib. noſtris, pro parte culminis noſtri, mille libras R. Rauennati debeas exhibere: de his, quæ eis dederis, ad caute-

cautelam apodiſſam doneam recepturus.

Cuidam Communitati, ut reſtituant equos eis, qui eos perdiderant in ſeruitijs Imperatoris. Caput CVI.

SVpplicauit Excel. noſtræ B. de N. fidelis noſter, quòd cum ipſe æſtate proxima pręterita, in Lombardiam cum alijs militibus à nobis miſſus fuerit, ſicut dicit: & eo ibidem cum duobus equis, pro eiſdem noſtris ſeruitijs exiſtēte, unus equus ipſius morte naturali perierit, alter fuerit morboſus effectus: per uos qui miſiſtis eū dem, reſtitutionem ei fieri, tam mortui quàm morboſi, iuxta ſtatum ueſtrum, & ut iuſtum eſt, de noſtra gratia mādaremus Verùm, cùm ſeruitia noſtra damnoſa ſibi eſſe non debeant, fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus: quatenus, ſi uobis ita eſſe conſtiterit, & quòd ſine culpa & negligentia ſua damnum pertulerit, præfato B. fideli noſtro, reſtitutionem equorum ipſorum, ſecundum ſtatutum ueſtrum, & ut iuſtum eſt, eidem facere procuretis: ita, quod iuſta de cætero, non ſuperſit coram Maieſtate noſtra propterea materia conquerendi.

Forban-

Forbannitio, facta contra homicidam non comparentem in iudicio. Cap. CVII.

QVia T. de N. citatus extitit pro morte Ioh. de N. peremptoriè coram nobis, & non comparuit in termino propterea ſibi aſſignato ipſe, nec pro eo alius, qui eiuſdem uellet abſentiam excuſare: de cuius citatione conſtat nobis per publicum inſtrumentum: ideo propter eius contumaciam, autoritate officij noſtri, forbannimus eundem in perſona & rebus: ſi hinc ad dies 10 ad mandatum noſtrum uenire ceſſauerit, & quicunque eum offenderit ſit impunis.

Sententia depoſitionis, latæ contra quoddam Commune, quia non ceperunt homicidam. *Caput* CVIII.

QVia conſtat nobis per inquiſitioně, factam per T. Vicecomitem, demandato noſtro, quoddam homicidium fuiſſe commiſſum in territorio N. de quodam homine qui P. uocabatur, pro eo quod homicida captus nõ fuit, nec detentus iuxta ordinationě factam per nos, de capiědis & detiněndis homicidiarijs & malefactorib. ideo dictam Cõmunitatem & homines dicti Communis, autoritate officij noſtri uobis commiſſa, in 50 libris duximus condemnandos, ſoluendis hinc ad diě 10 Martij

tij receptori pecuniæ, nobis ab Imperiali Celſ. deputato, ſub pœna dupli, moderata pœna 100. talentorum indicta & impoſita per uos, de condemnandis homicidis, propter modicam quantitatem hominum & eorum etiam paupertatem.

Capitaneo, ut aſsignet prouentus duorum Caſtrorum quibuſdam, qui propter fidem ſunt exules. Caput CIX.

CVm pro gratis & acceptis ſeruitijs, quæ Rainerus, & Andreas Petri de Peruſio, fideles noſtri, Maieſtati noſtræ exhibuerunt hactenus, & exhibent inceſſanter: ac propter expertam & indubitatam fidem eorum, quam conſtantem ſemper erga nos & ſeruitia noſtra inuariabilem ſeruauerunt: uelimus eos Magnificentiæ noſtræ beneficijs fœcundare: fidelitati tuæ præcipimus, quatenus prouentus omnis Montellæ & Montis ſanctæ Mariæ, iuriſdictionis tuæ, eiſdem fidelibus noſtris ſtatuas de cætero exhiberi: & idem Caſtrum Mantellę in Caſtellaniam habendum, & tenendum uſq; ad triennium, concedas eiſdem. Ita tamen, quod triennio ipſo completo, Caſtrum ipſum ad manus Curiæ noſtræ infallibiliter reuertatur.

Pote-

Poteſtati, quod is qui bona ſua inter creditores diſtribuit, ad ſoluendum decimam Curiæ non cogatur. Cap. CX.

ALbertini Ioannis de N. fidelis Imperij, nobis oblata petitio cōtinebat, quod cum ipſe plures creditores haberet, uidens bona ſua ad ſuorum ſolutionē non ſufficere debitorum: inter creditores eoſdem, tam pro quantitate bonorum ſuorū, quàm pro quantitate debitorum ipſorum ſine ulla prolixitate cauſarum diſtribuere promiſit bona ſua: nec ideo ſibi remanſerit aliquid, unde ducere ualeat uitam ſuā: uos ſeu iudex ueſter ſibi impotenti & indigenti, ad inſtantiam creditorum ſuorum, præcepta ſicut dicitur faciatis de ſoluendo: ob quæ præcepta de ueſtro mandato compellitur ſoluere decimam, noſtram Curiam contingentem. Cum igitur Albertinus prædictus, ſibi ſupplicarit ſuper prędictis ſecundum iuſticiam prouideri: uobis Imperij autoritate mandamus, quatenus, ſi uobis conſtiterit de præmiſſis, habita diligenti cautione quòd egeat, à præceptis huiuſmodi faciendis, ut iuſtum fuerit, deſiſtatis: ne ulteriùs dictus A. coram nobis cogatur iterare querelam.

Vt capiantur forbanniti, & in Curia præſententur. Cap. CXI.

VNiuerſis uicarijs, Poteſtatib. rectoribus terrarum, & alijs Curiæ Imperialis officialib. Imp. fidelibus, per Thuſciam conſtitutis, præſentes literas inſpecturis &c. Cùm ob accuſationem, corá nobis factam per B. & G. de N. contra O. de N. & D. de N. pro eo, quod interfecerant dominum Iacobum, abbatem monaſterij Farfenſis, eorum dominum * ſpiritualem, & eidem Iacobo plurimá damna intulerant, ipſius bona temerè deuaſtando: præfatos O. & D. legitimè citari fecerimus, ut corá nobis comparere deberent, ſuper dicta accuſatione de iure in iudicio reſponſuri. Et quia ipſi uenire, uel ſufficientem pro eis reſpõſalem mittere ceſſauerũt: ideo ipſos O. & D. & quemlibet eorum, autoritate Imp. qua fungimur, exbannimus, eorum contumacia & inobedientia exigente: & pro parte Imperialis curiæ, ipſorum bona mandauimus annotari. Propter quod nolentes accuſatos eoſdem, de tam nefando exceſſu remanere aliquatenus impunitos, & ut pœná pro qualitate delicti agnoſcant, autoritate Imp. prædicta uobis pręcipi demandamus: quatenus tam ad ſupplicationem B. accuſatoris præfati, quàm etiam ex officio ueſtro, pro eo quod mandatis noſtris

* aliàs ſpecialem.

ſtris non obtemperauerint, memoratos O.& D.accuſatos, exbannitos à nobis, per perſonas capere, & eos ſub fida cuſtodia ad noſtram præſentiam deſtinari curetis: malefactores eoſdem in noſtris terris, uel eorum diſtrictibus manere uel eſſe nullatenus permiſſuri.

Forma exbannitionis, factæ contra contumaces accuſatos de homicidio. Cap. CXII.

IN Dei nomine, amen. Nos Fridericus de Antiochia, accepta querimonia Bernhardi Blanchi de Monteſillis, qui accuſauit Concium filium Gualterij, & D.eius fratrem, qui interfecerunt dominum Iacobum, abbatem monaſterij Monteſillis, eorum dominum ſpiritualem: accuſando etiam eos de incendijs, guaſtis & damnis illatis & factis per eoſdem eidem: ipſos legitimè citari fecimus peremptoriè per notarium R. de eodem loco pluribus uicibus, ſicut de citatione conſtat per inſtrumenta publica, eiuſdem notarij manu facta. Cumque præfati C.& D. non ueniſſent, & diu ultra terminos eis datos fuerint expectati, conſiderata eorum inobedientia & contumacia, Imperiali autoritate qua fungimur eos in perſonis & rebus exbanniendos duximus, ſi dehinc ad decem dies, ad mandata noſtra non uenerint euocati (cùm de tam criminali exceſſu,

ceſſu, coram nobis fuerint accuſati, & ſic contumaces extiterint ut eſt dictum) ita, ut quicunq; eos à prędicta die in antea offenderit, habeatur impunis: & quod ipſorum bona ad opus Imperialis Curiæ debeant annotari: ac quod nulla Communitas ſeu perſona eos audeat receptare, ſub pœna eis noſtro arbitrio inferenda, donec in eorum contumacia perſeuerant. Datum in &c. ſub anno &c. præſentibus talibus &c. Imperante domino Friderico, Dei gratia Romanorum Imperatore, Hieruſalem & Siciliæ rege. &c.

Quod nobiles & alij potentes conferant in dacijs & collectis cum uniuerſitate. Cap. CXIII.

TEdi ſoli ſyndici uniuerſitatis hominũ de Caprara, Imperij fideliũ, accepimus de nouo querelam: quòd cùm homines ipſi, pluribus & uarijs Imperialib. ſeruitijs, ſint ultra quàm eorum facultates ſuppetant, prægrauati, quidam uidelicet eiuſdem terræ tam nobiles quàm alij, qui ſe ciues nouos appellant, ſub nobilitatis & citadinanciæ prætextu conferre cum eis, in dacijs & collectis prędictis, Imperialibus ſeruitijs exequẽdis, iuxta quantitatem facultatis ipſorum recuſant, in ipſius uniuerſitatis præiudicium & non modicam læſionem. Cumque ſyndicus memora-

moratus,pro parte uniuerſitatis eiuſdem, eis ſuper præmiſſis poſtulauerit prouideri,uobis pręcipiendo demandamus: quatenus,ſi uobis cõſtiterit ita eſſe , pręfatos nobiles (niſi ſpeciali priuilegio,eis ab Imperiali Maieſt.cõceſſo,ſint exempti)&memoratos,qui ſe ciues nouos appellant,niſi ſint ex ueteribus ciuibus, qui per pactum inter Curiam & Commune Senenſe initum defendũtur, tempore primæ Poteſtariæ domini N.Guidonis Poteſtatis Senẽſ. pro quantitate facultatum ſuarum,pro his ſcilicet quæ tenent in eiuſdem terræ territorio,ad communicandum cum uniuerſitate præfata in dacijs & collectis cohertione qua conuenit compellatis.

Forma petitionis,in approbata forma Imperatori porrigenda. *Cap.* CXIIII.

VObis sereniſs.Imperator,lux fideliũ, protector & benefactor eorũ.Ego G. de Capiſtrello,qui audacter & ſecurè poſſum & debeo dicere ſalua cõſcientia corã Deo & uobis,ꝙ ſemper fidelis extiti & ex iſto,& ex quo ſeruire potui,inceſſanter in ſeruitijs ueſtris manſi, & maneo:ſupplico miſericordiæ ueſtræ, ꝙ cùm olim ego & progenitores mei,fideles ueſtri , habuerimus & tenuerimus quartã partẽ Capiſtrelli,qď nuper ad manum ueſtrã reduci feci

ſtis,ſuper hoc miſericorditer prouidētes, dignemini in æquiualenti ex cambio prouidere:propter quod in ſeruitijs ueſtris ualeam continuè permanere, & me cum familia mea, ad honorem ueſtrum, & commodum meum ſuſtentare.

Literæ ſecuritatis, & conductus nunciorum, in eundo & redeundo. Cap. CXV.

VNiuerſis etc.Cùm R.comitē de Laureto et L.de Landellis, Curię noſtrę iudicem, latores præſentium, fideles noſtros, ad partes Papiæ, pro quibuſdam arduis Excellentiæ noſtræ ſeruitijs deſtinemus: fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus, quatenus ipſos, cum equis, familia et reb.eorum, ſecurè permittatis in eundo et redeundo tranſire, nullam eis moleſtiam inferentes, nullumq; ab eis pedagium exigentes: quin imò ad inquiſitionem eorum in celeri et ſecuro conductu prouideatis eiſdem: ita, quod proceſſum ipſorum, ob defectum uel moram conductus, impediri uel tardari aliquatenus non contingat.

Super inquiſitione facienda, ſuper quibuſdam articulis contra moniales. Cap. CXVI.

PRidem contra moniales quaſdā Monaſterij ſancti Iuliani de Brixia, ſuper quibuſdam articulis, quos tibi mittimus

prę-

præſentibus interclusos, per Poteſtatem Cremonæ, fidelem noſtrum, cui exinde ſcripſimus, inquiri mandauimus ueritaté. Cumq; per inquiſitionem eandem, non fuerit plenè noſtro beneplacito ſatisfactum, propter quod inquiſitionem de ipſis uolumus iterari: fidelitati tuæ præcipiendo mandamus, quatenus inquiſitionis prædictæ ſuffragio, cum alio ſtudio, auxilio et ſolicitudine tua, ueritate de his diligentiùs inquiſita, ſi moniales ipſas ſuper præmiſſis inueneris culpabiles extitiſſe, eas de locis eiuſdem monaſterij, Epiſcopatus Cremonenſis uidelicet, ſtatim eijcias, et bona ipſarum omnia ad opus Curiæ noſtræ capias, et fideliter facias procurari. Si uerò per inquiſitionem, quam inde te facere uolumus, eas fortè repereris ſuper articulis prædictis innoxias: cùm pœna tenere non debeat quos culpa non grauat: moniales ipſas in locis prædictis morari ſalubriter patiaris: bona earum omnia pacificè percepturas. Interim uerò dum de prædictis ueritas inquiretur, moniales ipſas in aliquo non moleſtes, nec patiaris propterea moleſtari: quicquid feceris de prędictis, noſtræ Curiæ reſcripturus.

Significat rumores, & hortatur ut ſint fideles.
Caput CXVII.

INtelleᶜtis per uos, ex ueſtrarum ſerie literarum, & gratanter receptis rumorib. de uictoria & triumpho, per uos laudabiliter habitis, contra rebelles Imperij: exinde concipiẽtes gaudium immenſum, ſtudiũ euidens & ſolicitudinem ueſtram non immerito commẽdamus: cum operũ ueſtrorum potens efficacia, in his & aliis ueſtrã fidem ſyncerã, quam erga Imperatoriam Maieſt. inceſſanter geritis & habetis, commendabilem repręſentet. Et ecce quod ad gaudium noua ardua & proſpera, de ſiniſtro caſu, qui accidit de ciuitate Parmenſi, præſentibus uobis intimamus. Noueritis igitur, nos ab illuſtri uiro, domino Heinrico rege Sardiniæ, ſacri Imp. in Romaniola uicario generali &c. recepiſſe literas in hac forma: Heinricus &c. nobili uiro Friderico de Antiochia &c. Verùm, cùm ad omnẽ exaltationem ſacræ Imperatoriæ Maieſtatis intendere, ſine intermiſsione aliqua teneamur: uos pro parte Sererenis, domini patris noſtri, inſtãter requirimus, & ex noſtra rogamus attentiùs: quatenus, ſicut unquam circa Imperialia obſequia; ad quæ uos deditos fore cognoſcimus, uigiles & ſoliciti extitiſtis, ita ad præſens & in futurum more ſolito & magis, ſi dici poteſt, in

om-

in omne augmentum & honorem Imperialis culminis, exiſtentes: per operum efficaciam ueſter affectus, quaſi in naturam conuerſus, in cōſpectu Sereniſsimi patris noſtri, per effectum operis uos demōſtret, laudabilem & acceptum. Propterea noueritis per præſentes, quòd die qua literæ præfatę, pro parte eiuſdem regis illuſtris, charisſimi fratris noſtri, nobis præſentatæ fuerunt: per nuncium noſtrum ſpecialē di dicimus manifeſtè, quòd Sereniſsimus pater noſter apud Taurinum exiſtens: intellecto Parmenſium nefando proceſſu, iter arripuit, uerſus Parmam feliciter ueniendo in brachio excelſo, & manu potenti: ad ipſorum Parmenſium malitiam, ut conuenit, totaliter refrenendā: & quòd iā cum innumerabili exercitu apud caſtra applicuerat contra Parmam, & uſq; ad caput pontis ciuitatis ipſius, quod ad tertiam partem terræ illius capi & expugnari fecerat uiriliter & potenter, & ſic ſucceſsiuè omnem ipſorum fortitudinem expugnando, tam ciuitatem ipſam quàm comitem Bonifacium, & alios plures Imperij proditores inibi exiſtentes, uelut detruſos in eadem, uictrix manus Imperij capiet, & conteret prout decet.

Item, idem ſuper eiſdem, & hortatio ut ſe pa-rent. Caput CXVIII.

VEſtrorum corda, uelut Imperij fidelium deuotorũ, de proſperis nouis contingentibus recreari uolentes, de ſiniſtro caſu ciuitatis Parmenſis, qui nuper accidit eorum malicia inſurgente: ut unà nobiſcum proinde recreati, ad exaltationem Sereniſsimi patris noſtri, & ad Parmenſiũ ipſorum maliciam refrenandã, qui uiam rectam ueræ fidelitatis obliti, in ſiniſtram partem eorum prauos animos conuerterunt: aſſumptis uiris ueſtris & aliorum Imperij fidelium iuriſdictionis ueſtræ, in manu forti contra eos uiriliter procedere intendamus: ueſtra noſcat sereniſsima deuotio & commendata fidelitas, nos à magnifico uiro domino H. illuſtri rege Sardiniæ, recepiſſe literas in hac forma: Nobili uiro Friderico de Antiochia etc. Heinricus Dei gratia rex Turrium & Galluri etc. Volentes igitur prædicta omnia, cum celeritate qua conuenit exequi, prout decet, uos pro parte Sereniſsimi patris noſtri s inſtanter requirimus, & ex noſtra rogamus & hortamur attentius: quatenus ſtatim receptis præſentibus, more ſolito, fideliter & deuotè circa Imperialia obſequia animorum ueſtrorũ curam uigilem adhibentes, equis & armis apparatum laudabilem faciatis,

faciatis, quemadmodum tam grande negocium expoſcit ad præſens: ita, quod ad aliam requiſitionẽ noſtram, tam fideliter quàm laudabiliter unà nobiſcum, ſi opus fuerit pro prędictis, ut conuenit, ueniatis.

De remiſsione militum, ad ſuum ſeruitium tranſmiſſorum, cum hortatione. *Cap.* CXIX.

Milites ueſtros, ob noſtrę reuerẽtiam Maieſtatis ad noſtrã prouinciam deſtinatos, uel ad noſtra ſeruitia deputatos: quorum ſeruitia per operũ efficaciam ſatis grata gerimus & accepta: prouidimus hilariter ad propria remittendos. Et quia uos inter cæteros fideles noſtros de Thuſcia, ad ſeruitia fore cognoſcimus promptiores, fidem ueſtram conſtantem, quam ab experto cognoſcimus, dignis duximus laudibus multipliciter commendandam. Monentes fidelitatem ueſtram pariter & hortantes, quatenus iuxta ſolitum circa noſtræ Serenitatis augmentum, & obſequia fructuoſa, ueſtra parata exiſtat deuotio: ita, quod ipſa operum efficacia, ſemper in Excellentiæ noſtræ oculis uos commendabiles repræſentet.

Quod

Quod fiat emēda militibus, qui equos et arma, ac res alias in exercitu perdiderunt.

Caput CXX.

MIlites ueſtri, latores præſentium, fideles noſtri, qui dudum per uos ob noſtræ reuerentiam Maieſtatis ad noſtra ſeruitia deſtinati, in eiſdem ſeruitijs fideliter permanſerunt, Excellentiæ noſtræ humiliter ſupplicarunt: ut cùm ipſi pro nobis & Communi ueſtro in eiſdem ſeruitijs, in partibus Cremonenſium, contra Parmenſes & alios proditores noſtros fideliter moram traherent nobiſcum, de mandato noſtri culminis ſpeciali plurima ſint, ut aſſerunt, grauia damna paſsi, tam de equis eorũ & rebus alijs amiſsis, quàm de deſtructione domorum, ſumptib. proprijs in Victoriam factarum: ipſis fidelibus noſtris damna paſsis præfata, dignaretur noſtra Serenitas prouidere. Cumque eiſdem fidelibus noſtris, qui circa ſeruitia noſtra multipliciter laborarunt, obſequia ipſa damnoſa eſſe non debeant, ſed potius fructuoſa; ipſorum ſupplicationibus benigniùs inclinati, fidelitati ueſtræ pręcipiendo mãdamus: quatenus, ſi uobis conſtiterit de præmiſsis (dum modo nõ repugnat ciuitati ueſtræ ſtatutum) in iuſta & conuenienti emenda equorum amiſſorum, & damnorum ipſorum refectione, debeatis eiſdem

eiſdem fidelibus noſtris reſarcire ipſorum labores &onera,ne ob hoc iuſtè cogantur culmini noſtro querimoniam iterare, & ad futura obſequia noſtra, & Communis eiuſdem, in poſterum facienda, torpeant in aliquo uel tepeſcant.

Informatio iuſticiæ ad reſtitutionem rei ablatæ. Cap. CXXI.

GVuidonis Gytardini de Arecio,fidelis noſtri, culmini noſtro porrecta petitio continebat: q, cùm rector eccleſiæ S. Adriani de ciuitate ipſa,teneretur ſibi in quadam pecuniç quantitate,& mota quçſtione per eundem G.ſicut dicit, de debito ſuprà dicto coram Poteſtate Arecij,tum tẽporis prçſidẽte,contra rectorem eũdem, eiuſdem rectoris contumacia exigente,in poſſeſsionem bonorum eccleſiæ & rectoriæ prædictarum inductus extiteris, mediante iuſticia per Poteſtatem præfatum: nunc L.qui ipſius eccleſiæ rectorem ſe dicit, poſſeſsionem quam ab eodem G. per uiolentiam abſtulit, & eam detinet occupatam, in ipſius G. præiudicium & grauamen.Eodem G. tamen in noſtra prçſentia proponente,quòd, licet contra prædictũ L.de ablata ſibi poſſeſsione coram Poteſtate Aretino querimoniam poſuiſſet: idẽ L.allegãs priuilegium clericale, ſub ipſius

Pote-

Poteſtatis examine, præfato G. recuſauit de iuſticia reſpondere. Cùm igitur idem L. conquerens, ſibi ſuper hoc ſecundum iuſticiam ſupplicauit prouideri: nos ipſius ſupplicationibus benigniùs inclinati, fidelitatem ueſtram requirendam duximus & monendam, diſtrictè mandantes: quatenus coram uobis partibus, & qui de iure fuerint euocandi, legitimè conuocatis, cauſam audiatis, eandem ipſam terminaturi celeriter, prout poſtulat ordo iuris: ne pro defectu iuſticiæ, alteri partium iuſta ſit de uobis materia conquerendi.

Reſponſalis in breui forma. *Cap.* CXXII.

BEnignè receptis literis, quas nuper tua deuotio noſtro culmini deſtinauit, ſuper omnibus & ſingulis quæ ipſarum tenor explicuit, per V. de Marchia, dilectum fidelem noſtrum, quem dudum ad partes ipſas tranſmiſimus, beneplacitum noſtrum plenè tibi recolimus direxiſſe. etc.

Item de eodem, & ſignificat ſe iturum ad partes illas. *Caput* CXXIII.

DIligenter audiuimus ſingula, quę literarum tuarum, magiſtro Petro de Vineis directarum, tenor expreſsit. Noueris

ueris itaque beneplaciti noſtri eſſe, ut cùm ſimus in firmo propoſito ueniēdi Cremonam in breui, captiuus ille quem eiſdem tuis literis nominaſti, ibidem coram noſtra præſentia debeat comparere.

Informatio iuſticiæ de non moleſtandis religioſis, contra priuilegium & ſtatutum. Cap. CXXIIII.

PRo parte Prioris, & fratrum hoſpitalis ſancti Iohannis Hieroſolymitani, in Piſis, cum querela noſtræ fuit expoſitum Maieſtati: quòd cùm domus ipſa à Maieſtate noſtra priuilegium immunitatis obtinuerit, de non conferendo in aliquibus exactionibus tributorum & collectarum communi Piſano, ratione poſſeſſionum & rerum ipſarum, quas in ciuitate ipſa habent & tenent: per te & ordinationes tuas ad præſens, ſicut dicunt, contra eiuſdem priuilegij noſtri, & ſtatuti eiuſdem ciuitatis tenorem compellas eoſdem ad exactiones præfatas indebitè perſoluēdas. Cumq; ſupplicarint idem Prior & fratres, ſibi ſuper hoc ſecundū iuſticiam prouideri: ſupplicationibus eorum benigniùs inclinati, fidelitati tuę pręcipiendo mandamus: quatenus, ſi eſt ita, cōtra ipſorum priuilegij & ſtatuti tenorem memoratos Priorē & fratres, ad perſoluēdas exactiones ipſas, indebitè non cōpellas, nec permittas eos cōtra hoc in aliquib. moleſtari

ſtari

ſtari: & ſi quid præterea eſt ab eis iniuſtè ablatũ, eiſdem reſtitui facias, ut eſt iuſtũ.

Reſponſalis commendationis de præteritis, et hortans ad futura. Cap. CXXV.

GRatanter recepimus deuotionis ueſtræ literas, quas nuper culmini noſtro fideliter deſtinaſtis: & quæ continebantur in eis, diligenter noſtra Serenitas intellexit. Quod autem per literarum ipſarum tenorem demonſtratum accepimus, fidelitatem & deuotioně ueſtram, quam conſtantem & ſynceram erga Maieſtatem noſtram uigere cognoſcimus ab experto, de Serenitatis noſtræ ſtatu felici congaudere: & quod iuxta requiſitionem dilecti filij noſtri, Friderici de Antiochia, baliſtarios centum armipotentes, ad Prati cuſtodiam ueſtra deuotio deſtinauit, ibidem pro noſtris ſeruitijs moraturos, ſtudium & ſolicitudinem ueſtram proinde meritò duximus commendãdam: fidelitatem ueſtram, quæ ſemper circa obſequia noſtra, inter cæteros fideles Thuſciæ fulgere, per euidentem operis efficaciam conſueuit, monentes pariter & hortantes: ut ſemper more ſolito ad noſtræ Maieſtatis augmentum, & grata culmini noſtro præſtanda ſeruitia, uos offeratis cum effectu laudabili, tam uolũtarios quàm paratos: ita, quod

ſemper

ſemper in Excellentiæ noſtræ oculis, ipſa operum efficacia fidem ueſtram commendabilem repręſentet.

Fidelibus ſuis Thuſciæ, ut obediant Capitaneo quem mittit. Cap. CXXVI.

CVm pro congregãdo felici exercitu, ad extremam depopulationem noſtrorum rebellium, tempore congruenti: eo uidelicet, quo reges ſolent ad bella procedere: ad partes Thuſciæ, quæ inter cæteras partes & membra Imperij, membrum nobile reputãtur, Marinum de Ebulo, dilectum fidelem noſtrum, loco & uice noſtra, prouiderimus deſtinandum: uniuerſitatem ueſtram monemus attentè, firmiter præcipiendo mandantes: quatenus ſicut gratiam noſtram charam habetis, & ullo unquam tempore in oculis Maieſtatis noſtræ cupitis complacere, pro præſtitis hactenus & acceptis ſeruitijs, & pro his quæ præſtare uos expedit, in præſenti magnifica præmia recepturi: prędictum Marinum fidelem noſtrum recipiẽtes alacriter, ſicut decet, omnia ea quę idem M. ex parte noſtra præceperit, tanquã ab ore noſtro prolata, indubitabiliter deuotio ueſtra credat & adimpleat cum effectu. ut pro inſtantib. ſeruitijs, per uos culmini noſtro pręſtitis, & pro præſtãdis in antea, ueſtræ deuotio-

X nis

nis ſynceritas imprimatur perpetuò uiſceribus cordis noſtri.

Fidelibus, commendans eos de fide, & animat eos in ipſa. Cap. CXXVII.

QVia ſicut ex relatione Thomæ de Marino, ſacri Imperij in Romangia Capitanei generalis, dilecti fidelis noſtri, nuper accepimus, & nos etiam ex operum laudabilium teſtimonio certi ſumus, circa ſeruitia noſtra diligenter intenditis, & honorem noſtrum efficaciter procuratis: digna uos laude proſequimur, & noſtri fauoris gratiam tantò uobis hilariùs pollicemur, quantò præſentium negociorum & temporis tēpeſtate penſata, gratiora nunc noſtrorum fidelium obſequia reputamus. Deuotionis itaque ueſtrę conſtantiam, de qua plenè confidimus, animamus attentè: quatenus ſic circa omnia quæ honoris noſtri commoda, & rebellium noſtrorum confuſionem reſpiciunt, more ſolito robur, uires, & animos excitetis: quòd ueſtræ deuotionis integritas, de bono ſemper in melius clareat coram nobis, & ad compenſandam fidem ueſtram dignis retributionibus præmiorum, noſtræ munificentię dextera quaſi per debitum inducatur.

Cauda

Cauda concluſionis, quæ apponitur in cæteris literis commiſsionis.

Cap. CXXVIII.

Fidelitati tuæ duximus committendum, ut creditorum & debitorum, nec non & negociorum & temporũ cõditionibus & qualitate penſatis, id cum ſalubri deliberatione diſponere, quod iuri & honori noſtro uideris expedite.

Rex Conradus ſignificat fidelibus ſuis regnicolis aduentum ſuum, de Alamannia in regnum.

Caput CXXIX.

Nobis in uoto gerentibus, proſcriptis ſuperſtitioſæ dilationis diſpendijs, poſt paternæ, quinimmò dominicæ lugubrẽ fatalitatis euentum, felices Maieſtatis noſtræ greſſus dirigere celeriter, in hæreditarij regni noſtri dulces applauſus: ut ex diſpendioſo mortis excidio, corda noſtrorum fidelium doloris impulſus exaggerans, non magis procliuis ad gemitum, quàm ad caſum, aduentus noſtri tripudio præuio, & de Maieſtatis noſtræ deſiderata præſentia, dignæ cõſolationis ſumpto remedio, celerius ſedaretur. Obſtitit uerũtamẽ uotis noſtris, retardãs in poſterũ noſtrę uolũtatis affectũ, improuiſum ſacri imperij regimen, diuina clemẽtia Ma-

 gnificen-

gnificentiæ noſtræ ditioni ſubmiſſum. Cuius non contemnenda religio, debitæ gubernationis habena ſubmiſſa, inconſultè relinqui non poterat, nec conniuentibus oculis præteriri. Sub cuius ſalubri regimine prouiſa noſtræ ſolicitudinis linea, non ſine grandi intranea conſultatione librata, prout nobis digna ſuggeſsit prouiſio: ſub cuius potentia celebri uita potimur, & uincimus, fortuna noſtris arridente proceſsibus: uiribus hoſtium imperioſè cõfractis, quinimmò protinus eneruatis, ad ſalubris centrum gubernationis ducet, & ſtatus: ut nec damni diſpendium, nec culpæ cõtagium, ocio negligentię relegato, in Imperij gubernatione continget. His igitur diuina conſummatione peractis, aduentum noſtrum in regnum, uotiuis affectibus à noſtris fidelibus deuotiùs & diutiùs expectatum, antequã præſentis menſis ſpacium lapſus dierum enumeret, promptè promittimus, dubitatione uacuum, & dilatione ſecluſum.

Item commendat Panormitanos de fidelitate, & régratiatur eis de oblata pecunia.

Cap. CXXX.

LIcet à primis parentibus in uos fidei transfuſæ ſynceritas, erga claræ memoriæ

moriæ dominum patrem noſtrum, laudabilibus probata ſeruitijs, & uſque ad tempus felicis noſtri cõtinuata regiminis, ad aures noſtras tam operum exhibitione ueſtrorum, quàm aliorum relatibus & ipſius famæ propalatione peruenerit: nuper tamen, ex inſinuatione Petri Rufi de Calabria comitis Catanzari, & regni Siciliæ Mareſcalci, dilecti alũni, fidelis & familiaris noſtri, proponentis coram noſtrę Serenitatis aſpectu, de feruore ueſtræ deuotionis & fidei: poſt curã primi cultoris ſubtractam uobis fataliter, illud infallibiliter intuemur, quod de uobis quaſi per ſpeculũ in ænigmate uidebamus. Scimus enim ex teſtimonio ſuo, qualiter ipſum ad uos, pro noſtris ſeruitijs uenientem, in alacritate & reuerentia, ultra fidei debitum, ob honorem noſtri culminis recepiſtis: & ad faciendam ſibi pro parte Curiæ noſtræ promiſsionem, de certa pecuniæ quãntitate, nulla ipſius requiſitione præambula, ſed ſolo fidelitatis ardore, & motu gratuitę uoluntatis inducti: non contenti promiſsione uerbali, ſed procedentes ad actum, & uoluntatem uerbis expoſitam opere comprobantes, quantitatem promiſſam collatione inter uos habita colligere incœpiſtis, eidem Comiti pro parte noſtrę Curiæ aſsignandam. O generoſa

planta, fructifera, quę carens ad tempus plantatoris induſtria, uentorum impulſum non timuit, nec quaſſationis paſſa eſt detrimentum: & ſic grata maturitate placidos nobis fructus adducit, quod fructuoſa noſtris præſentata primordijs, fluentis gratitudinis copiam afferat, & ſub cultore idoneo, ipſius ſuffulta nutricibus reuiuiſcat. Gaudemus itaque in uobis, & in hoc ad congaudendum uos nobis inducimus: quòd ſicut Curiæ noſtræ opportunitates inſtantes tam uotiuo, quàm gratuito præueniſtis obſequio: ſic beneficia noſtra, quæ benemeriti fiducialiter à nobis expectant, deuotionem ueſtram ſpecialiter inter fideles alios proſequetur.

Secretario Siciliæ, ut faciat reſtitui bona patris proditoris, filio fideli.
Cap. CXXXI.

Fidelium noſtrorum æterna memoria, noſtro recondita pectore, quanquam natura ſuum officium exequente, per ſolutionem debiti carnis ab obſequiis deuotionis noſtræ quieſcat: ex fonte tamen noſtræ ac innatæ clementiæ liquidum fauoris riuulum, quem pater omnium ex gratia meruit, humana & benigna compaſsione percipimus diriuari miſericorditer ad hęredes. Sicque in perpetuum appa-

apparent uiuere, dum in domino mors eorum & merita in hominibus reponantur. Vt autem noueris fidem Iohann. Durdi de Meſſana, fidelis noſtri, in beneplacitis noſtris ex opere claruiſſe: cuius obitum nobis diſplicuiſſe referare dignamur: ex meritis quæ in eo uiuente comprehendimus, dum ex fide memorialiter uiuit in nobis: uolumus, & præſentium tibi tenore mandamus, quatenus Debalio filio & hæredi Iohannis prædicti, te nullatenus, intromittens, ipſum per Raij fratrem eius, fidelem noſtrum, conſtitutione noſtra ſuper hoc ædita non obſtante, de ſpeciali gracia noſtra geri, & procurari permittas: prædictis fratri & hæredibus ſuis, fidelibus noſtris, in eorum uiribus, perſonis & rebus, ob defectum eiuſdem Iohãnis, iniuriam uel grauamen inferri aliquatenus non paſſurus: immò in omnibus, quibus honoris noſtri zelus & fides pręfatos defendi & manu teneri uoluerit, eis ſtudeas ob noſtræ reuerentiam Maieſtatis adeſſe.

Magiſtro iuſticiario, de diſtributione generalis collectæ. Cap. CXXXII.

ETſi clementiæ noſtræ, motũ firmúmque propoſitum regnicolarum noſtrorum fidelium taciturnitas humilis, & deuota eorum exhortatio exonerationé meruit: quia tamé neceſsitas utilis, quam inſtãtis temporis qualitate proſequimur, propoſitum in hoc noſtræ Maieſtatis abducit, quod eorum certa ſubſidia concordi uoluntate uotorum omnium in complementum noſtri beneplaciti concurſu ſecuri, ſic confidenter accedimus, ac ſi manus ad ſcrinia noſtræ Camerę mitterem9. Ideoque fidelitati tuæ firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus quantitaté præſentibus intercluſam, per ſingulos iuſticiariatus decretæ tibi prouinciæ, per iuſticiarios, autoritate noſtra mandes imponi: uiam & modum omnem excogitans, qualiter taxanda qualitas æqualiter diſtribuatur inter uniuerſos, & ſingulos, ad facultatem cuiuslibet debitum habendo reſpectum. Sic enim nullus grauiter offeret, quod ſub æqualitate perſoluet.

Incre-

Increpando ſcribit rationalibus ſuis Apuliæ, ſuper mittenda pecunia, et ut obediant nuncio. Cap. CXXXIII.

DIſcedentes dudum de regno noſtro feliciter, præſentes ibidem haberi credidimus. Sed, ꝑut ab experto cognoſcimus, utinam præſentes alicubi ſeu uiuentes & ualidi crederemur, quin potius (quod dolentes & uerecundi referimus) tanquam ſi uos & officiales alios, ſalutis & uitæ noſtræ cautos ſolicitudo non redderet, neceſſaria uictui noſtro ſubducitis, ut ne dum honorificè uincere, ſed neceſſario uiuere non poſſimus. Ad excitandã igitur ueſtram & aliorum noſtrorum officialium, tam pernicioſam ipſius perſonæ ueſtræ deſidiam, uenerabilem Patenſem epiſcopum, fidelem noſtrum, in regno prouidimus deſtinandum. Ad cuius aduentum præter mittentis Imperium, miſſæ perſonæ uos qualitas moueat: quam uelut obſequijs Curiæ noſtræ perutilem, à noſtris aſpectibus ſeparamus inuiti: niſi quod eo uſque nos neceſsitas ipſa perduxerat, quod corporis noſtri partem (ſi fieri poſſet ſalubriter, & natura permitteret) neceſſario miſiſſemus, quòd totum & integrum è uicino uobis, cum palma deſideratæ uictoriæ pollicemur. Quicquid dein-

que dictus Epiſcopus ſuper his, uobis ex parte noſtra dixerit & mandauerit, indubitanter credere,& efficaciter percomplere curetis.

Fidelibus ſuis, ut ei quem mittit obediant ad exigendam pecuniam ab officialibus. Caput CXXXIIII.

INter ardua rerum molimina,quę ad honorem noſtrum,& perpetuam noſtrorum fidelium pacem,laudabilibus inchoata principijs, autore Domino fine iam concluſimus concupito,deuotionem fidelium regni noſtri: quam ſemper corpore, rebus & animo nobis adfuiſſe gaudemus, & in magnis quibuslibet, quæ potentia noſtra peregit,ſpecialem eſſe ac præcipuam gloriatur:tantò nunc fiducialiùs prouidimus requirendam,quantò negociorum moles expoſcit, & fideles noſtros,ex laudabili eorum quæ imminent complemento,gratos nobis,alijsque reddere diſponimus glorioſos. Cùm igitur ab uniuerſis officialibus noſtris ipſarum partium, tam præteritis,quàm præſentibus ſubuentionem requiri mandemus ad præſens: cum non ſit incongruum, ut qui per nos & in noſtris ſeruitijs ſunt promoti, ſubueniendo nobis bonorum ſuorum largitione autorem

torem nos ſentiant,& cognoſcant:confiſi de prudentia & fidelitate Rogerij de Raij fidelis noſtri, eum ad partes ipſas ad hoc ſpecialiter duximus deſtinandum. Cui commiſimus & firmiter dedimus in mandatis, ut ſecundum tenorem ſcripti taxationis, factæ in Curia noſtra, quòd ſibi ſub ſigillo noſtræ Maieſtatis fecimus aſſignari, à ſingulis inſtanter requirat & exigat:& alijs etiam qui dudum officium Curiæ noſtræ exercuerunt,pro tempore, niſi ſcripti inueniantur in prædicto ſcripto taxationis, cum conſilio & prouiſione aliorum fidelium noſtrorum, quos ad hoc duxerit requirendos, taxationem faciat debitam, & ſtatim ſicut facta fuerit requirat inſtanter & exigat ab eiſdem:compellendo prædictos omnes ad ſolutionem taxationis ſibi impoſitæ, per omnia bona ſua & etiam per perſonas, prout melius uiderit expedire: quò impoſita pecunia citius habeatur; nulli ſuper hoc deferendo perſonæ, nec alicuius faciem reuerendo. Quocirca fidelitati ueſtræ ſub obtentu gratiæ noſtræ firmiter & diſtrictè præcipiendo mandamus: quatenus eidem Rogerio fideli noſtro, tam ſuper inſtanti ſolutione taxationis,quæ facta eſt de nobis,reſpondere, parere & intendere debeatis, quàm ſuper

ſuper præſtando ſibi conſilio, auxilio, & fauore ad requiſitionem & ordinationem ipſius, ſuper agendis alijs aſsiſtere debeatis: ut ſeruitium ipſum ſibi commiſſum celeri poſſit executioni mandari, & uos de ſtudio commendare poſſimus.

Exprobrat Romanis, qui noluerunt acquieſcere monitis ſuis, & ut credant nuncijs. Caput CXXXV.

ROmanus honor, urbis gloria, & incrementum populi Romani, adeò Cæſareæ ſolicitudini tenaciter adhæſerunt, ut ad eorum promotionem frequenter literas, & inceſſanter legatos etiam mitteremus, per quos & quas noſtram ſumus conati uos inſtruere & docere beneuolentiam & fauorem: ut Romanus princeps auctricem ſui nominis, & effectus Romam excelleret, & Romanum populum, qui omnem poteſtatem in ſuum Imperatorem contulit, præ cæteris gentibus exaltaret. Et ò utinam ueſtrę generalis & unicæ deuotionis affectus propoſito, & uotis noſtris uotiuis concurriſſet, ut uelletis beneuolè proſequi noſtram beneuolentiam, & fauorem, ut ob auditores in tantum tantæ propoſitę grati-

gratitudinis non eſſetis. Nam ut & in admirationem tranſeat uniuerſis, nedum proximis, ſed remotis, quòd Romani principis monita, conſilium & promiſſa conniuentibus oculis pertranſiſtis, & oblata noſtri fauoris affectio reddat uos inexcuſabiles apud omnes, quod Romani Romanorum imperatorem reipublicę auidum, in incremento audire uel ſequi diſſimulauerunt, ad eorum commodum & profectum. Nolentes igitur circa uos, à fauore deſiſtere conſueto, ad uos N. & N. de noſtro latere duximus deſtinandos, qui uos omnes emergentia quædam pro parte noſtra perdoceant, & ut fauorabiles affectus noſtros ad ueſtros publicos honores exponant. Quare mandamus deuotioni ueſtræ, quatenus ea quæ uobis dixerint firmiter credere, & effectu proſequente complere non inefficaciter debeatis.

De commendatione regni Siciliæ, & ordinatione iuſticiæ. Cap. CXXXVI.

OCcupatis nobis circa totius reipublicæ curas, & deliciosum nihil aut modicum ualentibus cogitare, non ſunt laborum additamenta, ſed requies, quæ ad componendum ſtatum regni noſtri

ſtri Siciliæ cogitamus: utpote qui inter alia, quæ iuribus noſtris paternæ ſucceſsionis reliquerat debitum, uel fortunæ felicitas acquiſitionibus poſtmodum aggregauit, regnum ipſum præ cæteris uelut electum quoddam uiridarium inter agros, cura præcipua colere diſponamus. Ad illud potiſſimè ſatagentes, ut eradicatis in totum amaritudinis fructibus & nociuis in eo, pacis & iuſticię robore ſic affluenter, ſic prouidè nutrirentur, ut ſic admirantibus omnibus ſolicitudinis ſpeculum, inuidia principum, et norma regnorum, et cum ſtatu pacifico populorum iuſticiam roboret, et ordo decoret: ordinarium fore prouidimus ordinare iuſticiam, quã copioſè mandauimus regni noſtri fidelib. miniſtrari, ut non minus ordo quàm copia, ſanctum et prouidum uoluntatis noſtrę propoſitum præconizet. Ad cuius conſummationem, cura perſpicua uti laborantes, neceſſarium duximus.

Fidelibus ſuis de Marchia, ut parent ſe ad exercitum cum eo. Cap. CXXXVII.

CVm uires Excellentiæ noſtræ, proxima uentura æſtate, potenter et magnificè oſtendere ac extendere diſponamus, ut rebelles noſtri territi, et attriti cla-

ua

ua noſtrę potentiæ demergantur ad ima: uirtutem ueſtram et fidem, ac cæterorum noſtrorum fidelium Marchiæ, promptam uolumus et deuotam aſſurgere, ac roboratis uiribus in conſpectu noſtro pla cidè comparere: ut laudis titulis poſsitis apud Excellentiam noſtram ſemper de bono in melius promoueri.

FINIS LIBRI QVINTI.

CAPITA LIBRI SEXTI EPISTOLARVM *Petri de Vineis.*

PRiuilegium conceſſum Neapolitanis. Cap.I.
Priuilegium conceſſum comiti Acerrarum. Caput II.
Priuilegium conceſſum Aquinatibus. Cap.III.
Conceſſio Cancellariæ. Cap.IIII.
Priuilegium conceſſum Andreæ de Aquino. Caput V.
Priuilegium conceſſum Marchioni de Heimburg. Cap. VI.
Priuilegium conceſſum extraneis. Cap.VII.
Priuilegium conceſſum Friderico de Antiochia. Caput VIII.
Priuilegium conceſſum de conſtructione Aquilæ. Caput IX.
Priuilegium conceſſum Comiti Heinrico. Caput X.
Priuilegium conceſſum ad reſtitutionem deſtitutorum. Cap. XI.
Priuilegium conceſſum Iudæis. Cap. XII.
Priuilegium conceſſum, ut quod in carcere ſtetit, propter hoc non incurrat infamiam. Caput XIII.
Vt de conceſſione quarundam terrarum, facta Piſanis, filius non turbetur. Cap. XIIII.
Exordium ſuper gratijs faciendis. Cap.XV.

Lite-

Literæ diſpenſationis ſuper defectu natalium. Caput XVI.
Concedit cuidam quòd poßit fieri miles, quanquàm non ſit de genere militum. Cap. XVII.
Miſericorditer remittit ſententiam ultimi ſupplicij, cuidam homicidæ. Cap. XVIII.
Taxatio ſalarij, conſtituti in ciuitate Forlinij, poteſtatibus tribuendi. Cap. XIX.
Recipit quendam in ſuam gratiam, quem neceßitas olim tenuerat in rebellione. Cap. XX.
Conceßio aduocationis officij in quibuſdam terris Cap. XXI.
Conceßio officij Capitaniæ & iuſticiariatus. Caput. XXII.
Conceßio officij iudicatus ad certum tempus. Caput XXIII.
Concedit licentiam exercendi artem medicinæ, in quibuſdam partibus. Cap. XXIIII.
Priuilegium conceßionis cuiuſdam Caſtri in perpetuum. Cap. XXV.
Priuilegium conceſſum duci Auſtriæ, ſuper promotione ſua de duce in regem. Caput XXVI.
Exordium ſuper gratijs faciendis. Cap. XXVII.
De eodem. Cap. XXVIII.
Recipit in gratiam ſuam quendam, remittendo ei offenſas Cap. XXIX.
Priuilegium libertatis, conceſſum quibuſdam gentibus ad catholicæ fidei unitatem conuerſis. Caput XXX.
Exordium ſuper gratijs faciendis, conuerſis ad fidem

nouiter. Cap.XXXI.
Conceſsio notariatus officij. Cap.XXXII.
Recipit quoſdam fratres cum bonis ſuis ſub ſua protectione. Cap.XXXIII.

EPISTOLARVM PETRI DE VINEIS LIber ſextus.

Priuilegium conceſsum Neapolitanis. Cap. I.

NObile opus, ſedentis in ſolio clemẽtia ſuadente, proſequimur, ſi per lubrica culpæ deliramẽta cadentib. ad ſubleuanda remedia citò ſe noſtra manus habilitat, & indulgemus obnoxijs ueniã poſt reatum: pulchrũ uindictæ genus æſtimantes ignoſcere, & ſic materialis gladij refrenare licentiam: ut ſæuiendi uoluntate ſopita, temperemus interdum miſericordiæ condimento rigorem, datã nobis ab ipſo fragilitatis humanæ principio uoluntate quaſi domeſtica miſerendi. ut dum primi parentis in poſteros deriuatiua diſcrimina, in naturalem quodammodo tranſgreſſionis normam, defluxiſſe cognoſcimus, reparatiõis glorioſæ ſuffragia libenter ſupplicib. largiamur. Ea propter præſenti priuilegio nouerit, tã pręſens ętas, quã ſucceſſura

ſura poſteritas: quòd, licet uniuerſitas ciui tatis noſtræ Neapolis, dudũ propter imminentis maliciá temporis, uel quod ueri us credimus, ad falſas ſuggeſtiones calum niantiũ æmulorum, uiſa fuerit à fidei noſtræ ſemitis deuiaſſe, & ſeductorum uerbis nutrita mendacib. in eiuſdem erroris caligine coacta potius quàm uoluntaria aliquandiu perſtitiſſe: propter quod & culpæ uidebatur in dominum cõmiſiſſe diſpendium, & infamiæ notam à gentib. incurriſſe meritò notabatur. Quia tamen ad fidem uitio perfidię ſuperato, & poſt detectas fallacium uerſutias labiorum, uia cognita ueritatis, unanimiter rediјt ad fidei noſtræ cultum, & regię noſtrę miſericordię ianuam ſuppliciter propulſauit &c. nos qui miſereri eligimus potius, quàm ulciſci, omnes offenſas & culpas, quas uni uerſitas ipſa proptereà contra noſtram Maieſtatem noſcitur incurriſſe, eis de clementia nobis innata remittimus: & banna etiam in quę forſan inciderunt miſericorditer relaxamus: & omnem notam infamię, cui uiſa eſt proptereà ſubiacere, de plenitudine poteſtatis noſtrę, decreuimus abolendam. Recipientes ex nunc in antea ciuitatem ipſam, ac uniuerſos ac ſingulos ciues ipſius in plenitudinẽ fauoris & gratię noſtrę ſinũ: & reſtituẽtes eis omnia

bona ſtabilia,quæ tempore obitus domi-
ni C.patris noſtri rationabiliter tenuerũt,
ac omnes bonos uſus & conſuetudines ap
probatas,quib.eiuſdem domini patris no
ſtri tempore uti &gaudere ſunt ſoliti,con
firmantes eiſdẽ:& ut in oculis noſtris, ad
quos ſicut ad cultum noui domini redie-
runt,ſic nouæ gratiæ fructum ſe gaudeant
inueniſſe,ipſos ab omnibus dacijs,& col-
lectis,& exactionibus alijs,uſq; ad quadri
ennium,de ſpeciali munificentia noſtræ
benignitatis eximimus,ut uſq; ad tempus
ipſum completum, ſuper his nullatenus
impetantur.Præſentis itaque priuilegij au
toritate mandamus,quatenus nullus Co-
mes,uel Baro,nullus officialis, uel eius ui
carius,nulla deniq; perſona alta uel humi
lis,eccleſiaſtica uel mundana,dictos fide-
les noſtros uel aliquos eorum,contra hu-
iuſmodi gratię noſtræ formam,temerè im
pedire uel moleſtare præſumat.Ab huius-
modi uerò participatione gratiæ noſtræ
prorſus excludimus duces,& capita factio
num,qui uniuerſitatem ipſam uerbis ina-
nibus per inuia deduxerunt: quos uideli-
cet,ut actus ſuos nefarios doleant,& in ſa
licib.organa calamitoſa ſuſpendant,extra
regni noſtri limites meritò ſanximus exi-
lio puniẽdos,&omnia bona eorum ſtabi-
lia,fiſci noſtri iuribus applicanda.

Priui-

Priuilegium conceſſum comiti Acerrarum.
Caput II.

OPus in nobis egregiũ diuina clemẽtia ſuggerẽte perficimus, ſi per lubrica culpæ deliramenta cadentib. miſericordiæ celeris remedio ſubuenimus: cũ augeatur in ſubditis deuotionis uigor & fides, dum ipſos à culpis noſtræ Celſ. humanitas abluit, & noſtri honoris titulus deuotorum noſtrorum deuotione & fide creſcẽte ſuccreſcat. Sed licet in hoc noſtræ clementiæ dextera, libenter ad omnes humilitate ſuadente ſit habilis, circa illos tamẽ extenditur ſpecialiori prærogatiua libentiùs, quos carnis nobis affinitate coniunctos, ſic deuotio ſemper in antea conſolidat, ut ad rectitudinis terminum gradiendo perueniãt: quanquã ipſos interdũ oberrare cõtingat. Ea ꝓpter præſenti priuilegio notum facimus uniuerſis, quòd licet dilectus conſanguineus & fidelis noſter, T. de Aquino comes Acerrarũ, olim æmulorum noſtrorum ſuggeſtione ſeductus, ul ſus tãtiſper fuerit à noſtris beneplacitis deuiaſſe: quia tamen errore depoſito, nunc ad fidem & mãdata noſtra ſpõtaneus ſe conuertit: nos q eundẽ T. conſciẽtiæ purę conſtantiã erga nos ſemper geſſiſſe cõfidimus omnes offenſas & culpas, quas idẽ comes & Iacobus frater eius, familiares & ſequa

ces eorum cum ipſis, contra Maieſtatem noſtram propterea incurriſſe noſcuntur, eis clementer duximus remittendas: recipientes ipſos decęterò in plenitudinē fauoris, et gratię noſtrę ſinum. Et ut in oculis noſtris gratiam liberaliorem ſe gaudeant inueniſſe, Comitatum et feudum Acerrarum, cum ciuitatibus, caſtris, caſalibus, honoribus omnib. iuribus & pertinētijs eorundem, eidem T. & hæredibus ſuis in perpetuum damus, & etiam confirmamus. Partem etiam terrarum, dictum T. & Iacobum fratrem eius in bonis patrimonialibus rationabiliter contingentem, cùm uiuant more Lombardo, pro indiuiſo eiſdem fratribus fidelib. noſtris dandā & cōcedendā duximus, ac etiam confirmandā.

Priuilegium conceſſum Aquinatibus. Cap. III.

SAtis nobis cedit ad gloriam, & regiæ dignitatis faſtigia ſublimamus, ſi motus noſtros clemētiæ uirtute proſpicimus & māſuetudinem in ſubditos exercemus: cum creſcat in eis etiam erga nos uigor deuotionis & fidei, ſi fragilitatis humanæ memores, aliquid ſeueritati detrahimus: quæ punire poſſemus in gladio, lenimento miſericordiæ mitigamus. Ea propter p præſens ſcriptū notum facimus uniuerſis fidelib. noſtris, tam præſentibus, quàm futuris: quod, licet uniuerſitas ciuitatis

Aqui-

Aquini dudum propter maliciam tempo ris tunc inſtantis, ad falſas ſuggeſtiones ęmulorũ noſtrorũ, uiſa fuerit à fidei noſtræ ſemitis deuiaſſe: quia tamen ſaniori ducta conſilio, ad fidem & beneplacitum noſtrũ concorditer redijt, & noſtræ miſericordię gratiã humiliter implorauit: nos qui pulchrũ uindictę genus æſtimamus, ignoſcere omnes offenſas, quas uniuerſitas ipſa & ſinguli homines ciuitatis ipſius cõtra Maieſt. noſtram propterea uiſi ſunt hactenus incurriſſe, eis de clementia nobis innatare mittimus, & ut ipſos benignè recepimus in gratiæ noſtræ ſinum.

Conceßio Cancellariæ. *Cap.* IIII.

SAtis honoris noſtri faſtigia credimus prudenter extollere, ſi ad regię poteſtatis negocia cõſilijs utiq; ꝓmouẽda, non caſib. uiros pręclaros erigimus, & rectores idoneos pręluſtrib. officijs coaptamus, ut ſic eorũ probitas laudata, nõ algeat, dũ ſua ſint nomina faſcib. intitulata magnificis, & mẽtis noſtræ tranquillitas nõ uacillet, dum latera noſtra proſpicimus ꝓuidis decorata miniſtris. In hoc etiã liberalitatis noſtrę nõ erat intẽtio, ut quotiẽs perſonas dignas & ſufficientes inueniat, honores eis & beneplacita inculcet & onera gratioſe, circa eos quaſi de liberalitatis

promptuario pleno fluat. Ea propter per præſens priuilegiũ nouerit tam pręſens ętas, quàm ſucceſſura poſteritas, quod nos attendentes fidem puram & deuotionem ſynceram, notam prudentiam, & ſufficientiam approbatam T. de Otra, dilecti & fidelis noſtri: uolentes etiam, ut idem cuius legalitati de negocijs ciſmarinis onera confidenter iniũgimus, ſuum ultramare ſe dilatare gaudeat magiſtratum: ipſum nuper prouida conſilij deliberatione præhabita, Cancellarium hęreditarij regni noſtri Hieroſolymitani, ſolenniter duximus ſtatuendum: poteſtatem liberam, & autoritatem plenariam concedentes eidem, ut officiũ ipſum cum omnibus iuribus & pertinentijs ſuis, in regno ipſo Siciliæ licitè ualeat exercerę.

Priuilegium conceſſum Andreæ de Aquino, Caput V.

PVlchrũ in ſubditis humanitatis opus exequimur, ſi lapſis interdũ per lubricæ culpæ conuitium, miſericordiæ celeris remedio ſubuenimus: cum ſummum uindictę genus credamus ignoſcere, nolumus ſemper culpas deleri per gladium, in quibus rigorẽ poſſumus tẽperamento clemẽtię mitigare. Ea ꝑpter pręſenti priuilegio notũ facimus, uniuerſis tã præſentib. quã futu-

futuris:q, licet A.de Aquino fidelis noſter, olim ad falſas ſuggeſtiones ęmulorum noſtrorum,uiſus fuerit à noſtris beneplacitis deuiaſſe:quia tamen ſaniori ductus conſilio, ſpontaneus redijt ad fidei noſtræ cultum,& noſtræ miſericordiæ gratiam ſuppliciter implorauit: nos qui (humanitatē nobis diuina ſuadente clementia) miſereri libentiùs uolumus quàm ulciſci,omnes offenſas &culpas,quas idem A.contra Maieſtatem noſtram uiſus eſt hactenus incurriſſe, clementer ei duximus remittendas, recipientes eum in gratiæ noſtræ ſinum. Ex abundanti quoque gratia, quæ conſueuit ſeruitia remunerare fidelium, totam terram eidem A. fideli noſtro, tam paterno & materno iure, quàm ex conceſsione quondam diuì Auguſti domini patris noſtri ſpectantem: nec non terram quam tenuit olim ratione uxoris ſuæ cum caſalibus,hominibus,& pertinentijs ſuis,dicto A.& hæredibus ſuis in perpetuum,de ſpeciali gratia & ex certa ſcientia noſtra damus,concedimus,& etiam confirmamus.

Priuilegium conceſſum Marchioni de Haimburg.
Cap. VI.

ETſi culpæ traductio, quæ in dominos interdum à ſubditis humanarum fragilitate committitur non tantum ſoleat præteritam notare progeniem, ſed & poſteritatis innocentiam infamare: illos tamen huiuſmodi uota non obligat, quos natiuæ fidei radicibus ſolidatos, contrarijs uentorum impulſibus flecti, naturæ ſynceritas non permittit. Sed uelut quæ ſpinis origine roſa communicans, odoris fragrantiam non amittit, tantò plus aliqui laudis & famæ præconia promerentur, quantò remotiùs à ſuorum erroribus fugientes, ſic deuotionis & fidei claritate tripudiant, ut nec ſentiant ſanguinis identitate contagium, nec proxima carnis molliri dulcedine patiantur. Hac itaque conſideratione commoniti, præſenti priuilegio notum facimus uniuerſis, tam præſentibus quàm futuris: quod nos attendentes inuiolabilem deuotionis & fidei puritatem, quam A. Marchio de Haimburg, comes Aſtuli, & magnus regni Siciliæ Mareſcalcus, dilectus conſanguineus & familiaris noſter, nobiſcum ab annis teneris tam mentis ſynceritate, quàm ſanguinis communione contraxit, ſibi de ſpeciali gratia & ex certa ſcientia noſtra, promitti-

mittimus: quòd ſiue aliquem conſanguineum uel affinem eius, tam ex parte uxoris ſuæ, quàm alio quocunque modo, interdum per culpæ lubricum à fide noſtri nominis deuiare contigerit, uel in læſionem honoris noſtri aliquid attentare: dictum Marchionem, uxorem, & hæredes ſuos, nunquam propterea ſuſpectos habebimus, nec alicui uolumus pœnæ uel infamię ſubiacere. Sed ut contraria iuxta ſe poſita clariùs eluceſcant, memoratum Marchionem, conſanguineorum uel affinium ſuorum culpis quibuslibet nullatenus obſiſtentibus, tantò reputabimus chariorem, quantò clariorem fidem eius laudabilium operum experimenta ſentimus ad præſens, & ſentire confidimus firmiter in futurum. Præſenti itaque noſtræ Maieſtatis edicto, firmiter ualituro, ſanximus: ut nullus ſit, qui eundem Marchionem, uxorem & hæredes ſuos, occaſione prædicta, contra huiuſmodi gratiæ noſtræ formam impetere, aut cuiuſquam ipſis notam infamiæ temerè irrogare præſumat. Quod qui præſumpſerit, indignationem noſtram ſe nouerit incurſurum.

Priui-

Priuilegium conceſſum extraneis. *Cap.* VII.

ETſi cauſarum uarietas,quę proceſsibus noſtris improuidè ſemper circũfluit,& nacionum pluralitas, quę ſub dominij noſtri felicitate reſpirat, in ſtatu uiuendi pacifico, cauſam nobis continuæ meditationis adducant: quadam tamen prærogatiua familiaris cogitationis inducimur, & aſsidua meditatione penſamus, qualiter peculiaris regni noſtri Siciliæ populus,cuius ſpecialiter nos cura ſollicitat, cuius nobis eſt hæreditas omni poſſeſsione præclarior,ſic trãquillitatis decore præ polleat,ut ſub Cæſaris Auguſti temporib. augeatur. Vidẽtes uerò hoc fieri non poſſe commodiùs, quàm ſi eiuſdem regni locuples gremium,ad ubertatis ſuæ participiũ recipiat extraneos & alienigenas, filijs, quos fidelium tamen loca pepererint fœcundetur. Quare magna quadã prouiſione decreuimns, ut quicũque regni noſtri filius effici cupiens,domicilijs illuc & familijs omnino translatis,ipſius habere uoluerit incolatum,ut ad locum paſcuæ liberè ueniat, & ab eius grata fertilitate ueſcatur,&præter naturę plenitudinem gratię, quam ſibi fauorabiliter pollicemur, & in collectis & exactionibus publicis immunitate decẽnij,ſe gaudeat incommutabiliter potiturum.

Priuile-

Priuilegium conceſſum Friderico de Antiochia. *Caput* VIII.

LIcet ad quorumlibet noſtrorum fidelium munificè proſequenda ſeruitia, liberalitatis noſtræ manus quadam generalitate ſit habilis:illis tamen quadam ſpecialitate ſit debitrix: in quibus ſanguinis identitatem agnoſcimus, & fidei puræ cõſtantiam inuenimus, quorumq; deuotio non ſolũ pręſtitis placere cupit obſequijs, ſed ſperatur in antea potius placitura præſtandis. Ea propter pręſenti priuilegio notum facimus uniuerſis, tam præſentibus quàm futuris:quod nos attendẽtes inuiolabilem deuotionis & fidei puritatẽ, quã Fridericus de Antiochia, Albæ, Celani, & Laureti comes,chariſsimus frater & fidelis noſter,erga diuum Auguſtũ(claræ memoriæ)dominum patrem noſtrum,& nos conſtanter noſcitur habuiſſe: conſiderantes etiam labores cõtinuo,& onera expenſarum, quæ ad honorem noſtri culminis ſubiiſſe probatur: nec non alia ſatis grata & accepta ſeruitia,quę ipſum laudabiliter hactenus nobis exhibuiſſe cognoſcimus, & inceſſanter ad præſens exhibere ſentimus,ac eum exhibiturum pro firmo credimus in futurum:comitatum dudum ſibi à domino patre noſtro conceſſum, nec non comitatus N. ad manus noſtræ Curiæ rationa-

tionabiliter deuolutos,cum ciuitatib. caſalibus, uillis, hominib.poſſeſsionib. honoribus,uſibus,iuribus,patronatibus eccleſiarum uacantium, & non uacantium, terris cultis,& non cultis,aquis,&aquarũ decurſibus, molendinis, piſcarijs, ſyluis, nemoribus,uenationibus,montibus,planis,uallibus, iuſticijs & rationibus, ſibi & hæredibus ſuis in perpetuum, de ſpeciali gratia & ex certa ſcientia noſtra damus, concedimus,& etiam confirmamus: inhibentes & perpetuum ſilentium imponentes omnibus,qui comitatus prędictos uel partem eorum ad ſe uellent dicere pertinere,occaſione,quod eos, uel partem ipſorum,tam ipſi quàm prędeceſſores eorũ, aliquo tempore tenuiſſent.

Priuilegium conceſſum de conſtructione Aquilæ.
Caput IX.

REgnãtibus nobis feliciter, & triumphantib.ac uictorioſè degentibus in hæreditario regno noſtro Siciliæ,illud occurrit præcipuè prouida deliberatiõe penſandum, qualiter utrumq; tempus,pacis uidelicet & bellorũ,ſub ditione noſtrę potentiæ ſalubriter dirigatur: & quomodo ſubactis iam undiq; rebelliõis obſtaculis, id quod bellico ſudore quęſiuimus in ſtatu pacifico gubernemus:amatoresq;pacis ſub umbra alarum noſtrarum uiuere cupientes,

pientes, foueamus ſalubriter, & noſtræ potentię dextera protegamus: ac gladius noſter, quem ad uindictam malorum, ad laudem uerò bonorum ſuſcepimus, in facinoroſos ſic ſæuiat, quod innoxios tueatur. Hac itaque conſideratione commoniti, confinia regni noſtri Siciliæ, & maximè circa partes Aprucij: unde uelut per expoſitum intrantibus hoſtium, ad pomerij noſtri delicias aggreſſus hoſtibus ſæpe iam patuit, & partes intrinſecas manus interdum prædonica uiolauit: taliter prouidimus ordinanda, quod in partibus illis, noua plantatione fidelium propagata, proditoribus noſtris & rebellibus, pro tempore inſultantibus ex aduerſo, malefaciendi aditus præcludatur, & alijs quorum uita & ſalus à Celſitudine noſtra dependet, quies & pax perpetua præparentur. Volentes igitur illuc ſalubribus occurſare remedijs, unde morbus interdum obrepere conſueuit, dum ex præteritis etiam experta conditio, magiſtram ſe nobis exhibeat futurorum, prouida nuper conſideratione prouidimus: ut in loco qui dicitur Aquila, inter Furconem & Amiternum, de circum adiacentibus caſtris & etiam terris: quæ uelut in membra diſperſa, quantacunque fidei claritate uigentia, nec noſtrorum rebel-

rebellium poterant repugnare conatibus, nec inter ſe ſibi mutuis auxilijs ſubuenire:unius corporis ciuitas conſtruatur,quá ab ipſius loci uocabulo,& à uictricium ſignorum noſtrorum auſpicijs,Aquilæ nomine decreuimus titulandam : Ex quo illud præcipuè nobis honoris & commodi credimus prouenturum, quòd dum proinde ſicut unum ex pluribus,ſic totum ex partibus componatur,quaſi in eis dilectionis nouæ concordia (per quam & rerum primordia,& totius mundi elementa con creuerant) liberiùs poterunt ciuitatis eiuſdem incolæ, uiolentis inſultibus æmulorum noſtra ſeruitia proſequendo reſiſtere, quibus ipſos hactenus acquieſcere forſan oportebat inuitos. Vt igitur tam nobile opus noſtrarum manuum ſpeciali munificentiæ noſtræ gratia ſe gaudeat inſignitum,ciuitatem ipſam infrà ſcriptis finibus,uidelicet à cornu Putridi uſque per totum Amiternum ſtatuimus limitãdum: publicantes ad ſitum & diſtrictum ciuitatis ipſius, & ad opus uniuerſitatis eiuſdẽ, colles omnes adiacentes,qui Aquila nuncupantur,& terras omnes circumquaque iacẽtes:exceptis C.& P. quas N.& N.dicti fideles noſtri habere noſcũtur ad præſens, uel habituri ſunt in antea, de ſtallis & recompenſationib. uaſallorum ſuorũ, quos

Stalla, id eſt, ſtabulum.

ibidem

ibidem hactenus habuerunt. Decernentes etiã & publicantes ad opus uniuerſitatis ipſius ſyluas omnes, & nemora terrarum omnium, exiſtentiũ infra limites ſuprà dictos: ac ad opus omnium qui ad eiuſdem ciuitatis uenient incolatum, liberam poteſtatem & licentiam concedentes uniuerſitati ipſius ciuitatis, ut loca pro caſalinis & collibus ipſis infra & extra mœnia ciuitatis & terras alias, uẽdere, locare, & gratis cõcedere, quibuſcunq; perſonis uoluerint liberè ualeant, pro ſuę libito uoluntatis: quæ in ius & proprietatẽ recipientium cedere uolumus, & iubemus. Eximimus quoque de plenitudine poteſtatis noſtræ ac ſpeciali gratia, & ex certa ſciẽtia noſtra, uniuerſos & ſingulos milites noſtros populares, & omnes infra fines prædictos contẽtos, cuiuſcunq; cõditionis uel profeſsionis exiſtant, hæredes & ſucceſſores eorum, cum omnibus bonis ſuis in perpetuũ ab omni dominio & iuriſdictione ſeu conditione comitum, uel aliarũ quarumlibet perſonarum: penitus liberantes eos ab omnibus perſonalib. & realibus ſeruitijs ac præſtationibus, quibuſcunq; perſonis generaliter ſeu ſpecialiter teneantur, & ſunt de iure uel de facto, ſeu aliqua conſuetudine obligati: & abſoluẽtes eos ab omni fidelitate uaſallagij ſeu homagij iuramẽto

Z quod

quod de mandato prędeceſſorũ noſtrorũ, aut noſtro, uel ſine mandato prædictis do minis eorum hactenus præſtiterunt: non obſtantibus priuilegiis prędeceſſorum no ſtrorũ, uel noſtris, indultis dominis eorun dem: qui contra huiuſmodi gratiæ noſtræ formam uires uolumus non habere. Prędi ctos quoq; homines, cõtentos infra fines prædictos, cum omnib. bonis eorũ, ad dominiũ & manus noſtras recepimus; & tam eos hæredes ſucceſſoresq; ſuos, quàm ciui tatẽ eandẽ, promittimus in ſpeciali noſtro & hæredũ noſtrorũ dominio & demanio, tanquã, ſpecialẽ cameram tetinere: ſub do minio prædictorũ comitũ, uel aliarũ quarumlibet perſonarũ, generaliter, uel particulariter nullo unquã tẽpore reducẽdos, caſtris & ædificijs cõtentis infra fines ſupe rius deſignatos, infra duos menſes ab ingreſſu ciuitatis ipſius funditus diruẽdis, ac in poſterũ nullatenus reparãdis. Illis dun taxat exceptis, quæ pro Curia noſtra uolu mus cuſtodiri: & excepto Caſſari caſtro q̧ G. & eius hęredib. reſeruamus, ſtatuẽtes ut ciuitas ipſa, & ſinguli habitatores ipſius, totaq; poſteritas eorundẽ, omnibus bonis ſuis uſibus, ſicut alię ciuitatis fideliũ regni noſtri demanij, gaudeant & utantur: & ut ciuitas ipſa bonis habitatoribus de bono ſemper in melius amplietur. Præſenti etiã

priui-

priuilegio indulgemus eiſdem, ut quicunque de exteris partibus noſtrorum fidelium (exceptis C. & P.) ciuitatis eiuſdem elegerint incolatum, illuc ſalubriter ueniant, & ſecurè morentur cum alijs prædictæ terrę ciuibus: communi priuilegio gauiſuri, & ab eis per nos uel ſucceſſores noſtros nullo unquam tempore reuocandum. Ad decorem etiam & continua incrementa ciuitatis ipſius, concedimus, ut ciuitas ipſa ſecundum diſpoſitionem uniuerſitatis eiuſdem, ad ſui cautelam murorum ambitu ualeat communiri, & interius ex nunc murorum ædificijs decorari: quæ tamen quinque cannarum uel ullarum altitudinem non extendant. In ipſa etiã generales nundinæ bis fiant in anno, per uiginti dies, uice qualibet duraturę, & particulare forum ter in hebdomada liberè ualeãt celebrare. ad quorũ cõmercia uniuerſi & ſinguli, de quibuſcunq; partib. cum mercimonijs & reb. eorum ſub protectione noſtri nominis & culminis, ſecurè ueniant, & morentur, & ad propria reuertantur. Ne igitur ex hac ordinatiõe noſtra ſalubri, quam pro generali bono & commodo regni noſtri nuper edidimꝰ, fideles noſtri quondam domini militum & hominum prędictorum, lęſos ſeu damnificatos ſe in ſubtractione ſuorum iurium meritò

conqueri poſsint, de uolũtate hominum eorundé inuiolabiliter ſtatuimus,& mandamus:ut compenſatione eorum quę dudum ab ipſis hominibus prȩfatis dominis debebantur,octauam partem tantum bonorum ſtabilium ſinguli, omnes ſingulis quõdam dominis ſuis, in uno loco tãtum conferant, & aſsignent: octauis ipſis poſt modũ taliter inter dominos quos uoluerint & ipſos homines permutandis,quod de ualore octauarũ partium, in tribus aut quatuor locis ad plus,in territorio uidelicet Caſtri cuiuslibet, in locis melioribus & mediocribus,prædictorum dominis integrè ſatisfiat: eccleſijs & religioſis locis in honore militũ habentibus bona ſua ab huiuſmodi collatione bonorum,dominis facienda prorſus exceptis: quos libertatibus & exemptionibus omnibus,quæ ſuperiùs exprimuntur,uti uolumus & gaudere.De ſeruitijs autem,quę à prȩdictis hactenus debebãtur ſuper hoc, præcipimus obſeruari, ut in caſtro quolibet per uiros idoneos diligenti inquiſitione præmiſſa, tantũ ſinguli ſingulis dominis,pro redemptione bonorũ ſuorum in pecunia, uel rebus alijs ſimul & ſemel exoluãt,quatenus debita & huiuſmodi redditus, uſq; ad annos uiginti ualere conſtabit. Nos auté qui ſuper hoc priuatorũ iura illæſa ſeruamus, nolen-

nolentes fiſci noſtri cōpendia ſub ſilentio prętерire, pręſenti priuilegio declaramus, quod in ciuitate pręducta habere uolumus caſtrum unum, uniuerſitatis eiuſdem ſum ptibus conſtruendum. Si quis uerò ſanctioni noſtræ huiuſmodi auſu temerario præſumpſerit contraire, pręter indignatio nem noſtri culminis, quam ſe nouit incur ſurũ, centũ libras auri puri fiſco noſtro cō ponat, medietatẽ ipſarum Curię noſtrę, re liqua medietate paſſo iniuriá applicanda.

Priuilegium conceſſum Comiti Heinrico. Cap. X.

TEnore præſentium notum facimus, quod nos attendẽtes merita fidei, quã ad nos & Imperiũ ſpecialiter dudũ Heinricus comes de N. habuit, rerum diſpendia, & perſonæ periculum non uitãdo, licet ſe modico tempore à ſeruitijs noſtris, inſtin ctu alicuius ſuggeſtionis auerterit: quia tñ duximus gratiol è tam deuotum reuocare ſubiectum, & in plenitudinẽ noſtrę gratiæ reformare ipſum, reſpectu antiquæ fidei, quam in magnis neceſsitatib. noſtris, pro noſtri honoris nomine inuiolabiliter obſeruauit, in gratiam noſtrę recepimus Maieſtatis: ei omnem offenſam & culpam, quam pro mutatione præſenti no ſcitur commiſiſſe etc.

Priuilegium conceſſum ad reſtitutionem deſtituti.
Cap XI.

ETſi mera beneficia principum à ſola gratiæ liberalitate proueniãt, multũ tamen decoris, & cauſam ſecum celebres proſecutionis adducũt, ſi oleo condita iuſticiæ in ſubiectos ſic effluunt, ut ſua quibuſcunq; petentib. iura reddant. Ad quod dominãtis autoritas, tanto prębere debet uirtutis amore ſe habilem, quanto ſibi per id honoris augmẽta magnificat, & grãdis in ſubditis deuotiõis incremẽta cõponit. Quæ licet cõmuniter ſe extẽdere lege naturæ patiatur ad ſingulos, circa illos tamẽ precipuè quaſi ſpõtanea neceſsitate ſe ingerit, quos & plenitudo iuſticiæ inſita petioni coadiuuat, & ſeruitij gratitudo multiplicis an exauditione gratiæ comitatur. Hac itaq; ratione cõmoniti, præſenti priuilegio notũ facimus uniuerſis, tam præſentib. quàm futuris: quod nos attendẽtes purę fidei & deuotionis conſtantiã quam uniuerſitas ciuitatis C. erga diuũ Auguſtũ, quondam dñm patrem noſtrũ, & nos ſemper noſcitur habuiſſe: conſiderãtes etiam grata ſatis & accepta ſeruitia, quæ ab uniuerſis & ſingulis hominib. ciuitatis ipſius, prompta deuotione nobis exhibentur ad præſens, & exhiberi poterũt in futurum: uniuerſos & ſingulos ruſticos & cenſiles, ſeu

ſeu quocũq; alio ſeruitutis uocabulo nuncupentur, quos ſeruitijs aliquorũ prælatorum & ciuiũ ciuitatis prædictæ, ab aliquo fuiſſe cõperimus perſonaliter obligatos: licet ad tempus de mãdato dñi genitoris noſtri, eorum fuerint iurib. deſtituti: ipſorum tñ exceſsib. preponderante iuſticia, & fide nos ad gratiã inuitante, dictis fidelib. noſtris, qui dominatũ ſeu iuriſdictionem in eorũdem perſonis uel rebus habere noſcuntur, tam iuſtè reſtituendos decreuimus, quàm gratioſè ipſos nouiter eis duximus concedendos: poteſtatem plenariã tribuẽtes eiſdẽ, ut dominio, iuriſdictione debitis & cõſuetis ſeruitijs ac redditibus, prout melius retroactis temporib. uti ſunt ſoliti, quietè de cetero gaudeãt & utantur.

Priuilegium conceſſum Iudæis. Cap. XII.

ET ſũ munificẽtiæ noſtræ gratia, cũctis quos noſtrũ regit imperiũ cõmunis debeat eſſe fidelibus: illos tamen gratiori humilitate complectimur, legis humilioris quos grauat cõditio, & qui in ſola protectione noſtrę lenitatis reſpirant. Per preſens igitur priuilegium, præſens ætas nouerit & ſucceſſura poſteritas: quod nos attendentes imbecillitatem gẽtis Iudaiſmi, & quod omnes & ſinguli Iudæi degentes ubique per terras noſtrę iuriſdictioni ſubiectas, Chriſtianę legis & imperij prerogatiua

tiua (qua dominamur & uiuimus) ſerui ſunt noſtræ Cameræ ſpeciales : ad ſupplicationes C.& O. ſeruorum noſtrorũ, perſonas, filios & filias, ac omnia bona eorum, quæ in præſentiarum iuſtè tenent & poſsident, & in antea iuſto titulo poterunt adipiſci, ſub protectione noſtra & Imperij noſtri recipimus ſpeciali : bonos uſus & approbatas cõſuetudines, quibus temporibus diuorum Auguſtorum prędeceſſorum noſtrorum noſtrum(recolendæ memoriæ)uſi ſunt, hactenus ipſis in ſeruitijs & debitæ fidei noſtræ conſtantia perſiſtentibus, de munificentia noſtrę gratię & ex certa ſcientia confirmamus.

Priuilegium conceſſum, ut qui in carcere ſtetit, propter hoc non incurrat infamiam. Cap. XIII.

SAtis nobis cedit ad gloriam, & noſtris fidelib. ad profectũ, ſi motus noſtros, quos armat potentia, ſic manſuetudine decoremus, ut pœnæ duritiem, quã iuris rigor aliquando dictat in ſubditos, clementię noſtrę molliamus unguentis: cùm creſcat in ſubditis uigor, dum pœna remittitur, & dum deuotorum ſuccreſcit cumulus, noſtri honoris per conſequens titulus augeatur. Hac itaque ratione commoniti, tenore præſentium notum facimus uniuerſis, quòd licet olim C. & O. fideles

fideles noſtri,ob notas aliquas,quibus eos plus aliquorum calumniæ detractio, quàm iuſticiæ regula fecit obnoxios,de mandato diui Auguſti,quondam domini genitoris noſtri(felicis memoriæ)in inſulam Malce fuerint deportati,& propterea uiſi fuerint notas alicuius infamiæ contraxiſſe:quia tamen humanitate nobis ſuadẽte clementiam,ipſos,carcere quo tenebantur abſolui,& à deportatione ipſa mãdauimus reuocari:omnem offenſam & notam infamiæ,quam propterea incurriſſe noſcũtur,de noſtræ plenitudinis poteſtate abolemus & remittimus,lege uel conſuetudine aliqua nullatenus obſiſtente.

Vt de conceßione quarundam terrarum,facta Piſanis, filius non turbetur.
Cap. XIIII.

NOticiam tuam nullatenus latere uolumus,quòd exigente negociorum & temporum tempeſtate, quæ noſtrę liberalitatis ordinem in pleriſq; permutant, utilitate nihilominus quo minus neceſsitate rigida ſuadente,prouincias Lunæſanam & Gorſagnanenſem olim tibi paterna deuotione collatas,nuper Communibus Piſanorum & Lucanorum prouidimus concedendas. Ex quo,licet poſſet in patre quodammodo notam inhumanita-

tis obijcere, quòd de filij ſpolijs ditauit extraneos, & liberalitatis munificæ gratiam, quam in te dudum infuderat, ablatiua nunc uacuatione confundat. Si tamen collationis huiuſmodi qualitas, & conferentis affectus diligẽter attenditur, turbari te propterea debere non credimus, ſed id ferre potius ęquanimiter arbitramur. Cũ in probabili debeas argumento præſumere, ut qui noſtræ munificentiæ dexteram ad fideles benemeritos libenter extẽdimus, tãtò tibi libentiùs & liberiùs porrigamus, quantò nobis hoc ardentiùs & ius ſuggerit, & natura: dum apud nos grandia, duplici ratione pro meritis, carnis nobis idẽtitate participas, & labores noſtros & onera ſtudioſus & peruigil continua communicatione ſupportas. Volumus igitur prouiſionem huiuſmodi, qua nec dum per actum gratificari te credimus, ſed cõſulere potius per agendum, ratam habere debeas, & abſque dilatione qualibet acceptare ſecurus, quod ſic tibi in alijs maioribus paterna prouidentia prouidebit, quod & dictis te ceſſiſſe prouincijs, & noſtris inſudare ſeruitijs meritò delectabit.

Exordium ſuper gratijs faciendis. Cap. XV.

LIcet ad proſequenda munificè uota fidelium, liberalitatis regiæ dextera generali quadam irregularitate ſit habilis: illis

illis tamen gratioſa porrigitur quadã ſpecialitate liberior, quos ad obſequia grata continuos, fructuoſos & utiles, claris ſemper indiciis experimur.

Literæ diſpenſationis, ſuper defectu natalium.

Cap. XVI.

DIgnum eſſe decreuimus & conſentaneum rationi, ut ij quos interdum in legitimis actibus, defectus natalium impedit legitimationis honore, per principẽ reparentur: & ſi quando ſuper his Imperialis fauor fidelium ſuorum ſupplicatione requiritur, liberaliter largiatur. Inde eſt quod cum magiſter T. de Curis, clericus, fidelis noſter, pro legitimatione P. S. & M. filiorum ſuorum, quos ipſe dudum in ſacris Ordinibus cõſtitutus, ex B. de eadem terra muliere ſoluta, ſe aſſerit genuiſſe, Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicauit: nos ſupplicationib. ſuis benigniùs inclinati, p̃dictis N. dẽ plenitudine poteſtatis noſtrę, ex certa ſcientia eos ſpurios eſſe ſcientes, legitimauimus, & omnia iura legitima reſtituimus: ut tãquam legitimi & legitimo thoro nati, in bonis paternis & maternis, quæ feudalia non exiſtunt ſuccedant, & ad omnes actus publicos & ciuiles honores, ſi caſus ſe ingeſſerit admittantur: & in omnibus aliis ſuam liberè proſequi ualeant actionem, obiectione prolis illicitæ in poſterum quieſcente, & lege aliqua

non obſtante,& ea præcipuè quæ legitimari ſpurios niſi ex certa ſcientia non permittit:ita tamen,quod uiceſimam partem prouentuum omnium bonorũ,quæ prædictæ legitimationis beneficio ad legitimos eoſdem prouenerint, ſingulis annis reddant Curiæ noſtræ,in recognitionem gratiæ,quá eis ſuper hoc duximus indulgendam. Ad huiuſmodi autem rei memoriam &c.

Concedit cuidam quod poßit fieri miles, quanquã non ſit de genere militum. Cap. XVII.

NOtum facimus uniuerſis, qđ A.de N.Maieſt.noſtrę humiliter ſupplicauit,ut cũ uelit fieri miles,& pater ſuus miles non eſſet,ſibi exinde largiri licentiam dignaremur.Nos autem,ut fidei ſuæ meritum,& ſuorum per Imperialis gratię pręmium Imperialiter compenſemus,ſupplicationib.ipſius benigniùs inclinati,de poteſtatis noſtræ plenitudine,ſibi concedimus poteſtatem: quod quanquam pater ſuus miles non fuerit,& noſtris conſtitutionibus caueatur, quod milites fieri nequeant, qui de genere militum non naſcuntur:ipſe tamen de culminis noſtri licentia decorari ualeat cingulo militari, mãdamus:quatenus nullus eſt,qui ipſum ſuper hoc de cætero moleſtare uel impediri præſumat.

Miſe-

Miſericorditer remittit ſententiam ultimi ſuppli cij cuidam homicidæ. Cap. XVIII.

QVàm ſit fauorabilis magnificētia Cęſaris,& quàm ſit affabilis miſericordiam petentib. uultus eius, ex præſentis negocij ſerie poteſtis conijcere apertè: in quo ſic eſt operatus iuſticiam, ut per miſe ricordiæ ſemitas dirigat greſſus ſuos, ſic miſericorditer eſt profectus, ut partes iuſticiæ non excludat, & ut conſulatur animæ mortui potius, quàm uindictę: nec impunitum penitus dimiſit noxium, nec perdere uoluit ad ſuæ pietatis refugium proclamantem. Tales ſunt etenim magnifici principis uiæ ſuæ, ut in his quis reperiat ipſius participium quod formidat, & ſupplex ac humilis miſericordiæ fomitem ut reſpiret: quia nec ſitit ſanguinem, ſi iuſticię uiam non minuit miſerendo, nec parcere uult noxio, quem culpabilem reddit teme raria præſumptio delinquendi. Sermo hic eſt G. de Placentia captiuo, quem propter homicidium, non ex propoſito ſed rixa interueniente commiſſum, noſtra ſententia ultimo ſupplicio condemnauit: qui, licet ante iudicem examinatorem iuſticiæ, ſcripto iure inexcuſabilis eſt repertus, tamen coram ſummi clementia principis factus eſt rediuiuus: ſicut in authentici ſcripti noſtri ſerie uideritis contineri, quod latrix

præ-

præſentium operoſa demonſtrabit.

Taxatio ſalarij, conſtituti in ciuitate Forlinij, poteſtatibus tribuendi. Cap. XIX.

DEcus eſt principum fidelium, uotis clementer annuere, ac ſupplicum preces miſericorditer exaudire, ut ſic per gratiam diligantur in populis, & per Deũ tueantur in terris. Porrò per præſens ſcriptum notum facimus uniuerſis Imp. fidelibus, tam præſentib. quàm futuris: quòd cùm Commune Forlinii, fideles noſtri, miſericordiæ noſtræ ianuam humili petitione pulſaſſent, quod in ſalario ſuo decęterò Poteſtatibus exoluendo, cuius ſolutionem pręteritam ſuis oneroſam facultatibus reputabant, prouidere miſericorditer dignaremur: eorum ſupplicationibus benigniùs inclinati, ſalarium ipſum annuũ ad 70 libras prouidimus amodo reducendum. Quo Poteſtates eorum, qui pro tempore fuerint, uolumus eſſe contentos, ſcripti præſentis autoritate mandantes, quatenus nullus ſit, qui Commune prędictum, fideles noſtros, ad maiorem exactionem ſalarii, temeraria decęterò coactione compellat. Quod qui pręſumpſerit. &c.

Red-

Recipit quendam in ſuam gratiam, quem neceßitas olim tenuerat in rebellione. Cap. XX.

ILla fruimur & Imperii dignitate manſuetudine,ac prærogatiua uirtutis, ut quia niſi culpa præcederet, locum uenia non haberet,quacunq; hora ſubditus ad fidem noſtram conuerſus fuerit,patulis brachiis recipiamus eundem obliti præteritę culpę ſuæ.Cum igitur ad noticiá noſtram peruenerit N.de N. quem neceſſitas olim in rebellióe tenuerit potius quá uoluntas ad fidelitaté noſtram cũ omni deuotione fore conuerſum, & in gratiá noſtrá recipi perpenſius implorantẽ:aures noſtras benignas implorationi ſuę duximus apponendas,& meritis ſuę bonę cõuerſationis inducti,eum cũ Caſtro, terra, familia & bonis ſuis omnibus,tam ſtabilib. quàm mobilibus,in noſtræ gratiam recepimus Maieſtatis:offenſas omnes & culpas,quas erga noſtram Excellentiá & fideles noſtros, uerbo uel opere potuit hactenus cõmiſiſſe,ſibi & hęredib.ſuis miſericorditer indulgentes:dũ modo quod cœpit,opere fideliter proſequatur,et in noſtra deuotione pſiſtẽs,ſe noſtris ſeruitiis exhibeat gratiorẽ quotidie p effectũ.Vniuerſitati fideliũ præſenti ſcripto mãdantes, quatenus eũ decetero tanquá fidelẽ teneant,et in omnib.cõſeruẽt indẽnem,et ut nullꝰ ſit q ipſum aut hære-

hæredes ſuos in fide noſtra conſtantes, aliquatenus in perſonis aut rebus moleſtare pręſumet. Quod qui præſumpſerit. &c.

Conceſſio aduocationis officij in quibuſdam terris. *Cap.* XXI.

NOtum facimus fidelitati ueſtræ, qđ nos confiſi de prudentia & legalitate N. de N. fidelis noſtri, de cuius fide & ſufficentia laudabile teſtimonium Serenitas noſtra recepit, officium aduocationis in terris ipſis eidem duximus concedendum, ut illud ad honorem & fidelitatem noſtram debeat' decæterò fideliter exercere. Quapropter fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus, quatenus, poſtquam uobis conſtiterit per literas iuſticiarij regionis ipſius, ipſum fidelitatis & officij præſtiſſe debitum iuramentum, de omnibus quæ ad officium aduocationis pertinere noſcuntur intendatis, & pareatis eidem tanquam aduecato in terris ipſis per noſtram Excellentiam conſtituto.

Conceſſio officij Capitaniæ & Iuſticiariatus. *Cap.* XXII.

CVm poſt ſedatos iam fluctus bellicę tempeſtatis, cuius inter nos hactenus aura contraria cultum pacis & fructū iuſti-

iuſticiæ peruertebat, præcipua uos cura ſollicitat qualiter circa bonum ſtatum regionis ipſius, ſub umbra noſtri dominij tranquillitatis & plenæ ſecuritatis profectura ſuccedant bona. Ecce C. de N. dilectum familiarem noſtrum & fidelem, de cuius prouidētia & legalitate confidimus ab experto, in Capitaniam & iuſticiariatum ipſarum partium duximus ſtatuendum. Quocirca fidelitati ueſtræ firmiter præcipiēdo mandamus: quatenus, de omnibus & ſingulis, quæ ad ipſius Capitaniȩ & iuſticiariatus officium ſpectare noſcuntur, eidem C. decæterò ad honorem & fidelitatem noſtram deuotè parere & intendere ſtudeatis, tanquā Capitaneo & iuſticiario ipſarum partium, per noſtram Excellentiam ordinato.

Conceſsio officij Iudicatus ad certum tempus.
Caput XXIII.

NOtū facimus fidelitati ueſtræ, quòd nos confiſi de prudentia & legalitate A. conciuis ueſtri, de cuius fide & ſufficientia laudabile teſtimonium per literas ueſtras recepimus, recepto ab eo in Curia iuxta noſtram conſuetudinem fidelitatis & officij debito iuramento, ipſum Iudicē noſtrum per totam præſentem æſtatē duximus ſtatuendum: fidelitati ueſtræ man-

dantes,quatenus eidem fideli noſtro in omnibus,quę ad ipſius officij iudicatur ſpectare noſcuntur ad honorem & fidelitatem noſtram, per totam proximam præſentem duodecimam indictionem decæterò intendatis, tanquam iudici per noſtram Excellentiam ordinato.

Concedit licentiam exercendi artem medicinæ, in quibuſdam partibus.

Cap. XXIIII.

NOtũ facimus fidelitati ueſtræ, quòd fidelis noſter N. ad Curiã noſtram accedens, examinatus, inuentus fidelis & de genere fidelium ortus, & ſufficiens ad artem medicinæ exercendam extitit per noſtram Curiam approbatus. Propter quod de ipſius prudẽtia & legalitate confiſi, recepto ab eo in Curia noſtra fidelitatis ſacramẽto, & de arte ipſa fideliter exercenda, iuxta conſuetudinem iuramento, dedimus ei licentiã exercendi artem medicinæ in partibus ipſis: ut amodo artẽ ipſam ad honorem & fidelitatem noſtram, & ſalutem eorum qui indigent, fideliter ibi debeat exercere. Quocirca fidelitati ueſtræ præcipiendo mandamus, quatenus nullus ſit, qui prædictum fidelem noſtrum ſuper arte ipſa medicinæ in terris ipſis, ut dictum eſt, fideliter exercendi, impediat decæterò, uel perturbet.

Priui-

Priuilegium conceſſionis cuiuſdam Caſtri in perpetuum. Cap. XXV.

ETſi munificentiæ noſtræ gratiam libenter extẽdamus ad ſingulos, quos fideles nobis ab operum experimento ſentimus: circa illorum tamen merita gratioſiùs proſequenda, libentiùs noſtræ liberalitatis dexteram adducimus, pro quibus non ſolum deuotionis & fidei puritas, ſed ſeruitij gratitudo multiplicis intercedunt. Ea propter per præſens priuilegium notum facimus uniuerſis, tam præſentibus quàm futuris, quòd nos attendentes fidem puram & deuotionem ſynceram, & grata ſeruitia, quæ N. fidelis noſter, noſtro culmini fideliter exhibuit hactenus, & inceſſanter ad præſens exhibet, & exhibere poterit deuotiùs in futurum: caſtrum C. & Iuſticiariatus cum omnibus iuſticijs, iuſticiarijs rationibus omnibus, & pertinentijs ſuis, quæ de demanio in demanium, & quæ de ſeruitio in ſeruitium eidem & hæredibus ſuis prouenire potuerunt in perpetuum de ſpeciali gratia, & ex certa ſcientia noſtra duximus concedendum, ita tamen, quòd Caſtrum ipſum à nobis & hæredibus noſtris in Capitaniam teneat, & immediatè à noſtra Curia, recognoſcat. Viuẽs iure Francorũ, in eo uidelicet ꝙ ma

ior natu excluſis minorib.fratribus & cohæredibus in Caſtro ipſo ſuccedat, inter eos nullo tempore diuidendo:ſaluis in omnibus mandato, ordinatione & fidelitate noſtra & hæredum noſtrorum,& ſeruitiorum,quæ exinde Curiæ noſtræ debentur. Ad huius rei teſtimonium etc.

Priuilegium conceſſum duci Auſtriæ, ſuper promotione ſua de duce in regem. Cap. XXVI.

FRidericus duci Auſtriæ & Stiriæ, ſuo dilecto principi & comiti Carniolæ, gratiam ſuam & omne bonum. De fulgore throni Cæſarei,uelut ex ſole radij,ſic cæteræ prodeunt dignitates, ut primæ lucis integritas minorati luminis non ſentiat detrimenta, tantoq; magis Imperiale ſceptrum extollitur, & tantò cura regiminis ſolicitudinibus releuatur, quãtò tribunal ipſius digniores in circuitu circumſpicit conſimiles regiones. Hac igitur conſideratione commoniti, qui cœleſti prouidẽtia Romani Imperij moderamur habenas, ſolij noſtri decus tam ueterum dignitatum ornatibus cõfouemus, quàm nouis honoribus ampliamus. Tuis igitur, deuotiſsimè Princeps noſter, ſupplicationib. fauorabiliter inclinati, nec minus ad exaltationem honoris ſacri Imperij noſtri reſpectũ habentes, de infrà ſcriptorum principum noſtro-

noſtrorum conſilio: uidelicet C. Ratiſponenſis epiſcopi, L. Vuormatiēſis epiſcopi, H. Bambergenſis, & O. Brixienſis, abbatis Campidonenſis, C. abbatis Cliuiacenſis, O. ducis Morauiæ, & B. ducis Bauariæ: ducatus Auſtriæ & Stiriæ cum pertinentijs ſuis & terminis, quos hactenus habuerūt, ad nomen & honorem regium tranferentes: te hactenus prædictorum ducatuum Ducem, de poteſtatis noſtræ plenitudine & magnificentia promouemus in regem, eiſdem libertatibus, immunitatibus, & iuribus prædictum regnum tuum præſentis epigrammatis autoritate dotātes, quæ deceant regiam dignitatem. ut tamen ex honore quem tibi libenter addicimus, nihil honoris & iuris noſtri diadematis aut Imperij ſubtrahatur: quinimmò ſicut hactenus tanquam Dux, princeps & fidelis noſter extiteras, ſic in poſterum regio decoratus honore, tu & ſucceſſores tui, legitimi principes, fideles & deuoti nobis & ſucceſſorib. noſtris in Imperio perpetuò perſiſtatis. Nihilq; propterea iuri & honori Imperij, in prædictis regno & terris tuis omnino depereat uel decreſcat, & quæ hactenus habuit in eiſdem N. eo ſpecialiter & nominatim expreſſo, qđ ſucceſſores tui, non per electionem prælatorum, Ducum, Comitum, aut qnorumlibet nobiliū eli-

gantur in regem, ſed ſemper maior natu ſeu ſenior ex generatione tua ex te, & ex ſucceſſorib. tuis, legitimè deſcendẽtes, in regno ſuccedant. Nulluſq; in eis coronam aut cõſecrationem in prędicto tuo regno, de manu cuiuſquam accipiat: ſed à nobis & ſucceſſoribus noſtris, tantum in Curia noſtra, uel ab his, qui ſpeciale mandatum à nobis ſuper hoc habeant, coronationis & cõſecrationis munus & decus pro tempore conſequentur. Alij uerò hæredes minores natu, non habeant aliud, niſi quod ex regis gratia poterunt obtinere. Illud etiam iuri regio & honori coniungimus, ut ſi aliquis Comes, nobilis aut miniſterialis, uel miles de regno tuo contra te, & ſucceſſores tuos, & terram tuam forſitan exceſſerit, & pro ſuo exceſſu Caſtrum uel munitiones ſuas ab excedẽte per te uel per nuncios tuos peti contigerit, ipſeq; negauerit aſsignare ipſum: ex iure regiæ dignitatis, per ſententiam Curiæ tuæ bannire & forbannire ualeas, ipſumq; extra legem facere omnis iuris ſuffragio, prout eſt moris Imperij, carcerari. Cæterùm, ut pacẽ & iuſticiam, quæ ſunt regnorum omnium fundamẽta, poſsis in prædicto regno tuo conſtantiùs confouere, præſentium tibi autoritate concedimus: ut ſi quis in prędicto regno tuo manifeſtus extiterit malefactor,

tuo

tuo uidelicet aut Curiæ tuæ iuſto iudicio condemnetur. Cumq́; aliquis de prędicto regno tenuerit, fouerit uel defenderit eundem, & requiſitus tuo iudicio noluerit aſſignare, eadē pœna puniri debeat receptator, idemq́; defenſor quo malefactor ipſe punire deberet. Ad decus præterea regni tui, præſentis priuilegij autoritate permittimus, ut de prouincia Carniolę ducatum facias immediatè tibi, & per te nobis & ſucceſſoribus noſtris & Imperio reſponſurum: & ut in Ducatu ipſo cognatū tuum, fidelem noſtrū, in Ducem ualeas promouere, plenam tibi cōcedimus poteſtatem. Ad cuius rei memoriam & robur perpetuò ualiturum, præſens priuilegium fieri, & bulla aurea, typario noſtræ Maieſtatis, impreſſa iuſsimus communiri. etc.

Exordium ſuper gratijs faciendis. Cap. XXVII.

VT uota fideliū ad regum ſeruitia & beneplacita principū animētur, uel augmentētur: quia pia conſueuerūt liberalitate regnantes, iuſtas eorū petitiones admittere, & ipſis manus munificas aperire.

De eodem. Cap. XXVIII.

FAuorabilis petitio ſupplicātium effectu debet pro ſequente compleri: ut dum ea quę iuſtè poſtulant promerentur, & ad fidelitatis obſequia magis eorum deuotio accendatur. etc.

Recipit quendam in gratiam ſuam, remittendo ei offenſas. *Cap.* XXIX.

TEnore præſentium notum facimus uniuerſis, quòd cùm miſericordia ſuper exaltãte iudicio, glorioſius reputemus offenſis ignoſcere ſubiectorum, quàm eorum offenſas ulciſci: attendentes ſupplicationem C. de N. ſe ad implorandũ gratiam noſtram humiliter conuertentis: habẽtes quoq; reſpectũ ad ſuæ fidei merita retroacta, quæ impenſa nobis ab eo ſeruitia noſtro conſpectui repræſentat, nihilominus confidẽter ipſum in redemptione offenſæ grata & utilia ſeruitia noſtro culmini pręſtiturum: dictũ C. ad ſeruitia & fidem noſtram tota deuotione conuerſum, in plenitudinẽ fauoris noſtri recepimus, cõſuetè remittẽtes eidem oẽm offenſam & culpã.

Priuilegium libertatis, conceſſum quibuſdam gentibus ad catholicæ fidei unitatem conuerſis. *Caput* XXX.

FRidericus etc. regibus, ducib. & principibus, marchionibus, & uniuerſis Chriſti fidelibus, Imperio Romano ſubiectis, gratiam ſuam & omne bonũ. Ad hoc ſummi diſpenſatione cõſilij, præ alijs principibus obtinuimus monarchiam dignitatis, & Imperij Romani ſuſcepimus diadema: ut etſi ad alia extrinſeca debita ſolicitudo

citudo nos prouocet,ad ea tamen quæ libertatis Eccleſiæ ſtatum,& incrementum catholicæ fidei promouerent,tantò ſpecialiùs intẽdamus,quantò gratiùs inde Chriſto impartitur obſequium.à quo fides cœpit exordium,& per quem Imperialis gratiæ recognoſcimus unctionem. Hinc eſt igitur,quod per præſens ſcriptum notum fieri uolumus uniuerſis præſentem paginam inſpecturis,ad noſtram nuper ex ueridica fidelium inſinuatione noticiam perueniſſe,quòd quædam gentes in Septentrionalibus partibus conſtitutæ,uidelicet in Liuonia,Eſcouia,Pruſsia, Semigalia, & in alijs prouincijs conuicinis, inſpirante diuina gratia cœlitùs, eo qui ubi uult ſpirat, expulſa de cordib. eorum ſuperſtitionis caligine, cor carneum inducentes ab infidelitatis errore diſcedere cupiũt, & ad ueri Dei cultum , & catholicæ fidei unitatem accedere ſunt parati,ob illius tantum (ſicut dicitur) differẽtes timorem, ne poſt ſuſceptionem fidei,per principes orbis libertates eorum ad ſeruitutes onera deducantur.Cumque penitùs cenſeamus indignum,& cunctis Chriſti cultoribus abhorrendum,ut libertas(quæ per ſe res fauorabilis eſt)priuilegium & fauorem, quę per fidem meretur amittat, ea omnia præueniẽda duximus de gratia ſpeciali. Et ecce,

quòd uniuerſos & ſingulos eorum ad ſuſceptionem catholicæ fidei uenientes, poſt ſuſceptam fidem cum omnibus bonis eorum, ſub noſtra & Imperij protectione, & ſpeciali defenſiõe ſuſcipimus, & pręſentis ſcripti autoritate plenam eis & hęredibus eorum, intuitu ſuſceptę fidei concedimus & confirmamus perpetuò libertatẽ: nec non omnes immunitates quibus uti con ſueuerunt, priuſquam conuerterentur ad fidẽ. Eximimus inſuper eos etiam à ſeruitute, & iuriſdictione regum, ducũ, & principum, comitũ & cæterorũ magnatũ, pręſenti ſancientes edicto, ut nõ niſi ſacrę ſanctæ matris Eccleſiæ, ac Romano Imperio, quemadmodum alij liberi homines Imperij teneantur. Nullusq́; eos contra præſentis protectionis, defenſionis, cõceſsionis, & confirmationis noſtræ paginam, im petere, moleſtare, offendere, uel eorum quietem turbare præſumat: quod qui pręſumpſerit indignationem noſtram & Imperij, ſe nouerit grauiter incurſurum. Quare uniuerſitatem ueſtram hortando & rogando monemus, attentiùs exhortantes: quatenus prædictas gentes accedentes ad fidem, ob illius amorem, cuius intuitu & inſpiratione ducuntur, qui eas denuò ad ſe uocat, benignè protegere, fouęre ac tueri potẽter ab incurſibus malignorum,

&

& ob reuerentiam Imperij commendatas habere uelitis: ut uniuerſos & ſingulos poſsimus exinde meritò commendare.

Exordium ſuper gratijs faciendis conuerſis ad fidem nouiter. Caput XXXI.

COnſueuit innata conſuetudo regnãtium, exceſſus & merita ſubditorum iuſto pietatis examine, ac pia iuſticiæ moderatione diſcutere, ut conuerſos piè recipiat, & conuerſionis ipſorum meritis, ac deuotione penſatis, iuſtè ad eos gratiam liberalitatis effundat. Habet enim in ſe gratioſa munera prouidentia principalis, ut & conuerſis ſubditis condeſcendat ad gratiam, & deuotionis ipſorũ zelum clementer & liberaliter proſequatur. Sanè etc.

Conceſsio notariatus officij.
Cap. XXXII.

NOtum facimus uniuerſitati ueſtræ, quod T. Taurinienſis, fidelis noſter, iuxta ſacrarum cõſtitutionem noſtrarum tenorem examinatus, inuẽtus fidelis, & de genere fidelium ortus, & ſufficiens ad notariatus officium exercendum, eſt per noſtram Curiam approbatus. Propter quod de ipſius prudẽtia, & fidelitate confiſi, ſtatuimus eum publicũ notarium Taurinienſem: ut amodo in terra ipſa publicè

nota-

notariatus officium, ad honorem & fidelitatem noſtram debeat exercere: recepto ab eo iuramento fidelitatis, de ipſius publici notariatus officio fideliter exercēdo. Quare fidelitàti ueſtræ mandamus, quatenus ſi in terra ipſa non eſt cōpletus numerus ſtatutus notariorum, noſtris conſtitutionibus comprænhenſus, dicto T. fideli noſtro, tanquam publico notario eiuſdem terræ, à noſtra Maieſtate ſtatuto, de omnibus quæ ad eiuſdem notariatus officium pertinent, ad honorem & fidelitatem noſtram decæterò intendatis.

Recipit quoſdam fratres cum bonis ſuis ſub ſua protectione. Cap. XXXIII.

PEr præſens ſcriptum notum fieri uolumus uniuerſis, quòd frater Heinricus, domorum Militiæ templi in Italia præceptor, deuotus & fidelis noſter, Maieſtati noſtræ humiliter ſupplicauit, ut domos in Imperio ſibi commiſſas, fratres, familias & bona ſua ſub noſtra & Imperij protectione, de noſtra gratia recipere dignaremur. Nos igitur ſupplicationibus eiuſdem præceptoris fauorabiliter inclinati, ſuæ deuotionis obtentu, domos prædictas, fratres, familias, & bona quæ iuſtè tenent & poſsident, ſub noſtra & Imperij protectione recipimus: ſpeciali præſentis

ſcripti

ſcripti autoritate mandantes, & firmiter inhibentes, ſub pœna gratiæ noſtræ, quatenus nullus ſit, qui nominatas domos, fratres & familias, in perſonis, poſſeſsionibus & bonis ſuis auſu temerario, contra huiuſmodi protectionis noſtræ tenorem, impetere, impedire, offendere ſeu moleſtare præſumat. Immò uniuerſi & ſinguli ipſum pręceptorem, fidelem & deuotum noſtrum, & fratres, cum domibus, poſſeſsionibus & bonis ſuis, habeant pro noſtræ Maieſtatis reuerentia commendatos. Ad huius autem protectionis noſtræ memoriam, ſtabilitatem & firmitatem, præſens ſcriptum fieri iuſsimus, noſtri culminis ſigillo munitum.

FINIS LIBRI SEXTI.

INDEX VOCABVLORVM, quę cùm magis Itala ac barbara ſint, quàm Latina: tamen pro hiſce, in epiſtolis Vinianis uſurpantur.

Admiralis, id eſt, nauarchus, ſiue præfectus maris.

Ambaſiatores, legati & oratores intelliguntur: Italicè Ambaſciatori.

Barketta, diminutiuè à barca, quod Italicè nauem ſignificat: & generale nomen eſt ad omnem nauem qua nauigamus.

Caſalina, domus deſtructa, quæ parietina dicitur.

Cariſtia, annonæ caritas.

Comitiua, comitatus principi adiunctus.

Contrada, regio uel natio, uel uicus.

Compacare, reconciliare.

Dextrarij ij ſunt, qui iam uulgo dicuntur laterones.

Demanium, dominium.

Diſrobare, ſpoliare.

Diſrobati, ſpoliati,

Exfortium, auxilium.

Emenda, recompenſatio damni.

Excontrum, cùm obſes alterius recedentis uel dimiſſi obſidis loco datur.

Forbannire, proſcribere unde

Forbannitio, proſcriptio.

Forbanniti, exules proſcripti.

Fronteria, limitatio.

Guera, bellum.

Guaſtum, uaſtatio: guaſtare, id eſt, uaſtare.

Iuſticiarius, iudex aulæ.

Mariti-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Maritima,ſubſtantiuè pro ora ſiue parte maritima.
Palonga,ſeptum è palis,perticis, uel ſudib.in flumine factum,lib.2.ep.40.
Portulani,qui portubus maris uel fluminum præſunt.
Recalcata nauigia,de nouo tecta.
Sauma,clitellæ quæ ab equo cõmodè geſtari poſſunt.
Stalla,ſtabulum.
Strata uel ſtrada,uia.
Stolium,claßis,dictio deriuata à Græca στόλος,qua denotatur claßis, & nauis quoque commeatus ἀπὸ τοῦ στέλλεσθαι quod eſt prouiciſci nauigatione.
Treugæ,induciæ.
Viagium,profectio.
Valletus,miniſter,famulus.

BASILEAE, EX OFFICINA PAVLI
Queci, ſumptibus Iohannis Oporini. Anno
Salutis humanæ M. D. LXVI.
Menſe Martio.

254

Digitized by Google